UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ad annum Christi 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118618

urn:nbn:de:hbz:466:1-66653

Visual Library

Ph. 5178.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CLAUDII FLEURII
ABBATIS
HISTORIA ECCLESIASTICA
A QUODAM ANONYMO CONTINUATA,
ATQUE A
R. P. ALEXANDRO
A S. JOANNE DE CRUCE CARMELITA EXCALCEATO
PROVINCIÆ BAVARICÆ DEFINITORE PROVINCIALI,
OLIM S. THEOLOGIÆ, AC SS. CANONUM
LECTORE
LATINE REDDITA, NOTISQUE CASTIGATA.

CONTINUATORIS
TOMUS VIGESIMUS SECUNDUS
SEU IN ORDINE
TOMUS XLVI.
Ad annum Christi 1563.

Colleg. S. J.
Paderb. 1772



AUGUSTÆ VINDELICORUM, & OENIPONTI
IMPENSIS JOSEPHI WOLFF. MDCCLXXI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ad benevolum Lectorem.

Quamvis Continuator noſter in poſterioribus ſuæ continuatæ Hiſtoriæ libris cuncta ferme documenta, atque antiquitatis venerandæ monumenta ingenti ſedulitate collegerit, ut exactam eorum omnium, quæ Concilii Tridentini hiſtoriam concernunt, notitiam Lectoribus ſuis exhiberet, remque omnibus numeris abſolutam perfeciſſet, ſi quandoque rejectis ſuſpectorum Auctorum teſtimoniis juxta ſanæ criſeos præcepta probatæ fidei Scriptores conſuluiſſet, eosque ſibi proprios feciſſet; nihilominus quædam haud contemnenda monumenta vel ipſius

pſius ſolertiam effugerunt, vel ſtudioſe negligenda duxerat ; cum autem laudandæ Lectorum meorum cupiditati, ac deſiderio pro viribus plene ſatisfactum vellem, haud abs re fore cenſui, ſi omiſſas Hiſtoricæ eruditionis reliquias tam circa hoc argumentum, quam alia ſubinde occurrentia velut ex uberrima meſſe relictas ſpicas colligerem: has inter præprimis numeranda venit oratio, quam excellentiſſimus, ac meritorum gloria, generisque nobilitate longe clariſſimus Vir Auguſtinus Baumgartnerus Juris Utriusque Doctor patria Monacenſis, Alberti Sereniſſimi Bavariæ Ducis Orator in generali ſacræ Tridentinæ Synodi Congregatione ſub Pio IV. ſummo Pontifice die vigeſima ſeptima Junii Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo declamabat. Hæc anno Chriſti milleſimo quingenteſimo ſexageſimo tertio, quin typi locus, aut Typographi nomen indicaretur, publicam lucem aſpexit, unacum petitionibus Oratorum Cæſareæ Majeſtatis ad idem Concilium Tridentinum; cum autem præ-

præfata oratio nec in actis Conciliorum, quæ Philippus Labbæus, Harduinus, Pfalmæus & alii ediderunt, reperiatur, nec etiam illam Annales Boici a Joanne Adelzreiter editi referant, aliunde vero ex eadem haud obscure sincera Sereniſſimi hujus Ducis mens, suisque Majoribus hæreditario veluti jure innata, ac per tot sæcula in Sereniſſimos posteros propagata fidei Catholicæ constantia eluceat, hocque pacto calumniantium licentia potenter confundatur, hinc eandem orationem prout in Conventus Augustani Bibliotheca Carmelitarum Discalceatorum asservatur, integra fide huic præsenti tomo præfigere statui, adjectis quibusdam annotationibus, per quas ex aliorum Scriptorum testimoniis Sereniſſimi hujus Principis fama, fidesque vindicetur. Equidem Historiæ veritas exigit, ut ingenue fateamur, quod jam anno Christi milleſimo quingenteſimo quinquageſimo septimo hic idem illustriſſimus Dux ob immodicam rebellis sui populi petulantiam communionem sub utraque ſpecie permiserit; id enim præfatus

Bavariæ Hiſtoriographus in ſecunda parte ſuorum Annalium his verbis teſtabatur: „Cum a Bavaris pecunia ad „uſus tum imperii, tum ipſius Princi„patus publicos, per Albertum exige„retur; illi Auſtriacorum exemplo, a „Principe viciſſim petiverunt, ſibi ut „liceret, Sacroſanctam Evchariſtiæ „communionem ſub utraque ſpecie u„ſurpare. Ceſſit ad breve tempus ſub„ditorum importunitati Albertus, prius „tamen profeſſus, ſe nihil ideo prorſus „in Majorum Religione novari velle, „neque id fore firmum, antequam ſa„crorum Antiſtites eam licentiam ſua „auctoritate comprobaſſent. Id cum „illorum nemo faceret, ſed magnopere „omnes factum averſarentur, mox Al„bertus juſſit eum ritum publice, pri„vatimque, tota provincia, conſtitutis „in prævaricatores pœnis abrogari.

Idem ferme teſtatum reliquit ipſemet Continuator in Hiſtoriæ ſuæ libro CLII. §. IV. tom. XLII, hanc in rem ita differens: „Hæc dum interea gere„bantur, Bavari idem, quod Auſtriaci „a Ferdinando petebant, ab Alberto „quo-

„quoque ſuo Duce extorquere nitebantur: Albertus igitur, cum pecuniis „egeret, haud difficilem ſe eorum poſtulatis exhibuit, ſed poſt leves quasdam ſollicitationes ſuis ad tempus indulſit, ut cœnam Domini ſub utraque „ſpecie ſumere, ac diebus vetitis urgente neceſſitate carnibus veſci poſſent, nec minus, quantum poſſet, ſe „curaturum ſpopondit, ut Epiſcopus „Salisburgenſis hanc conceſſionem approbet, eamque Magiſtratus confirmet: „cum vero hac ſua indulgentia facile „in ſuſpicionem trahi poſſet, perinde „ac ſi a Religione catholica deficere „paratus eſſet, hinc multis verbis profitebatur, quod nullatenus a Majorum „ſuorum Religione diſcedere, nec in cæremoniis, aliisque ritibus quicquam „immutare velit, cum neque id ſibi licitum foret, niſi ſupremus Magiſtratus „Eccleſiaſticus id ipſum permitteret. „Iſtud diploma, quo hæc indulſerat, fideique ſuæ conſtantiam erat profeſſus, „die ultima Martii promulgabatur.

Ex his vero, ac præprimis ex Adelzreiteri teſtimonio comprobatum redditur,

quod Sereniſſimus Dux nonniſi a tumultuante ſuo populo per hæreticos concitato ad hanc indulgentiam adactus fuerit, ac nonniſi ad exiguum oppido tempus rerum iniquitati cedens novum Calicis uſum toleraverit, ea appoſita conditione, ſi hæc permiſſio a ditionis ſuæ Præſulibus rata haberetur: iis autem reclamantibus mox hanc ſuam conceſſionem revocaverit: *Id*, inquit præfatus Scriptor, *cum illorum nemo faceret, ſed magnopere omnes factum deteſtarentur, mox Albertus juſſit eum ritum publice, privatimque tota Provincia, conſtitutis in prævaricatores pœnis, abrogari:* hinc minus veritati conſonum videtur, quod Continuator Albertum pecuniarum deſiderio veluti excæcatum haud difficulter populi ſui precibus annuiſſe referat, his verbis: *Albertus, cum pecuniis egeret, HAUD DIFFICILEM ſe eorum poſtulatis exhibuit, ſed poſt LEVES quasdam ſollicitationes ſuis ad tempus indulſit &c.*

Cum vero populi tumultus nondum ſopirentur, atque ex ipſis hujus Provinciæ Proceribus non pauci eſſent, qui

qui opportunum reddendæ publicæ tranquillitatis medium in eo reponerent, ut calicis usus revocaretur, & pro tollenda Clericorum incontinentia cælibatus lex aboleretur, hinc Albertus utrumque articulum in Synodo per suum Oratorem proponi voluit, ubi etiam quinto post anno præfatus Jurium Doctor sequentem orationem habuit.

„Quando quidem Sanctissimus Do„minus noster aliquoties perquam pater„ne, atque vos ipsi Reverendissimi, & „Illustrissimi Sacri Concilii Tridentini „Præsides etiam amice, ut ad celebra„tionem hujus tam Sancti, tamque ne„cessarii instituti Legatos mitteret, illu„strissimum, & Serenissimum Principem, „Dominum Albertum Comitem Palati„num Rheni, superioris, inferiorisque „Bavariæ Ducem &c. exhortati estis, „sui muneris esse putavit, illustrissima „sua Celsitudo, ne, cum Princeps sit ca„tholicus, nihilque magis elaboret, „quam salva ut sit catholica Religio „nostra, tam necessario, tamque sacro„sancto operi deesse videretur, decrevit

„ſane Legatum ſuum ad Concilii nego-
„tium opportunis mandatis inſtructum
„ablegare: quod quidem jam ipſo facto
„præſtans, ablegavit & miſit præſen-
„tem me illuſtriſſimæ ſuæ Celſitudinis
„ſervum cum pleniſſimo mandato,
„ut ſuæ illuſtriſſimæ celſitudinis nomi-
„ne paucula quædam ſacro Concilio
„proponerem, & poſtea etiam ubi uſus,
„& opportunitas erit, tractarem, age-
„rem, atque efficere curarem, quæ &
„de honore ſacri Concilii, & illuſtriſſimæ
„ſuæ Celſitudinis officio eſſe videantur.

„Principio igitur tam ipſis reveren-
„diſſimis, & illuſtriſſimis Concilii Præ-
„ſidibus, quam reliquis reverendiſſimis
„Patribus plurimam, & devotiſſimam
„affero illuſtriſſimæ ſuæ Celſitudinis no-
„mine ſalutem, amicitiam, ac benevo-
„lentiam, & profecto ſummopere læta-
„tur illuſtriſſima ſua Celſitudo, quod
„ſacroſancti hujus Tridentini Concilii
„non modo auſpicatò initium factum
„ſit, ſed etiam feliciter progredi actio-
„nes ejus intelligantur, & quidem eo
„modo, ut omnes pii merito queant fe-
„liciſſimum eventum ſperare. Quam-

„quam

„quam vero, ſiquidem eſt ſecularis, at-
„que idcirco illuſtriſſimam ſuam Celſi-
„tudinem minime decet in Concilio ali-
„quid vel decernere, vel præſcribere
„in rebus ſpiritualibus, ſed tamen ſecu-
„larium Principum cum interſit vel in-
„primis, ne quid authoritatis, quo mi-
„nus fervens Concilii curſus procedat
„feliciter, deeſſe videatur, eam tamen
„ob cauſſam me potiſſime miſit Triden-
„tum, quippe ut Concilium illuſtriſſimæ
„ſuæ Celſitudinis nomine cohoneſtem,
„concelebrem, ac ſi fieri poſſit, adju-
„vem etiam pro virili mea: hac tamen
„habita ratione, ut meminerim illuſtris-
„ſimam ſuam Celſitudinem eſſe ſecula-
„rem, non ſpiritualem Principem, cujus
„ſit non dare, ſed accipere Leges ab
„Eccleſia. Hæc etenim quoniam pia
„Materfamilias eſt, atque legitima divi-
„narum rerum diſpenſatrix, ſolersque
„& ſalutaris medica, cui nullum me-
„dendi modum præſcribere debemus,
„ſed morbum oſtendere, & efficacem
„ſperare medicinam.

„Communes quidem Germaniæ
„morbos procul dubio reverendiſſimis

„ſacri

„ſacri Concilii Proceribus notos eſſe,
„nec dubitandum exiſtimat illuſtriſſima
„ſua Celſitudo, quin etiam audierint,
„quo in Statu Bavarico nunc catholi-
„ca Religio verſetur. Quandoquidem
„enim aliæ provinciæ, quæ Bavariam
„circum quaque propemodum cingunt,
„diverſis ſunt, variisque infectæ errori-
„bus, eosque non fovent modo apud ſe,
„ſed propugnant etiam pertinaciter,
„propagantque, quoad fieri poteſt, ſum-
„mo ſtudio, facile exiſtimari poteſt,
„quanto partim dolo, partim manife-
„ſta vi in Bavariam irruere conentur
„ſectæ, quarum aliæ quidem aliqua di-
„ligentia, authoritateque illuſtriſſimi
„Principis mei hactenus repreſſæ ſunt,
„aliæ, neſcimus, quo infelici Bavariæ
„fato, jam in ipſa viſcera Bavariæ, pe-
„netrarunt, easque nunc (quod vehe-
„menter dolendum) radices egerunt, ut
„voto magis quam facto extirpari poſſe
„cenſeantur. Superioribus annis ha-
„bita eſt totius provinciæ tam in Cle-
„ro, quam in populo de fide catholica,
„& de honeſtate morum viſitatio: in
„fide autem, & in ipſa Religione no-
„ſtra,

„ſtra, quot repertæ ſint, & quantæ „hæreſes, nimis longum foret, ſi omnes „deberent recenſeri. Craſſiores igitur „generatim perſtringi poſſunt, cum u„niverſæ explicari non queant.

„Reperti ſunt enim inter Parochos, „ceterosque Miniſtros Eccleſiarum, „quorum alii ſunt Zwingliani, alii Lu„therani, alii Flacciani, alii Anabapti„ſtæ, alii, qui Manichæorum dogmata „renovant, alii, qui Eunomianorum, alii „qui Jovinianorum, alii, qui aliorum deli„ramenta, & errores ſectantur, atque „propagant. Hæc catholicæ fidei no„ſtræ zizania quoniam Prælati pullulan„tia paſſim in ipſis herbis non extinxe„runt, & jam mox adulta extirpare non „potuerunt, eo nunc res devenit, ut ſi quis „nunc hæc zizania eradicare conetur, me„tuendum ſit, ne bonum triticum con„culcet, zizania tamen non evellat peni„tus. Nam hujus peſtis contagio non „modo in fece infimæ plebis, ſed etiam „in penetralibus ſtatuum, ac Reipu„blicæ maxime autem nobilium, ac ci„vium verſatur, qui ita armis errore „corruptis, quotidie magis magisque

„vici-

„vicinorum ſectariorum commercio ob-
„firmantur, ut foris cum adverſariis non
„occulte ſentiant, domi vero nihil non
„ſedulo faciant, quod invehendis erro-
„ribus percommodum ſit, & ſanctiſſimis
„priſcorum conſtitutionibus pernitioſum,
„ita ut quacunque omnino ratione id
„agant unum, ne locus amplius relin-
„quatur ſanæ, & catholicæ doctrinæ
„tutus, aut integer: unde viri pruden-
„tes quam difficilis ſit, & quam pericu-
„loſa in iſtis Ducatibus gubernatio, fa-
„cile judicare poſſunt.

„Huic autem malo magnam anſam
„fuiſſe præbitam omnes homines ſani
„fatentur, cum a Clero, tum a populo:
„quando hic nullum poſſit inter doctri-
„nam, & doctorem diſcrimen cernere,
„ille id ſibi ſemper licere, quod libere
„arbitraretur. Tametſi autem degene-
„rantis populi malitia tanta eſt, ut per
„ſe huic ſubſecutæ hæreticæ contagio-
„ni abunde materiam dederit, tamen
„dubium haud videtur, quin, cum Cle-
„rus ſal terræ eſſe debuerit, infatuatus
„ſit, nec ad eam rem, ad quam maxi-
„me,

„me oportebat, utilis magnam in Clero „culpam hujus mali versari omnes sa- „pientes oporteat confiteri: in visita- „tione nuper habita, quanta omnis ge- „neris flagitia in moribus Cleri com- „perta sunt: quanta socordia, & supi- „na negligentia, in quibusdam Proceri- „bus, seu Ecclesiarum Prælatis, aurium „pudore, ne manifestentur, prohibemur, „ipsa morum turpitudo efflagitat, ne „maneant diutius immendata. Atque „hæc si quis vellet sigillatim, prout „per sese res ipsa habet, atque explo- „rate constat, enarrare, castis, piisque „Reverendissimorum Patrum auribus „omnino fieret molestum, aliis vero, „qui minus firmati sunt, ingens, pericu- „losumque offendiculum præberetur. „Quam ob rem Illustrissimus Princeps „meus hoc abunde satis existimat, si „vobis reverendissimis, & illustrissimis „Tridentini Concilii Legatis, atque Pa- „tribus saltem per occasionem insinua- „retur, ut duntaxat accuratissime vo- „biscum perpendatis, quam infructuosa „doctrinæ emendatio futura sit, nisi „prius Doctores, qui tanquam vasa do-

„ctrina

„ctrinæ judicantur, ab omni ſorde, mo-
„rumque fœtore expurgati repræſenten-
„tur populo. Omnes ſapientes, peri-
„tique viri unanimi ſententia hoc aſſe-
„runt, hoc efflagitant penitus, ut prius
„Clerus, Eccleſiarumque miniſtri, ac
„Doctores a vitæ ſordibus repurgen-
„tur, quam ulla queat fructuoſa do-
„ctrinæ diſcuſſio, ac determinatio fe-
„liciter inchoari, ac definiri ſalutariter.
„Deinde nec parvum momentum vide-
„tur, quod hæc pernicioſa contagio non
„modo non ceſſet tam longo tempore,
„ſed ſubinde grandeſcat, etiam multis
„variisque amplificata acceſſionibus,
„quippe Clerus noſter tantis Eccleſiæ
„calamitatibus nullo modo neque affi-
„citur, neque affligitur, ſed multo ma-
„gis inſoleſcit, gulæ, libidinibusque in-
„dulget, ac quaſi velit in contem-
„ptum Dei, hominumque omni genere
„vitiorum ſe coopertum potius palam
„cognoſci, quam minima aliqua in re
„emendatum animadverti. Ut cetera
„Cleri vitia, quæ cum populo com-
„munia habet, taceantur. At certe li-
„bido illa in Clero nimis libera, atque
„notoria,

„notoria, propter quam is nunc potiſſi-
„me infamis eſt, ac plebe, irritatoque
„populo alieniſſima eſſe judicatur. Si-
„quidem politici magiſtratus nullum in
„civili ſocietate civem ferunt, qui pa-
„lam ſcortetur, domique ſuæ quaſi in
„publico lupanari ſcorta fovere ſtudeat.
„In proxima viſitatione per Bavariam
„facta, tam frequens concubinatus re-
„pertus fuit, ut vix inter centum tres
„vel quatuor inventi ſint, qui aut ma-
„nifeſti concubinarii non fuerint, aut
„clandeſtina matrimonia non contraxe-
„rint, aut uxores palam non duxerint.
„Quæ morum turpitudo in Clero ve-
„hementer offendit imperiti populi ani-
„mos tantopere, ut Sacerdotium una-
„cum ſacerdotibus execretur, dirisque
„devoveat. Ita ut ſit confeſtim para-
„tus ad quamvis ſectam exire potius,
„quam redire velit ad Eccleſiam.

„Præterea nec pauci homines a no-
„bis deficiunt ad ſectarios ob utrius-
„que ſpeciei prohibitionem, cum arbi-
„tremur de communione utriusque ſpe-
„ciei expreſſum Dei verbum extare, de

„una ſpecie nullum reperiri. Huc ac-
„cedit, quod utriusque ſpeciei uſus non
„modo in primitiva Eccleſia, ſed etiam
„nunc in omnibus orientalibus Eccleſiis
„frequens eſt, & quidem celeberrimus:
„quin nec Romana Eccleſia olim ab
„eodem uſu abhorruit, quemadmodum
„ex variis, diverſisque hiſtoriarum mo-
„numentis edoceri poteſt. Nec ſane
„id parum movet homines præſertim
„in Bavaria, quod Paulus tertius edita
„Bulla ſua conceſſit Germaniæ Epiſco-
„pis poteſtatem communicandi popu-
„lum ſub utraque ſpecie. Quod qui-
„dem ſummi Pontificis decretum urgent
„ſummi, & infimi, illuſtriſſimumque
„meum Principem eam ob cauſſam ve-
„hementer culpant, quaſi (quod abeſt
„plane) divinam inſtitutionem contra
„expreſſum Dei verbum invideat ſubdi-
„tis ſuis: ea invidia, quoniam illuſtris-
„ſima ſua Celſitudo vehementer grava-
„tur, frequentius ſubditorum querelis a-
„pud alios Germaniæ Principes, odium-
„que hoc ſui æque domi ac foris adeo
„ſubinde exaſperatur, atque increbe-
„ſcit, ut plerique, quibus veloces pedes
„ſunt

„ſunt ad effundendum ſanguinem nihil „exſpectent avidius, quam aliquam præ„beri movendis tumultibus occaſionem. „Hinc procul dubio reverendiſſimi, illu„ſtriſſimi ſacri Concilii Præſidentes, „atque Patres perſpicuo vident, quan„to in periculo verſetur, Illuſtriſſimus, „& Clementiſſimus Princeps, propter „cohibitionem utriusque ſpeciei: ita„que libere fatetur, niſi authoritate Tri„dentini Concilii hiſce malis, quæ a no„bis commemorata ſunt, ſalutaris me„dicina primo quoque tempore adhi„beatur, illuſtriſſimam ſuam celſitudi„nem nullo modo in tanta animorum „exacerbatione ſubditos ſuos regere „poſſe, atque in legitima obedientia con„tinere aliter, niſi ut magno ſuo dolore, „& haud incerta ſinceræ Religionis „jactura invitus aſpiciat tandem, quod „prohibere ſolus nequeat.

„Quamquam vero, ſicuti antea di„ctum eſt, illuſtriſſimus, & clementis„ſimus Princeps meus hæc gravamina „eo animo non proponat ſacro Concilio, „quaſi præjudicium aliquod adferre,

„aut judicium auferre velit, cum non „ignoret, quid poſtulet officium ſecula„ris Chriſtiani Principis, quem deceat, „ſe obedientem Apoſtolicæ Sedis filium, „& non judicem controverſæ religionis „in Concilio exhibere. Quapropter „cum hæc talis ſuſpicio, procul a per„ſona illuſtriſſimæ ſuæ Celſitudinis ſub„mota ſit, tum illud non dedecere ſe „arbitratur. Si ſaltem quid ſibi hiſce „malis remedii ſalutariter adhiberi poſſe „videatur, familiariter, & quaſi conſul„tandi gratia ſacro Concilio inſinuet.

„Primum igitur quantum attinet ad „ſubmovenda publica ſcandala Cleri, „quibus imperitus populus permotus „ſubinde, magis magisque efficitur a „catholica Religione noſtra alienior, il„luſtriſſima celſitudo ſua putat huic com„muni morbo duobus remediis occur„ri poſſe. Quorum prius ut Clerus „juxta antiquos Canones reformetur. „Alterum, ut Prælati dent operam e„rigendis domeſticis ſcholis, & ampli„ficandis publicis academiis. Refor„mare mores Cleri ſæpius a diverſis

„Ger-

„Germaniæ Episcopis tentatum est pa-
„rum feliciter, ac sine omni fructu:
„quemadmodum reipsa compertum est,
„cum tam ardua negotia non tam sin-
„gulorum Præsulum authoritas, quam
„consensio universorum rectissime, uti-
„lissimeque expediat, dum alii ne suos
„capitulares Confratres offenderent,
„connivere visi sunt: alii, si quid tenta-
„runt (ut fecerunt certe quidam opti-
„mi Antistites) nihil tamen efficere id-
„circo potuerunt, quod Episcopi ceteri
„idem non versati sunt reformandi in-
„stitutum. Quocirca existimationem
„privatam reformationis operam inu-
„tilem fore, & infructuosam, nisi eo
„accesserit Generalis Concilii authori-
„tas, ac legitima executio decretæ re-
„formationis.

„Nec vero ignorat Illustrissimus
„Princeps, quod a plerisque ne seria a-
„liqua morum repurgatio suscipiatur,
„objici soleat. Cum verendum sit, si
„Clerus ex rigore antiquorum Cano-
„num reformari debeat, fore omnino,
„ut pleriquc omnes præsertim Paro-

„chi, Parochiarumque miniſtri (qui fere „omnes concubinarii ſunt) ſuas Eccle- „ſias deſerant, & confugiant ad Secta- „rios, ubi concubinas liceat in uxores „ſumere, & unumque ex libertate „carnis, ita, ſicuti velit, vivere. Ne- „gari haud poteſt, quin hæc omnia in „malis ſacerdotibus expectanda ſint, „in bonis autem nullo modo. Verum „utcunque hoc metuendum videatur, „non defuit tamen olim, nec nunc deeſt „huic malo nodo congruens cuneus. „Nam diligentem operam impendere „Antiſtites debebant, educando Eccle- „ſiaſticæ juventutis ſeminario, & quo „in locum eorum, qui vel apoſtaſia „abrepti, vel morte defuncti eſſent, re- „ſtitui poſſent. At enimvero hæc ne- „ceſſaria diligentia cum neglecta eſt, „atque hinc iſta honeſti Cleri inopia e- „merſit: imprimis neceſſarium videtur, „ut ſummo ſtudio ſacroſancta Synodus „Tridentina legitimum aliquem modum „excogitet, quo inopia Cleri auferri „poſſit, copia reſtitui. Multæ enim „adhuc ſunt in catholicorum Princi- „pum territoriis opes: quarum aliæ

„in

„in continua ſimonia verſantur: aliæ „tenentur ab hominibus indoctis, im„puris, mutilibus; aliæ etiam per frau„dem eorum, qui bona vel maxime „tueri debuerant, extinquuntur paſ„ſim ab Eccleſiis alienatæ, & transla„tæ in uſus profanos. Nec dubium „eſt, quin ſi hæc Eccleſiaſtica bona in „certum ordinem redigerentur, poſſe „inde ſelectum aliquem, & copioſum „Eccleſiaſtici Seminarii in juventute „plantari cœtum, & ex eo cœtu ſub„inde, ubi neceſſariæ, utilesque perſo„næ requirerentur, tanquam ex inſtru„cta officina catervatim depromi. At„qui vero ſi hac via collabeſcenti Ec„cleſiæ occurſum non fuerit, timendum „prorſus, ne aliquando catholicos, tam „vi ſectariorum expugnatos eſſe, quam „domeſticis copiis deſtitutos periiſſe, „conqueri oporteat.

„ Quapropter illuſtriſſimus Prin„ceps amice, ſubmiſſeque admonet, ſi „Concilii Reverendiſſimos, ac Illuſtris„ſimos Dominos Legatos, ceterosque „Patres ut hanc rem ſibi velint impri-

„mis esse curæ, ne posthac tanta edu-
„candæ juventutis negligentia Prælatis
„permittatur. Sperandum enim ma-
„gnopere, mirabiliter suas Ecclesiæ vi-
„res pedetentim restitui posse, si sedulo
„operam navaremus erudiendæ copio-
„sæ juventuti, & ornandis fovendis-
„que piis, ac doctis hominibus, qui
„Ecclesiam doctrina adversus hæreses
„tueri queant, & submovendis inutilibus,
„flagitiosisque sacerdotibus, qui suis
„moribus turpissimis Ecclesiam vehe-
„menter deformant, & sua insscitia la-
„befactant non mediocriter. Illustris-
„simus vero Princeps meus quid gra-
„vissimis sumptibus & perpetuo studio
„hac in re conatus sit, referre jactanter
„minime cœpit: testes autem habet
„quamplurimos tam eos ipsos, quos li-
„beralissime etiamnum fovet Doctores,
„professoresque, atque Sacerdotes,
„quam vicinos, provincialesque Episco-
„pos, & alios etiam catholicæ religio-
„nis amantes.

„Ceterum existimant plerique viri
„rerum Germanicarum periti, tale nunc
„esse

„esse in Germania sæculum, quasi quam-
„dam occultam naturæ vim, quæ non
„modo omnes libidinosos, sed etiam
„moderatos, vereque catholicos eo per-
„duxit, ut plerique omnes castum ma-
„trimonium contaminato cœlibatui
„præferendum arbitrentur. Quam ob
„rem animadvertitur passim præclara
„ingenia, doctissimosque homines duce-
„re uxores malle, ut careant Ecclesia-
„sticis beneficiis, quam Ecclesiastica be-
„neficia acceptare, & carere uxori-
„bus. Videlicet cum videant reliquam
„Cleri multitudinem gulæ, libidinum-
„que flagitiis coopertam, magno detri-
„mento esse, ac dedecori catholicæ Re-
„ligioni, ne ipsi in hoc contamina-
„tionis grege versari cogantur, eorum-
„que videri consimillimos. Hinc ete-
„nim doctorum hominum in Clero pe-
„nuria extitit, hinc Cleri detestanda in-
„scitia traxit originem, hinc hæretici
„sumpserunt vires, Ecclesia vero debi-
„litata est. Periti igitur, qui pressius
„hæc negotia, accuratiusque discusse-
„runt, existimant' quod ab sublevandam
„penuriam docti, idoneique Cleri vix

„alia ratione præsertim hac ætate nostra „in Germania Clerus instaurari, ac sal- „tem ob obeunda necessaria Ecclesiæ „munera satis frequens haberi queat, ni- „si more primitivæ Ecclesiæ docti ma- „riti, & ad docendum instructi admit- „tantur ad sacros Ordines, præsertim „vero ad prædicandum, & amplifican- „dum populo verbum Dei. Legis e- „nim divinæ cum non sit, ut oporteat „hominem Sacerdotem esse cœlibem, „siquidem constet ex veterum monu- „mentis, atque historiis, maritos sacris „Ordinibus initiatos esse, & non modo „ad sacerdotii dignitatem, sed etiam ad „sublimitatem Episcopi pervenire: qua- „proprer hanc rem videri ejusmodi esse, „cum qua jus divinum non sit, ut San- „ctissimi Domini Nostri, sacrique Con- „cilii authoritas possit ex instinctu divi- „no id statuere pro necessitate laboran- „tis Ecclesiæ, quo status Cleri instau- „rari queat, ac vires sectariorum in- „firmari. Verum hoc non aliter in „Concilio proponi jussit illustrissimus „Princeps meus, nisi ut Reverendissimi „Patres Germaniæ morbos tanto dili-

„gen-

„gentius inſpicere queant, & quid re-
„medii ſalubriter adhibendum judicent,
„opportuno loco, & tempore conſti-
„tuere.

„Poſtremo vero quia fuit hoc con-
„ſilium ſtatim ab initio hujus exortæ
„diſſenſionis piorum, doctisſimorumque
„hominum, ne tantopere ob unius, al-
„teriusve ſpeciei uſum tanta certamina
„inſtituerentur, ipſo rei eventu animad-
„verſum eſt, quod pleræque provinciæ
„in Germania in obedientia Sedis Apo-
„ſtolicæ retineri potuiſſent, ab omni reli-
„qua ſectariorum labe immunes, ſi mo-
„deratio quædam in re, natura ſua in-
„differente, admiſſa fuiſſet. At vero
„cum populus utriusque ſpeciei uſum,
„quaſi ex divina inſtitutione ſibi deberi
„arbitraretur, cumque vicisſim is uſus a
„Prælatis conſtanter denegaretur, ſurre-
„ptitii ſectarum duces eam occaſionem
„nacti ſub prætextu divinæ inſtitutio-
„nis, & concepto odio irati populi, non
„ſolum hoc ſanctæ Euchariſtiæ Sacra-
„mentum penitus profanarunt, ſed etiam
„ſub eodem prætextu diverſa hære-

„ſium

„ſium ſemina longe lateque adeo effica-
„citer diſperſerunt, ut nunc occaſione
„utriusque ſpeciei non modo populi
„Germaniæ, ſed & reliquæ nationes
„inſtar torrentis ab Eccleſia catholica
„defluere videantur. Ut autem haec
„iſta tam frequens defectio, tamque fer-
„vens decurſus ſaltem inhiberi aliquo
„modo poſſit, prudentium virorum ju-
„dicium eſt, ſi Sanctisſimus Dominus
„Noſter ex plena poteſtate Sedis Apo-
„ſtolicae, & ex judicio Sancti Triden-
„tini Concilii Laicis utriusque ſpeciei
„communionem benigne largiretur, fo-
„re, ut qui hactenus Sedi Apoſtolicae
„obedientes remanſerint, in poſterum
„quoque obedientes permanſuri, ac ſi
„qui leniter deflexerint, ad obedientiam
„reverſuri exiſtimentur, quemadmodum
„in nonnullis cognitum eſt, qui ex
„indulgentia Pauli tertii compotes de-
„votionis ſuae facti eſſent, reverſi ſunt
„ad Eccleſiam.

„Cum igitur hæc tria, turpis vita
„Cleri, concubinatus Sacerdotum, &
„prohibitio utriusque ſpeciei princi-
„pales

„pales cauſſæ ſunt, cur tanto odio Ca-
„tholicorum, tantoque ſtudio novitatis
„populi, rationesque ab obedientia A-
„poſtolicæ Sedis reſiliant, conferant-
„que ſe ad diverſos Sectarum Duces,
„periti ſane Catholici viri arbitrantur,
„nullis aliis præſidiis hoc tempore po-
„pulum ſtudio novitatis tumeſcentem,
„ne ſenſim in manifeſtam defectionem
„prorumpat, in obedientia Sedis Apo-
„ſtolicæ retineri poſſe, quam ſi ad
„ſubmovendos vitioſos Sacerdotes ido-
„neus Clerus ex inſtauratis Scholis co-
„pioſe educaretur: ad tollendum tur-
„pem concubinatum caſtis maritis ſacri
„Ordines, concionandique imprimis fa-
„cultas conferrentur: ad placandos irri-
„tati populi animos utriusque ſpeciei
„uſus permitteretur. Quia vero du-
„bium non eſt, etiamſi hæc tria ex qua-
„dam catholicæ Matris Eccleſiæ indul-
„gentia per authoritatem præſentis
„Concilii rite ordinarentur, tamen Se-
„ctarios Duces, ſeductosque populos
„idcirco ad Eccleſiam non reverſuros
„eſſe, cum palam editis libris non du-
„bitent obfirmare ſeſe, quod nunquam

„velint

„velint Romanis Pontificibus ullam obe-
„dientiam præstare, itaque non vult Il-
„lustrissimus Princeps meus hanc suam
„sententiam sic accipi, quasi illis tribus
„concessio putet hæreticos posse ad
„Ecclesiam reduci, sed eam esse multo-
„rum piorum hominum opinionem,
„quod isto modo catholici populi reli-
„quiæ in Germania confirmari, atque,
„retineri aliquo modo possint, cum hoc
„tempore non tam necessarium videa-
„tur, ut refutentur adversarii, quam ut
„queant fulciri domesticæ summæ no-
„stræ: quæ nunc non minus domi
„graves sunt, quam foris adversariorum
„machinationes. Atque hoc illi, qui e-
„nodatius præsentis Ecclesiæ statum
„ad limam ducunt, eo interpretantur,
„ut opinentur, in præsenti Concilio Tri-
„dentino nihil prius ducendum esse,
„quam ut ante omnem cujusvis dogma-
„tis explicationem, necessario præce-
„dere debeat ejusmodi morum in catho-
„tholico Clero, rebusque Ecclesiasticis
„(de quibus paulo ante facta mentio)
„reformatio: ut cum personæ Clerica-
„les pristinæ innocentis vitæ suæ testi-
„mo-

„monium vulgo receperint, tandem ma-
„jori, apud populum authoritate, ac fide
„id possint, quod in catholica fide no-
„stra verum est, constanter docere, quod
„falsum, refellere. Nec est ullus per-
„suadendi modus, quo Clerus populo
„reconciliari potest, & audientium sibi
„parare aditum, nisi palam constet, an-
„terioris vitæ inquinamenta abjecta
„esse, atque purioris vitæ documenta
„palam exhibeantur. Quocirca omne
„Tridentini hujus Concilii studium pror-
„sus inane futurum creditur, nisi omnis
„hujus mali origo, acque scaturigo,
„quasi in ipso fonte, hoc est, in Clero
„eluatur, atque repurgetur, quo melio-
„re auspicio repurgati fontis origo, in
„reliquos universæ Ecclesiæ rivulos de-
„duci posse, vulgo cognoscatur. Po-
„stea vero, cum talis facta reformatio:
„cum etiam honestioris Cleri atque do-
„ctioris suppeditata est copia: cum
„turpem concubinatum Sacerdotes de-
„posuerunt, receperuntque vicissim sui
„licitam medicinam a Concilio suppedi-
„tatam sive constantem spontanei voti
„observantiam: cum etiam populus ad-

„hnc

„huc Apoſtolicæ Sedis authoritate „non prorſus exauctoratus, de commu- „nione utriusque ſpeciei mediocriter „placatus exiſtimatur, tunc denique tem- „pus erit, cum omnia noſtra domi ſint „confirmatiora, ut de dogmatibus inea- „tur aliqua ſolidior diſceptatio adver- „ſus hæreſes. Qualis autem & quæ „hæc diſceptatio cum fructu catholi- „cæ Religionis ſuſcipi poſſit, Illuſtris- „ſimus Princeps meus ſolus non ſcit „fortaſſe optime, ſed intelliguntur pio- „rum hominum, & catholicorum hac de „re non inanes voces haud obſcure. „De qua etiam ſi ſuæ quoque Illuſtris- „ſimæ Celſitudinis opinio aliquando re- „quiratur, poſſet ea qua aliquo modo „explorata ſunt, non importune refer- „re. Verum hoc tempore quando hoc „tantum eſt propoſitum Legationis Il- „luſtriſſimæ Celſitudinis nihil aliud vel- „le in medium Concilii per me afferri „niſi ut cogitetur, non tam quomodo „vel refutari ſectarii queant, quod du- „rum eſt, vel reduci, quod multo ma- „gis dubium, ſed potius quomodo hæ „afflictæ catholici populi reliquiæ pos-

„ſint

„ſint corroborari, ſtabiliri, atque redu-
„ci ad meliorem Eccleſiæ ſtatum. Non
„enim videtur ſatis opportunum velle
„omni conatu adverſæ Religionis co-
„pias invadere, & non prius omne ſtu-
„dium impendere, ut ante omnia no-
„ſtræ vires recte domi conſtitutæ ſint,
„& ita quidem confirmatæ, ut tam ſin-
„gulæ quam univerſæ, univerſis ac ſin-
„gulis contrariis poſſint opponi feli-
„citer.

„Reverendiſſimi autem, Illuſtris-
„ſimique ſacri Concilii Legati, ceteri-
„que Patres, hanc illuſtriſſimi, & ca-
„tholiciſſimi Principis mei qualemcun-
„que ſuggeſtionem, forſitan non ſatis
„elaboratam, amicam tamen, benevolen-
„tiſſimamque ſuapte natura boni con-
„ſulent. Conſtanter enim ſperat, ni-
„hilque penitus dubitat illuſtriſſima ſua
„Celſitudo eidem ſacroſanctæ Tridenti-
„næ Synodo hanc ſuam devotiſſimam
„juvandæ Eccleſiæ deliberationem ſi
„non inſervire commodiſſime, ulterius
„tamen de graviſſimis iſtis Eccleſiæ af-
„flictionibus cogitandi materiam & oc-

„casionem subministrare posse. Deum „enim summum testatur, nihil esse eo„rum omnium per me propositorum, „quæ ipse temere absque consilio sibi „expetat, ac non potius extrema esse „Reipublicæ Christianæ adhibenda re„media putet. Ad illum ipsum illustris„simum & piissimum Principem meum „quod attinet, ita firmissime animo „propositum habet, cumque Dei beni„gnitate avitis in Religione, & doctri„na catholica vestigiis fortiter insistat, „nihil existimat tam necessarium, tam„que pium vitæ suæ munus, quam id „pro virili efficere, & obtinere, ut ii, „quos regendos, tutandosque Deus illi „commisit, perpetuo secum habeant „recte, orthodoxe, & catholice creden„di, pieque secundum instituta Patrum „vivendi, commoditatem. Gratissimum „vero quovis tempore illustrissimæ „suæ Celsitudini futurum est, si quæ „hucusque in Religionem catholicam „præstitit, libentissimo sane animo officia „auctiora posthac, & cumulatiora ingen„ti subditorum, ac patriæ fructu, redde„re illa ratione poterit. Dixi.

Post-

Poſtquam igitur hic Bavariæ Ducis Orator ſuam abſolverat orationem, paulo poſt Synodus eo tempore, quo hic idem admittebatur, his verbis eidem reſpondit:

„Excellens Doctor, & Magnifice „Domine Orator, in magna expecta„tione ſancta Synodus uſque ad hanc „diem fuit, ut aliquis ex nobiliſſimis „Germaniæ Principibus ad hoc ſacrum „Concilium accederet, & ſua præſen„tia eam pietatem in catholicam Eccle„ſiam declararet, quæ inprimis a Prin„cipibus viris expectari debet: vel ſi „ipſi gravioribus negotiis impediti ad„eſſe non poſſent, Oratores ſuos mitte„rent, qui optimam illorum voluntа„tem profiterentur, inter ceteros autem, „a quo omnia pietatis officia ſancta „Synodus exſpectanda eſſe ſemper ex„iſtimavit, Excellentiſſimus, & Illuſtris„ſimus Dominus Albertus Bavariæ Dux „extitit: qui veram, & catholicam Re„ligionem a clariſſimis, & nobiliſſimis „Majoribus ſuis traditam, tanta fide, & „conſtantia conſervavit, ut hiſce miſe-

„ris temporibus in tota Germania fir-
„miſſimum ſanctæ Apoſtolicæ Eccle-
„ſiæ propugnaculum jure optimo ha-
„bendus ſit. Cum igitur graves ra-
„tiones prohibuerint, quo minus ipſe
„huc accederet, ſuumque egregium a-
„nimum ſanctæ Synodo coram decla-
„raret: quod quidam eum præſtitu-
„rum eſſe, ſi per alias occupationes fi-
„bi licuiſſet, dubitare non poteſt, ſum-
„ma lætitia affecta eſt, cum virum o-
„ptimis artibus præditum ſuæ volun-
„luntatis teſtem, ac veluti obſidem huc
„ablegarit Sperat enim fore, ut ejus
„auctoritas nunquam defuiſſe videatur
„ad ea peragenda, quæ ſanctam Dei
„Eccleſiam quacunque ratione juvare
„poterunt. Quod igitur reliquum eſt,
„te Magnifice Orator, ſancta Synodus
„benigne accipit, mandatumque tuum,
„prout juris eſt, libenter admittit: da-
„turaque eſt operam (quod quidem ha-
„ctenus diligenter, & ſedulo curavit)
„ut ea omnia pie & religioſe conſti-
„tuantur, quibus Dei cultus magis am-
„plificari, & fidelium ſaluti, ac tran-
„quillitati commodius conſuli poſſe, af-
„flan-

„flante Spiritu Sancto, qui optimorum „consiliorum auctor est, judicarit.

Ceterum ex oratione hac rursus sat manifestum fit, quod ipsemet piissimus Bavariæ Dux nec Calicis usum, nec nubendi facultatem ex suo arbitrio petierit, aut alterutrum ad tollendas corruptelas, vel hæreticos ad Ecclesiæ sinum revocandos optimum esse medium judicaverit, sed unice suorum importunitate impulsus rem Synodo proponi curarit, Patrum judicio relinquens, an pariter & ipsi, sicut ejus Proceres, utramque hanc licentiam conducere arbitrentur, vel potius æque ac Bavariæ Antistites ejusmodi concessionem aversarentur; nil enim magis antiquum habuit pientissimus hic Princeps, nisi ut in rebus fidem atque Ecclesiæ disciplinam spectantibus consilium & sententiam ab iis, quibus de ejusmodi negotiis definiendi potestas tradita est, expeteret, etsi forte ex aliorum consilio, sollicitationibus atque importunitate non nunquam quædam veluti extrema Reipublicæ Christianæ adhibenda reme-

dia reputaret. Eapropter haud abſone hanc in rem adducendum cenſeo ſæpius laudati Hiſtoriographi judicium atque animadverſionem, quam ipſe in præfatam orationem his verbis propoſuit : „ Albertus longe obſe„quentior Legatum miſit ad Conci„lium, Auguſtinum Baumgartnerum, „cui adjunxit Joannem Cavillonium e „Societate Jeſu ſacrarum literarum In„golſtadii interpretem. Per eos dedit „ad ſacrum Conventum literas, quæ „die vigeſima ſeptima Junii in publico „Patrum Senatu recitatæ fuerunt, & „benignis auribus auditæ ; quod ſin„gularem, optimi Principis pietatem, & „in Eccleſiæ Præſules reverentiam te„ſtarentur. Eodem illo die Baum„gartnerus luculentam habuit ad Pa„tres orationem, qua Alberto mentem, „& ſuæ legationis capita explicavit. „Ea fuerunt tria potisſimum. Diſcipli„næ Eccleſiaſticæ, morumque orbis „Chriſtiani emendatio, incontinentium „Sacerdotum conjugia : Sacræ Syna„xis ſub utraque ſpecie communio. „Atque hæc quidem Albertus ſic vo„luit

„luit Concilio proponi, ut non disce-
„ptatoris, aut judicis partes sibi su-
„meret, sed omnino vellet esse in Con-
„cilii auctoritate, ac fide, quidquid de-
„mum divino instinctu Patres decerne-
„rent, quemadmodum deceret Princi-
„pem sæcularem, cujus non sit leges
„Ecclesiæ dare, sed datas accipere, &
„servare, quem tamen non dedeceat
„morbos ostendere, & remedia a sa-
„pientissima Matre exspectare. Ergo
„primum omnium ostendit Alberti Ora-
„tor, non esse Boicam usque eo a com-
„muni Germaniæ sorte intactam, ut in
„nupera disquisitione reperti fuerint
„inter animarum curatores, ceterosque
„Ecclesiarum Administros, aliqui Zwin-
„glio, alii Luthero, alii Illyrico Flac-
„cio, alii etiam Manichæorum errori-
„bus clam addicti: immo fuisse, qui se
„Eunomianos, & Jovinianos ex suis
„deliramentis proderent. Hæc mala
„non in plebis duntaxat, sed etiam No-
„bilitatis viscera penetrasse, atque in-
„dies magis, magisque vicinorum con-
„tagione firmari, idque ex morum cor-
„ruptela, quæ Sacerdotum pravis ex-

„emplis ſic migravit in populos, ut ni-
„hil credant inhoneſtum, aut dignum
„ſupplicio, quod ab honeſtiſſimo Ec-
„cleſiæ Ordine cernunt impune patrari.
„Quibus Laicis cura ſit & amor ho-
„neſtatis, eos ſic ratiocinari, ut, cum in-
„ter Doctores ac doctrinam non ſta-
„tuant diſcrimen, illico exiſtiment, ni-
„hil docere boni, qui tot mala invere-
„cunde admittunt. Sale infatuato, dif-
„ficile eſſe, incorrupta bene condiri,
„luce obnubilata, non poſſe ſatis lucu-
„lenter ad ſimpliciorum, aut perverſo-
„rum captum, obſcura illuſtrari: vaſa,
„unde divina propinantur, ab omni
„morum colluvie expurgari oportere.
„Addidit quædam ſigillatim, quæ often-
„debant plebem pleramque a quorum-
„dam Clericorum moribus, & inſtitu-
„tione haud parum eſſe alienam, pa-
„ratamque ſectam quamlibet potius am-
„plecti, quam ſuam ſalutem credere
„hominibus uſque eo depravatis.
„Cum vero inter multorum Sacerdo-
„tum nævos libido fœdiſſima Laico-
„rum animos vehementer offenderet.

„nec

„nec viderentur aliqui posse ab in-
„concesfis amoribus avelli, nisi in-
„continentibus fieret honesti conjugii
„potestas, petiit a Patribus, vellent
„expendere, satiusne foret effrænatam
„licentiam severitate legum, an vincu-
„lis matrimonii coerceri. Tertium
„de communione sic tractavit, ut satis
„appareret, plebem novatorum voci-
„bus incantatam, calicis usum expo-
„scere, ceteroqui haud gravate in re-
„liquis sacrorum ritibus, Patrum judi-
„cio cessuram. Certe ea tempestate
„vulgo erroneus sensus erat, immo &
„quorumdam supra vulgus perperam
„sapere volentium, matrimonii sancti-
„tatem, contaminato cœlibatui præ-
„stare, & non satis cænare, qui cali-
„cem non biberet. His vocibus per-
„strepebat aula Cæsaris pariter, &
„Alberti, aliorumque Principum: i-
„sta libere jactabantur in circulis, ut
„vix esset, qui auderet refellere, tan-
„ta erat invidia contra sentientium.
„Unus Canisius obniti ausus est tam-
„etsi adversariorum numero pene ob-

 „rue-

„rueretur. Ceterum Tridentini Pa„tres Baumgartnero ſic reſponderunt, „ut pateret, ejus adventum, & oratio„nem non diſplicuiſſe.„

Ex hujus Scriptoris teſtimonio ſatis aperte eruitur ſincera Sereniſſimi Principis mens, atque immota illius Orthodoxia.

CON-

CONSPECTUS LIBRORUM.

LIBER CLXIII.

§. 1. Congregationes aliæ circa dogma, & reformationem in Synodo habitæ. Pag. 1,

§. 2. Aliæ Congregationes circa residentiam, & institutionem Episcoporum. 3

§. 3. Franciæ Oratorum postulata Legatis proposita. 5

§. 4. Lotharingii Cardinalis responsum ad Legatos circa hæc postulata. 6

§. 5. Reformationis articuli a Franciæ Oratoribus propositi. 8

§. 6. Congregationes ante Sessionem continuatæ. 20

§. 7. Solemne sacrum Tridenti celebratum ob victoriam a Franciæ Rege reportatam. 23

§. 8.

§. 8. Vicecomes Ventimillienſis Epiſcopus Romam veniens. 26
§. 9. Duo Cardinales a Pio IV. creati. 27
§. 10. Papæ conſilium Bononiam eundi, ut Synodo magis vicinus eſſet. Ibid.
§. 11. Papa a Cardinale Mantuano hoc iter differre rogatus. 28
§. 12. Pontificis monita ad Regem Hiſpaniæ, hujusque reſponſum. 29
§. 13. Legati cum Lotharingio Cardinale juncta opera agere juſſi. 32
§. 14. Acrius reſponſum Legatorum hoc mandatum indignantium. ibid.
§. 15. Pontificis reſponſum circa modum decreta, & Canones condendi. 34
§. 16. Tres diverſæ Canones concipiendi normæ. 35
§. 17. Canonum norma Romæ nonnihil emendata. 36
§. 18. Intrepidum Legatorum reſponſum ad Cardinalis Borromæi epiſtolam. 39
§. 19. Congregatio ad concinnandum poſtremum doctrinæ caput, & duos ultimos Canones. 42
§. 20. Mala Synodo impendentia a Legatis Pontifici expoſita. 44
§. 21. Seſſio ad quartam Februarii diem præſtituta. 46
§. 22. Gallorum cavillationes contra Decretum, & Canones. ibid.
§. 23. Lotharingius, & Madrutius Cardinales ad concinnandos Canones deputati. 49
§. 24. Septem Archiepiſcopi, & totidem Epiſcopi a Cardinalibus in laboris ſubſidium vocati. 51

§. 25. Decretum, ringentibus licet nonnullis, confectum. 53
§. 26. Acerrima disputatio inter Hydruntinum, & Granatensem Archiepiscopos. 54
§. 27. Lotharingii Cardinalis querelæ contra quosdam Synodi Patres. 57
§. 28. Legatorum ratio de non acceptando Decreto. 59
§. 29. Colloquium inter Legatos, & Franciæ Oratores circa Pontificis auctoritatem Synodo Superiorem. 61
§. 30. Papa per Gallorum postulata vexatus. 63
§. 31. Papæ epistola ad Franciæ Regem circa hæc postulata. 64
§. 32. Pontificis monita ad suos Legatos circa Gallorum postulata. 67
§. 33. Lotharingii Cardinalis fides Oratoribus Gallis suspecta. 68
§. 34. Sabaudi Oratoris adventus ad Concilium. 70
§. 35. Lancellotus Augusta Tridentum reversus unacum Lunensis comitis responso. 71
§. 36. Controversia de loco Oratori Hispaniæ assignando. 72
§. 37. Vicecomes unacum Papa responsis Tridentum redux. 75
§. 38. Lotharingii Cardinalis sententia circa Papæ auctoritatem. 77
§. 39. Papæ epistola per Vicecomitem ad Legatos delata. 79
§. 40. Pontificis responsum ad libellum per eosdem Legatos transmissum. 81
§. 41. Cardinalis Lotharingii responsum circa con-

controverſiam de Sedis prærogativa inter Hiſpanos, & Gallos. 84

§. 42. Franciæ Oratorum poſtulata de proponendo decreto circa reſidentiam. 86

§. 43. Legatorum propoſitiones ad Lotharingium, & Madrutium. 87

§. 44. Lotharingii Cardinalis epiſtola ad Papam circa Inſtitutionem Epiſcoporum. 88

§. 45. Seſſio ad feriam quintam poſt Paſchatis octavam dilata. 90

§. 46. Seſſio ad vigeſimam ſecundam Aprilis diem a Cardinale Mantuano indicta. 91

§. 47. Cardinalis Lotharingius reformationem urgeri poſtulans. 92

§. 48. Cæſar Oenipontum veniens. 95

§. 49. Commendonus Oenipontum ad Cæſarem a Legatis decretus. ibid.

§. 50. Gallorum poſtulata de proponendis triginta quatuor eorum articulis. 97

§. 51. Articuli de Matrimonio Theologorum examini ſubjecti. 99

§. 52. Altercatio inter Theologos Gallos, & Hiſpanos de loci prærogativa. 101

§. 53. Hæc lis a Legatis compoſita. 102

§. 54. Quæſtio de Sacramento Matrimonii in Patrum cœtu diſcuſſa. 104

§. 55. Franciæ Regis epiſtola ad Synodum in generali cœtu recitata. 106

§. 56. Oratio Ferrerii Oratoris ad Synodi Patres. 110

§. 57. Oratio Cardinalis Lotharingii in hoc Conventu. 118

§. 58. Prælatorum nonnulli ad corrigendos abuſus in Ordinem irrepentes ſelecti. 120

§. 59.

§. 59. Virodunenſis Epiſcopus pro præſtando fidelitatis homagio Oenipontum ad Cæſarem profectus. 121

§. 60. Lotharingius Cardinalis Oenipontum ad Cæſarem profectus. 122

§. 61. Papæ ſententia circa Oratores. 125

§. 62. Articuli de matrimonio a Theologis examinati. 126

§. 63. Madrutius Cardinalis Oenipontum profectus, & Commendonus adventans. 127

§. 64. Commendonus Legationis ſuæ capita ſcriptotenus referens. 128

§. 65. CardinalisMantuanus Oenipontum proficiſci a Papa rogatus. 131

§. 66. Theologorum Conventus Oeniponti, 134

§. 67. Articuli de Concilio a Cæſare Theologorum judicio ſubjecti. 135

§. 68. Iidem articuli immutati, ac correcti. 139

§. 69. Legatorum conatus adverſus hoſce duodecim articulos. 142

§. 70. Lunenſis Comes a Cæſare Oenipontum accitus. 145

§. 71. Lotharingii Cardinalis relatio coram Legatis facta de ſuo itinere. 146

§. 72. Cæſaris querelæ contra Legatos a Lotharingio relatæ. ibid.

§. 73. Seripandi Legati reſponſum, atque apologia ad haſce querelas. 149

§. 74. Seripandi reſponſum ad Cæſaris objecta de Pontificis auctoritate. 150

§. 75. Lotharingii relatio circa reſidentiæ caput, & hæc verba: Proponentibus Legatis. 151

§. 76. Mantuæ Dux Patrui ſui fatis Tridenti præſens. 153

§. 77.

§. 77. Cardinalis Mantuani obitus, vitæque hiſtoria. 154

§. 78. Cæſareorum molimina pro Lotharingio Cardinale in primum Synodi Legatum ſubrogando. 156

§. 79. Moronus, & Navagerus in Synodi Legatos nominati. 157

§. 80. Oſius Legatus petita abeundi venia in Poloniam ad ſuam Diœceſim reverſurus. 158

§. 81. Viterbienſis Epiſcopus Roma Tridentum veniens. 159

§. 82. Cardinalis Lotharingius Guiſii Ducem Aureliæ fuiſſe occiſum edoctus. 160

§. 83. Lotharingii poſtulatum de reſidentiæ decreto per Legatos proponendo. 162

§. 84. Lotharingium a Synodi Legatione excludendi rationes ei a Gualterio expoſitæ. ibid.

§. 85. Seripandus alter Synodi Præſes mortuus. 164

§. 86. Hujus Cardinalis hiſtoria. 165

§. 87. Cæſaris literæ ad Papam, & Legatos per Quinqueeccleſienſem Epiſcopum allatæ. 168

§. 88. Quatuor Cæſaris poſtulata ad Legatos. 169

§. 89. Pontificis reſponſum ad hæc Cæſaris poſtulata. 171

§. 90. Arcanæ Cæſaris literæ ad Papam. 173

§. 91. Pontificis reſponſum ad arcanas haſce literas. 176

§. 92. Hoc Pontificis reſponſum Cæſari non communicatum. 179

§. 93. Franciæ Oratorum poſtulata de proponendo Reformationis negotio. 180

§. 94.

§. 94. Cardinalis Lotharingius Patavium, & Venetias profectus. 181
§. 95. Franciæ Regis poſtulatum de nubendi licentia Cardinali Borbonio concedenda. 182
§. 96. Viterbienſis Epiſcopus Lotharingiæ ſuum Tridento diſceſſum diſſuadere conatus. 184
§. 97. Diſceſſus Vicecomitis Lotharingium Cardinalem conventuri. 185
§. 98. Vicecomitis conatus apud Lotharingium pro Bononienſi itinere a Cæſare. & Papa ineundo. 187
§. 99. Vicecomitis reſponſum ad Cardinalem circa quosdam articulos. 190
§. 100. Pontificis querelæ apud Hiſpaniæ Regem contra hujus nationis Epiſcopos. 193
§. 101. Conventus quorumdam in Granatenſis Archiepiſcopi ædibus circa Papæ auctoritatem habitus. 194
§. 102. Pax cum Calviniſtis a Galliarum Rege ſancita. 196
§. 103. Melitenſis Orator Tridentum adventans. 198
§. 104. Reſponſum Pontificis ad Hiſpaniæ Regis mandata. ibid.
§. 105. Hujus clauſulæ: *Proponentibus Legatis*, æquitas a Pontifice vindicata. 199

LIBER CLXIV.

§. 1. Cardinalis Moroni novi ad Synodum Legati, nec non Lunenſis Comitis adventus ad Tridentinam Urbem. 202
§. 2. Moroni Cardinalis colloquium cum Principum Oratoribus. 204

§. 3. Cardinalis Moronus in quadam Congregatione receptus. 205
§. 4. Petri Soto Dominicani obitus. 208
§. 5. Epistola circa residentiam a Soto triduo ante obitum ad summum Pontificem perscripta. 209
§. 6. Navagerus Cardinalis Legatus ad Synodum delatus. 211
§. 7. Summa articulorum Cæsari a Cardinale Morono proponendorum. 212
§. 8. Cæsareorum consilium de suffragiis per Nationes ferendis a Legato rejectum. 213
§. 9. Papæ sententia de suspensione, & libertate Concilii. 215
§. 10. Cæsareorum responsa ad Pontificis reprehensionem. 216
§. 11. Pontifex Legatorum ad se recursum excusans. 217
§. 12. Responsum Cæsaris ad hasce Papæ rationes. 218
§. 13. Moroni Legati responsum ad Cæsarem. 219
§. 14. Alius mandati articulus circa clausulam: *Proponentibus Legatis.* 220
§. 15. Cæsaris responsum ad hunc articulum. 221
§. 16. Papæ responsum ad Reformationis articulum a Cæsare propositum. 223
§. 17. Cæsaris responsio ad omnes hujus mandati Pontificii articulos. 224
§. 18. Vox Caput ex Cæsaris scripto Legati jussu deleta, ejusque responsum ad reliqua. 226
§. 19. De Cardinalium creatione, & electione Episcoporum. 228

§. 20. Articulus de reſidentia propoſitus. 229
§. 21. Papæ excuſatio de ſua a Tridentino Concilio abſentia. 230
§. 22. Secretum Legati colloquium cum Cæſare. 233
§. 23. Articuli Cæſaris, & Legati conſenſu ſtabiliti. ibid.
§. 24. Alii articuli inter Cæſarem, & Legatum controverſi. 234
§. 25. Cæſaris reſponſum ad Moroni Cardinalis literas. 237
§. 26. Navagerus Legatus reformationem urgere a Lanſaco importune ſollicitatus. 239
§. 27. Muſottus Secretarius Roma Tridentum reverſus. 240
§. 28. Reginæ Scotiæ epiſtola in Patrum Conventu prælecta. 241
§. 29. In Patrum Conventu actum de corruptelis in Ordinis adminiſtratione irrepentibus. 242
§. 30. Lotharingii Cardinalis Oratio circa hoc argumentum. ibid.
§. 31. Lotharingius contra Cardinales Epiſcopos declamans. 244
§. 32. Granatenſis Archiepiſcopi oratio circa idem argumentum. 246
§. 33. Lancianenſis Archiepiſcopi ſententia de contumacia abſentium Germaniæ Epiſcoporum. 248
§. 34. Quinqueeccleſienſis Epiſcopi rationes, ob non ablegatos a Germanis ad Synodum Procuratores. 249
§. 35. Simonettæ Cardinalis reſponſum huic Epiſcopo datum. 250

§. 36. Episcoporum titularium causſa a Philadelphiæ Episcopo propugnata. 251

§. 37. Moronus Cardinalis Oeniponto Tridentum reversus. 252

§. 38. Sessio ad decimum quintum Junii diem prorogata. ibid.

§. 39. Hispaniæ Orator in quodam Patrum Conventu exceptus. 253

§. 40. Ferrerii Responsum ad contestarionem Hispani Oratoris. 255

§. 41. Cujusdam Hispani Doctoris oratio nomine Comitis Lunensis pronuntiata, 257

§. 42. Synodi responsum ad Lunensem Comitem, & Hispani Doctoris orationem. 260

§. 43. Gallorum error de loci prærogativa per Papam contra eos decisa. 261

§. 44. Papæ epistola ad suos Legatos in favorem Hispaniæ Regis. 262

§. 45. Borromæi Cardinalis literæ hanc in rem ad Legatos, & speciatim ad Moronum perscriptæ. 263

§. 46. Vicecomitis colloquium Taurini cum Ferrarienſi Cardinale. 265

§. 47. Colloquium Lotharingii Cardinalis cum Ferrarienſi. 266

§. 48. Ferrarienſis Lotharingium Cardinalem valde exacerbatum contra Moronum expertus. ibid.

§. 49. Ormanettus cum Papæ jussis ad Bavariæ Ducem ablegatus. 268

§. 50. Briagi Præsidis adventus Tridentum. 270

§. 51. Oiselius pro Synodi translatione ad Hispaniæ Regem missus. 271

§. 52. Hispaniæ Regis responsum ad Oiselii sollicitationes. 272

§. 53.

§. 53. Ejusdem Regis reſponſum ad Gallorum minas de Nationali Concilio in Francia convocando. 274

§. 54. Caroli IX. literæ a Birago Patribus traditæ. 276

§. 55. Biragi Præſidis oratio ad Synodum. 277

§. 56. Reſponſum Synodi ad Biragi ſermonem. 280

§. 57. Hoc reſponſum approbatum, & acceptatum. 282

§. 58. Patrum ſententiæ circa abuſus in Congregationibus propoſitæ. 284

§. 59. Opinionum diſſenſio inter Patres circa Sacramentum Ordinis. 287

§. 60. Variæ opiniones circa Canones de auctoritate Pontificis. 288

§. 61. Præſulum Gallorum cavillationes circa hunc Canonem de auctoritate Pontificis. 289

§. 62. Legati hanc clauſulam *proponentibus Legatis* aut tollere, aut explicare a Papa juſſi. 291

§. 63. Mandata circa hanc clauſulam data per Papam revocata. 293

§. 64. Papæ monitum ad ſuos Legatos de plena libertate Synodo relinquenda. 294

§. 65. Rerum deciſio Præſidum judicio, ac prudentiæ a Pontifice relicta. 296

§. 66. Nova forma de Inſtitutione Epiſcoporum ad Papam tranſmiſſa. 297

§. 67. Papæ reſponſum ad ſuos Legatos circa hoc negotium. 298

§. 68. Congregationes circa reformationem diſciplinæ. 301

§. 69. Sargianenſis Epiſcopi oratio in favorem Epiſcoporum titularium. 302

§. 70. Patris Layneſii Jeſuitarum Præpoſiti oratio circa reformationem. 306

§. 71. Layneſii opinio circa Canonem de electione Epiſcoporum. 308

§. 72. Ejusdem ſententia de Epiſcopis titularibus. 310

§. 73. Layneſii judicium de Epiſcopatibus, aliisque beneficiis. 311

§. 74. Ejusdem opinio circa diſpenſationes. 312

§. 75. Biragus Præſes Oenipontum Cæſarem ſalutatum profectus. 322

§. 76. Cæſaris reſponſum ad Præſidem. 323

§. 77. Tres Belgii Epiſcopi, totidemque Lovanienſes Theologi adventantes. 324

§. 78. Belgarum petitio ad Synodum de edendo decreto adverſus Angliæ Reginam. 325

§. 79. Rurſus de cauſſa Toletani Archiepiſcopi in Hiſpaniæ inquiſitione capti. 327

§. 80. Pontificis conſilium de eo Romam evocando, & Philippi II. oppoſitio. 328

§. 81. Grimani Aquilienſis Patriarchæ petitio de cauſſa ſua ad Synodum devolvenda. 330

§. 82. Legatorum Reſponſum ad Oratores Venetos. 332

§. 83. Legatorum declaratio de hac cauſſa absque Pontificis diplomate non dijudicanda. 333

§. 84. Papa hanc Legatorum repulſam dedignatus. 334

§. 85. Viginti tres Commiſſarii ad diſcutiendam Grimmani cauſſam nominati. 335

LIBER

LIBER CLXV.

§. 1. Articulus circa Episcoporum electionem ad aliam Sessionem remissus. 337

§. 2. Caput de titularibus Episcopis deletum, & Seminaria approbata. 339

§. 3. Controversia de loci prærogativa rursus inter Hispaniæ, & Franciæ Oratores suscitata. 340

§. 4. Pontificis epistola ad Legatos in favorem Hispani Oratoris. 341

§. 5. Binæ epistolæ Pontificis literis a Cardinale Borromæo adjunctæ. 342

§. 6. Lunensis Comes insciis Gallis ex improviso Ecclesiam accedens. 345

§. 7. Gallorum indignatio, ac tumultus inde inter Patres suscitatus. 346

§. 8. Legati sub sermone cum ceteris ad Sacristiam recedentes. 349

§. 9. Galli suæ opinioni pertinaciter insistentes, accedere renuentes. 350

§. 10. Granatensis Archiepiscopus ad Lunensem Comitem flectendum missus. 351

§. 11. Nec pax, nec incensum adhibitum ex Comitis, & Gallorum assensu. 352

§. 12. Paleottus ad Gallorum oppositionem respondere jussus, sed id muneris recusans. ibid.

§. 13. Papa de siniſtro rei successu per Legatorum literas edoctus. 354

§. 14. Lotharingii Cardinalis epistola ad Papam circa hoc negotium. 356

§. 15. Alia ejusdem Cardinalis epistola ad Papam. 362

§. 16. Lunensis Comitis propositum de exe-

quendis Pii IV. jussis a Legatis eidem Papæ significatum. 363
§. 17. Papæ epistola ad Legatos suos. 364
§. 18. Oratio Ferrerii ad modum protestationis concinnata. 365
§. 19. Pontifex concordiam inter utrumque Oratorem restitutam non sine animi jubilo edoctus. 375
§. 20. Lansaci in Gallias reversuri discessus a Tridentina urbe. ibid.
§. 21. Literæ a Belgii Gubernatrice ad Synodum delatæ. 376
§. 22. Patrum sententiæ circa Episcoporum institutionem. 377
§. 23. Lotharingius Cardinalis Purpuratos in decreto de residentia comprehendi postulans. 381
§. 24. Cuncta in Generali Conventu communi suffragio stabilita. 382
§. 25. Hispani ceterorum sententiæ accedere a Lunensi Comite persuasi. 383
§. 26. Sessio XXII. Concilii Tridentini. ibid.
§. 27. Caput I. De institutione Sacerdotii novæ Legis. 385
§. 28. Caput II. De septem Ordinibus sacris, & quatuor Minoribus. 386
§. 29. Caput III. De Ordine tanquam vero Sacramento. 387
§. 30. Caput IV. De Ordinis charactere, & Ecclesiastica Hierarchia, atque ordinandi potestate. ibid.
§. 31. Absolutis hisce doctrinæ articulis prælegebantur sequentes octo Canones. 389
§. 32. Decretum de reformatione. 391
Caput I. Rectorum Ecclesiarum in resi-

residendo negligentia varie coercetur, & animarum curæ providetur. 392
§. 33. De Episcopis intra trimestre consecrandis.
Caput II. Præfecti Ecclesiis consecrationis munus intra tres menses suscipiant. 397
§. 34. Ordines a proprio Episcopo conferendi.
Caput III. Extra ægritudinem Episcopi per se ordines conferant. ibid.
§. 35. De recipiendis ad tonsuram.
Caput IV. Qui prima tonsura initiandi. 398
§. 36. De Ordinandis.
Caput V. Ordinandi, quibus instructi esse debeant, ibid.
§. 37. De Beneficiatis, & de privilegio fori.
Caput VI. Ætas annorum quatuordecim ad beneficium Ecclesiasticum requiritur, quis privilegio fori gaudere debeat. 399
§. 38. De examine Ordinandorum.
Caput VII. Examinandi sunt ordinandi a viris peritis juris divini, & humani. 400
§. 39. De tempore & loco Ordinationis. ibid.
Caput VIII. Quomodo, & a quo unusquisque promoveri debeat. 401
§. 40. De Ordinandis Episcoporum familiaribus.
Caput IX. Ordinans familiarem Episcopus conferat statim reipsa beneficium. ibid.
§. 41. De tonsura per Abbates conferenda.
Caput X. Episcopis inferiores Prælati tonsuram, vel minores Ordines

ne conferant, nisi Regularibus sibi subditis: nec ipsi, aut capitula quæcunque dimissorias concedant, graviori in decretum peccantibus pœna statuta. 402

§. 42. De interstitiis inter Ordines suscep-tos servandis.

Caput XI. Interstitia in susceptione minorum Ordinum, & certa alia præcepta observanda. 403

§. 43. De ætate pro Ordinibus majoribus.

Caput XII. Ætas ad majores Ordines requisita: digni duntaxat assumendi. 404

§. 44. De Ordinatione Subdiaconoram, & Diaconorum.

Caput XIII. Ordinatio qualis Subdiaconi, & Diaconi, & eorum munus, nulli Ordines sacri duo conferantur eodem die. 405

§. 45. De dotibus ad Presbyteratum assumendorum.

Caput XIV. Quinam ad Presbyteratum assumendi: assumptorum quodnam munus. 406

§. 46. De Confessariis per Episcopos approbatis.

Caput XV. Nullus confessiones audiat, nisi ab Ordinario approbatus. 407

§. 47. De Ecclesiasticis vagabundis.

Caput XVI. Arcentur ab Ordinibus Ecclesiasticis inutiles & vagi. 408

§. 48. De restaurandis Ordinum inferiorum functionibus.

Caput XVII. Qua ratione exercitia minorum Ordinum repetenda. ibid.

§. 49.

§. 49. De Seminariis.

Caput XVIII. Forma erigendi Seminarium Clericorum, præsertim tenuiorum: in cujus erectione plurima observanda: de educatione promovendorum in cathedralibus, & majoribus Ecclesiis. 410

§. 50. Quorumdam Patrum oppositio contra Residentiæ decretum. 419

§. 51. Decretum pro indicenda proxima Sessione, 420

§. 52. Lunensis Comes Protestantes ad Synodum invitari rogans. 421

§. 53. Hæc Capita per Legatos ad Papam transmissa, actumque de Seminario Romæ erigendo. 422

§. 54. Actum de articulo circa matrimonia clandestina. 424

§. 55. Oratores Galli hæc matrimonia tanquam irrita declarari petentes. 425

§. 56. Episcopi omnium Parochiarum collationem sibi solis relinqui postulantes. 426

§. 57. Lunensis Comitis postulata a Legatis rejecta. 428

§. 58. Lunensis querelæ de gestis in nupera Sessione. 430

§. 59. Legati suam innocentiam coram Lunensi Comite vindicantes. 431

§. 60. Comitis querelæ de privatis Italorum Præsulum conventibus. 432

§. 61. Legatorum literæ ad Papam circa suspensionem Concilii. 433

§. 62. Patrum sententiæ pro absolvendo Grimano Patriarcha. 435

§. 63.

§. 63. In quadam Congregatione circa matrimonia clandeſtina diſputatum. 436
§. 64. Decretum circa Matrimonia varie conceptum. 437
§. 65. Lotharingii Cardinalis ſententia circa hoc argumentum. 439
§. 66. Madrutii Cardinalis, & Patriarchæ Veneti ſententia. 442
§. 67. Granatenſis Archiepiſcopi ſententia de ejusmodi matrimoniis omnino nullis. 443
§. 68. Roſſanenſis Archiepiſcopi judicium. 444
§. 69. Variæ Præſulum ſententiæ circa idem argumentum. 445
§. 70. Patris Layneſii opinio de hiſce matrimoniis, ut validis. ibid.

LIBER CLXVI.

§. 1. Patris Layneſii ſcriptum contra clandeſtini connubii damnationem. 448
§. 2. Venetus Orator matrimonium ob adulterii cauſſam diſſolvendum petens. 449
§. 3. Canonis forma a Venetis Oratoribus propoſita. 451
§. 4. Antinorus unacum mandatis a Papa Tridentum ablegatus. 452
§. 5. Legatorum Reſponſum ad Papam circa Lunenſis Comitis oppoſitionem. ibid.
§. 6. Cæſaris literæ ad Moronum, & Lotharingium Cardinales. 454
§. 7. Lotharingii Cardinalis animus ad hanc Cæſaris epiſtolam. 455
§. 8. Lotharingii Cardinalis literæ ad Papam. 456
§. 9. Oratores Cæſarei juncta cum Lunenſi Comite opera agere juſſi. 458

§. 10. Reformationis articuli a Cæſare immutati. 464
§. 11. Lunenſis Comitis conſilium a Cæſareis rejectum. 465
§. 12. Legati Moroni conſilium de ſtatuenda Principum emendatione. 466
§. 13. Pragenſis Archiepiſcopi oppoſitio, ac Moroni Legati reſponſum. 467
§. 14. Pontificis dubia circa electionem Romanorum Regis. 469
§. 15. Maximilianus Pontificis petitioni de præſtando fidei juramento obluctatus. 470
§. 16. Cæſareorum rationes contra juramentum a Papa petitum. 471
§. 17. Hanc controverſiam decidendi media. 473
§. 18. Hiſpaniæ Regis conſilium de inquiſitione Mediolani inſtituenda. 476
§. 19. Melitenſis Orator in Generali Congregatione exceptus, ac de Sacramento Matrimonii ſuam ſententiam edicens. 477
§. 20. Decretum circa Matrimonia Filiorumfamilias rurſus correctum. 479
§. 21. Examen de neceſſario teſtium numero. 480
§. 22. Duo articuli poſt longam diſceptationem a Patribus approbati. 481
§. 23. Congregatio pro conciliandis Patribus circa matrimonia clandeſtina. 483
§. 24. Præſens negotium Patribus ab Oſio Legato propoſitum. 484
§. 25. Reliquorum Theologorum ſententiæ circa hoc argumentum. 485
§. 26. Diſputatio ſine ullo ſucceſſu finita. 488
§. 27. Lotharingius Cardinalis Romam profectus. 490

§. 28.

§. 28. Commendonus tanquam Sedis Apoſtolicæ Nuntius in Poloniam decretus. 491
§. 29. Vicecomes a Papa Romam ablegatus, 492
§. 30. Legatorum rationes pro Synodo haud amplius continuanda. 493
§. 31. Legatorum rationes pro abſolvenda Synodo. 495
§. 32. Legatorum ſententia de ſuſpendendo Concilio. ibid.
§. 33. Legatorum opinio de Reformatione in quocunque caſu perficienda. 497
§. 34. Franciæ Regis epiſtola ad Oratores ſuos contra Principum emendationem. 498
§. 35. Franciæ Regis ſcriptum ad ſuos Oratores tranſmiſſum. 499
§. 36. Ejusdem Regis Epiſtola ad Cardinalem Lotharingium. 503
§. 37. Lotharingii Cardinalis reſponſum ad has Regis literas. 504
§. 38. Ferrerii Oratoris querelæ contra Synodum. 507
§. 39. Ferrerii Oratio a Faliſcorum Epiſcopo confutata. 519
§. 40. Ferrerii Apologia pro ſua Oratione. 524
§. 41. Ejusdem Oratoris epiſtola ad Lotharingium Cardinalem Romam transmiſſa. 530
§. 42. Alia ejusdem Ferrerii epiſtola ad eundem Cardinalem. 533
§. 43. Ferrerii querelæ contra primum Legatum. 535
§. 44. Pibraci, & Ferrerii epiſtola ad Regem. ibid.

§. 45.

§. 45. Articuli de Principum reformatione in Concilio propoſiti. 538
§. 46. Lunenſis Comitis impulſu rurſus actum de clauſula: *Legatis proponentibus.* 543
§. 47. Iterata Comitis petitio de tollendis hiſce verbis. 544
§. 48. Congregationes circa viginti, & unum articulos. 545
§. 49. Variæ aliorum Præſulum ſententiæ circa idem argumentum. 548
§. 50. Oppoſita aliorum Præſulum opinio circa exemptiones. 550
§. 51. Articuli examen de reformatione Principum ad aliud tempus dilatum. 553
§. 52. Querelæ contra Papam propter quædam beneficia ab eo collata. 556
§. 53. Reſponſum Pontificis ad haſce Legatorum querelas. 558
§. 54. Sanctio de Principum emendatione per Cæſaris literas expeditior facta. 560
§. 55. Articulus de Matrimoniis clandeſtinis denuo examini ſubjectus. 563
§. 56. Epiſcoporum ſcriptum contra Archiepiſcopos Legatis traditum. 564
§. 57. Pontificis colloquium cum Lotharingio Cardinale circa Synodum. 565
§. 58. Lotharingius Cardinalis Roma profectus, ac Papæ literæ ad ſuos Legatos. 566
§. 59. Pontificis diploma circa clauſulam: *Proponentibus Legatis.* 569
§. 60. Contentio circa primam cauſſarum cognitionem inter Legatos, & Lunenſem Comitem. 570

§. 61.

§. 61. Pontificis ſententia circa plures Franciæ Epiſcopos de hæreſi ſuſpectos. 571

§. 62. Sententia in Navarræ Reginam ab eodem Pontifice pronuntiata. 573

§. 63. Rex de hac ſententia apud Papam queſtus. 574

§. 64. Franciæ Oratores Tridentum reverti recuſantes. 577

§. 65. Congregationes pro diſponendis proximæ Seſſionis decretis. 580

§. 66. Ibidem actum de exemptione Capitulorum, & de prima cauſſarum cognitione. 582

§. 67. Scriptum Roma tranſmiſſum pro abſolvendo Concilio. 584

§. 68. Hoc idem ſcriptum Patribus deferendum Lotharingio Cardinali committitur. 585

§. 69. Congregatio Generalis ad proximam Seſſionem prævia. 586

§. 70. Decreta & recepti Canones ibidem propoſiti. 588

HISTO-



Ecclesia devastata, et Corpus S. Martini Turon. a Calvinistis combustum.

Klauber sc. A.V.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

LIBER CLXIII.

PIUS IV. PONTIF. MAXIMUS, FERD. I. OCC. IMP.

§. I.

Congregationes aliæ circa dogma, & reformationem in Synodo habitæ.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Tridentini Patres adhucdum congregati in Conventu, quem anno priori trigesima Decembris die habebant, demum decreverunt, quindecim

Act. Conc. Trid. Nicol. Psalm. p. 360.

Sæcul. XVI. A.C. 1563

adhuc dierum intervallum esse exspectandum, donec proximæ sessionis tempus præfigeretur: interea vero continuatæ fuerunt Congregationes, in quibus pro more quæstiones ibidem decidendæ tam circa dogma, quam circa reformationem discuterentur.

Die prima Januarii Anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo sexagesimo tertio in Festo Circumcisionis Domini præsentibus omnibus Prælatis res divina peragebatur, ubi sacrum solemniter decantavit Nicolaus Psalmæus Virodunensis Episcopus, sermonem vero peroravit Robertus Furnierus Doctor natione Gallus: altera vero die, quæ erat Sabbatum, rursus convenerunt Patres, atque Moya de Conteras Episcopus Vicensis, & Arrias Gallego Gerundensis Episcopus, necnon Antonius Garrionerus Almerienſis Antistes in hac congregatione cum magna eruditionis laude suas sententias edicebant, & quidem inter eos Arrias vehementer declamabat adversus ambitiosos Præsules, qui potissimam vitæ suæ partem aut in Pontificis, aut aliorum Principum Aulis transigunt, eo fine, ut ibidem pinquiora aucupentur beneficia, quæ licet ab eis impetrata, nondum tamen eorum cupiditatem satiare valent: Almerienſis vero Episcopus proposuit

posuit, Pastores teneri ex juris divini præcepto residere: quam in rem citavit S. Athanasium in quadam Epistola ad Episcopos Sardiniæ, ubi Sanctus hic Pater ait, quod ne paulisper quidem abs necessitate abesse fas sit, & tamdiu Episcopi teneantur residere, quamdiu oves egent præsentia pastoris, fere autem semper egere censeantur: porro die Dominica tertia Januarii nonnisi tertia post meridiem hora celebrata fuit congregatio, in qua perorabant Petrus Faunus Costacciarius Aquensis, & Joannes Carolus Bovius, Ostunensis Episcopus, quorum primus accedebat sententiæ eorum, qui juris divini esse residentiam tuentur, atque in hujus opinionis firmitatem multos auctores allegabat, inter illos vero præcipue Innocentium III. Papam, qui idipsum in quodam decreto asseruit. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. II.

Aliæ Congregationes circa residentiam, & institutionem Episcoporum.

Postea Hugo Boncompagnus, Episcopus Vestanus, prolixius differuit, ut probaret, Episcopo non licere per noctem abesse a sua Diœcesi sine Superioris licentia: Bernardinus vero Delbene patria Florentinus, Episcopus Nemausensis pronuntiabat, sententiam, *Nicol. Psal. l. c.*

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

quæ reſidentiam ex juris divini neceſſitate præceptam aſſerit, adeo non pietati repugnare, ut etiam illam proponere utile videatur: poſtea vero fuſius excurrebat in alios abuſus, quos tollendi ſollicitudo præcipue Patres occuparet. Poſt hunc Joannes de Quignones natione Hiſpanus, Epiſcopus Calaguritanus propoſuit, contra haſce corruptelas nullum magis præſentaneum eſſe remedium, quam ſtatuere reſidentiam juris eſſe divini, & lege divina Epiſcopos ad reſidentiam teneri.

Feria ſecunda alius habebatur Patrum conventus, in quo Itali quidam Canonum Doctores ſatis docte ſuas ſententias promebant, & quinta Januarii die feria tertia pridie ante Feſtum trium SS. Regum veſperi Virodunenſis Epiſcopus indicta congregatione juſſu Cardinalis Lotharingii Archipræſulem Granatenſem, & Epiſcopum Segobienſem adiit, ut eis exhiberet quemdam Canonem, in hunc, qui ſequitur, modum. „Si quis dixerit, Epiſcopos a Romano „Pontifice conſtitutos, non eſſe poſitos „a Spiritu Sancto regere Eccleſiam Dei, „neque Presbyteris eſſe majores, ana„thema ſit.„

Eadem die veſpere nuntiatum eſt Synodo, quod Galliarum Rex prope Drocium de Principe Condæo, ejusque fauto-

fautoribus, qui Hugonottos tuebantur, victoriam reportaſſet. Initum erat hoc prælium die vigeſima Decembris Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo, ad cujus initium palma inclinare videbatur ad Catholicorum hoſtes; verum illorum timor brevi in lætitiam fuit mutatus, cum victoria penes orthodoxos ſine controverſia ſtaret, ac Condæo Principe capto tota ejus factio in fugam ageretur, octo millibus ferme utrinque deſideratis. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. III.

Franciæ Oratorum poſtulata Legatis propoſita.

Cum Franciæ Oratores jam tertia Januarii die ſui Regis poſtulata ad Synodum miſiſſent, Legati altera die quarta ejusdem Menſis Cardinalem Lotharingium adibant, ut hæc capita diſcuterent, ac cum eo deſuper conferrent. Inter alia Legati, an Oratores ex ejus ſententia omnia hæc poſtulata propoſuiſſent, ab eo ſciſcitabantur, & poſtea eum rogabant, ne eadem divulgarentur, donec de mente Pontificis certiores fierent, cum ipſemet promiſiſſet, quod nec per ſe, nec per Oratores in Synodo quicquam proponere vellet, priusquam deſuper Curia Romana notitiam accepiſſet. *Pallav. hiſt. Conc. Trid. l. 19. cap. 11. n. 1.*

Sæc. XVI. A.C. 1563.

§. IV.

Lotharingii Cardinalis responsum ad Legatos circa hæc postulata.

Pallav. l. c. n. 2. Lit. Legat. ad Borrom. 4. Jan. 1563.

Ad hæc respondit Cardinalis: „Ex „hisce postulatis quædam non ap„probo, si tamen desuper discurrendi „occasionem accepero, mentem meam „altera die in Congregatione aperiam: „si vero quis a me quæreret, cur ipse„met Oratores non impediverim, ne „hæc postulata producerent, cum ta„men plenam in eosdem auctoritatem „obtineam, responsum haud aliud mihi „occurrit, nisi quod eandem auctorita„tem antea exercuerim in re magis „necessaria, cum Oratoribus inhiberem, „ne tum duriora proponerent, prout „foret abrogatio *Annatarum*, necnon „alia Religioni perniciosa, & Curiæ „Romanæ minus grata: porro idem „in posterum præstabo in iis omnibus, „quæ læderent conscientiam meam, cui „nunquam reluctaturus sum, etiamsi „Regis imperio adigerer: Cum autem „tradita postulata hujus conditionis „non sint, eaque regium consilium una„nimi consensu comprobasset, nolui il„lis obsistere.

His addebat: „Oratores equidem „hæc postulata proponere festinabant, „eoquod ea de re mandata accepissent, „aliun-

„aliunde vero exprobrantium calu- Sæcul. XVI.
„mnias declinare satagerent, perinde A.C. 1563.
„acsi Synodum protrahere voluissent:
„de cetero vos hoc negotium Pontifici
„communicare poteritis: nunquam e-
„nim nec ego, nec Franciæ Præsules
„officio nostro deerimus. Denique ser
„monem suum absolvens subjunxit, quod
„vehementer optaret, ut petitiones la-
„terent in arcano, donec Pontificis re-
„sponsa legatis redderentur: verum o-
„ratores satius existimarunt illas evul-
„gare, compluribus Patrum id peten-
„tibus, præsertim Italis, ut dissiparentur
„falsi rumores, quibus spargebatur Pa-
„triarchatum totius Galliæ erectum iri,
„ipsimet Lotharingio Cardinali confe-
„rendum.

Enimvero hæc Gallorum postulata quantocius Robadi-Tridenti, & Patavii latino æque, ac Gallico sermone typis edebantur, eaque Legati ad summum Pontificem mittebant per Vicecomitem Ventimilliensem Episcopum, qui etiam die trigesima Decembris Romam venit, eumque mox sequebatur Gualterius Viterbiensis Præsul, quem Lotharingius Cardinalis pro hoc negotio seligebat, eumque solum eo decreviſſet, si Pontificis literæ, quibus Cardinalis Mantuanus Vicecomitem deti-

Sæcul. XVI. A C 1563.

nere jubebatur, ante hujus discessum Tridentum venissent.

§. V.

Reformationis articuli a Franciæ Oratoribus propositi.

Pallav. l 19. c. 11. n. 4. Sarpius l. 7. p. 633. Thuan. l. 35. Psalm. p. 374 Mem. pour le Concil. de Trente p. 368 & suiv.

Hæc itaque Franciæ Oratores in suo libello exponebant: „Constitutum „nobis oratoribus erat jam pridem ex „officii nostri ratione, & christianissimi „Regis mandato ad sanctam Synodum „ea referre, quæ hoc scripto continen„tur: sed cum Cæsarea Majestas per „reverendissimos, & clarissimos viros „Oratores suos eadem fere proponenda „curasset, nostraque omnis petitio cum „eorum postulatis mirifice conveniat, „sustinuimus aliquantulum, expectan„tes, dum aliquid a vobis decernere„tur: quid enim multis postulatis mi„nime inter se pugnantibus, vix etiam „diversis molestum esse vobis necesse „fuit? præsertim cum ea, quæ adji„cienda forte videbantur, vel tacite in„essent, vel necessario ex supra alla„tis profluerent: itaque restitimus, at„que illa proponere distulimus: nunc au„tem iteratis Principis nostri mandatis „compulsi, cum aliunde Cæsareum il„lud negotium expectatione nostra lon„gius protraheretur, differendum am„plius minime censuimus, hinc quan„ta

„ta potuimus ſimplicitate, & compen- Sæcul. XVI.
„dio verborum, ea, quæ nobis ad con- A.C. 1563.
„ſtituendam Rempublicam chriſtianam
„neceſſaria, & opportuna videbantur,
„ſcripto complexi ſumus: hoc autem
„volumus vos exiſtimare, quod nihil a
„ceterorum Chriſtianorum ſalute alie-
„num, aut adverſum petamus, ſed
„commune bonum reſpiciamus: equi-
„dem Carolus Rex noſter exoptat, ut
„petitionum ſuarum omnium ratio ha-
„beatur, ſic tamen a chriſtiana diſcipli-
„na edoctus, & inſtitutus eſt, ut vo-
„bis omnia tribuat, rerumque omnium
„iſtarum rationem, cognitionem, & ju-
„dicium ad vos omnino ſciat perti-
„nere.„

Ceterum hæ petitiones triginta quatuor complectebantur articulos his verbis conceptos: „Rex hæc a vobis in
„Concilio exponi petit, I. cum Sacer-
„dotes inprimis caſtos eſſe oporteat, ex
„Sacerdotum autem incontinentia, in
„Dei Eccleſia magnæ naſcantur offen-
„ſiones, provideat ſancta Synodus, ut
„non alii in poſterum ordinentur Sa-
„cerdotes, quam qui ſeniores ſunt, & a
„populo bonum habeant teſtimonium,
„ut ex anteacta vita, quales poſtea ſint
„futuri, non levis ſit conjectura, ac Sa-
„cerdotum libidines, & flagitia acerri-
„mis Canonum pœnis coerceantur.

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

II. „ Cavendum est, ne eodem die, „aut tempore omnes sacri Ordines ei„dem Clerico conferantur, cum vete„res Patres præcepissent, ut promo„vendus ad majores Ordines, prius in „minoribus digne, & aliquo tempore „versatus esset.

III. „ Nullus Presbyter ordinetur, „cui non continuo secundum Concilium „Chalcedonense detur una cum ordine „beneficium, aut ministerium: sic enim „fiebant ordinationes a priscis illis Pa„tribus, qui titulos presbyterales mul„to postea tempore inventos non agno„verunt.

IV. „ Diaconis, & aliis, qui sacris „Ordinibus initiati sunt, restituatur de„bita, & antiqua functio, ac Ordinis „officium, ne hi Ordines amplius nuda, „& in cæremoniis tantum posita nomi„na dicantur.

V. „ Presbyteri, sacrisque inferiori„bus Ordinibus initiati, & cujusvis Ec„clesiæ ministerio addicti, in ea voca„tione, in qua a Domino vocati sunt, „permaneant, neque in alio munere, & „officio, quam quod Dei ministerium „atque Ecclesiæ obsequium decet, ver„sentur.

VI. „ Nullus eligatur Episcopus, qui „non ætatis sit legitimæ, iisque mori„bus, & doctrina præditus, ut populum „doce-

„docere, & ei vitæ exemplar esse pos- Sæcul. XVI.
„sit, ac denique illis dotatus sit omni- A.C. 1563.
„bus necessariis prærogativis, quæ suf-
„ficiant ad Episcopi munus rite per se
„obeundum.

VII. „Is quoque creetur Parochus,
„qui & probatæ sit vitæ, & populum in
„lege Dei instruere possit, ac Sacrifi-
„cium recte celebrare, & Sacramenta,
„prout par est, administrare, & illorum
„usum, & effectum, illos, quibus ea ad-
„ministrat, recte docere valeat.

VIII. „Ad Abbatiam, & Prio-
„ratum Conventualem, nisi prius
„in celebri aliquo Gymnasio sacras li-
„teras publice professus, & Magisterium,
„aut alium gradum adeptus sit, non ad-
„mittatur.

IX. „Episcopus per se, aut per eos,
„quos ad prædicationis munus assumet,
„qui tot erunt, quot per Diœcesis am-
„plitudinem videbitur opus esse, in Ci-
„vitate, aut in quacunque parte Diœ-
„cesis censebit expedire, omnibus Do-
„minicis, & diebus Festis, tempore au-
„tem quadragesimæ, jejuniorumque
„& Adventus Domini, quotidie ver-
„bum Dei annuntiet, & quotiescun-
„que id opportune fieri posse judicarit.

X. „Idem quoque faciat Parochus,
„si non desint, apud quos concionetur.

XI.

Sæcul. XVI. A 1563.

XI. „ Abbas, & Prior Conven-
„tualis interpretabitur libros veteris,
„& novi Teſtamenti, Xenodochia inſti-
„tuet, ut ita Hoſpitalia, Noſocomia &
„Scholæ reſtituantur, ut hoſpitalitas
„antiquitus uſitata rurſus exerceatur.

XII. „ Qui hodie ſunt Epiſcopi, Ple-
„bani, Abbates, aut alii Eccleſiaſtici,
„ſi ſuum officium per ſemetipſos præ-
„ſtare non poſſint, tunc Coadjutores,
„qui ad obeunda ejusmodi munia ido-
„nei ſunt, ſibi aſſumant, aut omnino be-
„neficia dimittant.

XIII. „ De Catecheſi & ſumma do-
„ctrinæ catholicæ conſcribenda, nec-
„non de ſuccinctis explicationibus, quæ
„Poſtillæ vocantur, ea decernantur, quæ
„Cæſareæ Majeſtati viſum eſt, ad hoc
„ſanctum referre Concilium.

XIV. „ Unum beneficium uni tan-
„tum conferatur, nec quoad eorum plu-
„ralitatem inter beneficia compatibilia,
„& incompatibilia, ſicuti neque inter
„Perſonas differentia fiat, nam hæc di-
„ſtinctio, uti eſt nova, & antiquis Decre-
„tis haud cognita, ita Eccleſiæ ca-
„tholicæ magnam calamitatem attulit.
„Dentur etiam beneficia regularia re-
„gularibus, & fæcularia fæcularibus.

XV. „ Qui verò nunc duo, plurave
„poſſident, aut illud tantum retineant,
„quod intra breve tempus elegerint, aut
„in

„in pœnas antiquorum, & veterum Ca- Sæc. XVI.
„nonum incidant. A.C. 1563.

XVI. „Ut a ſacerdotali Ordine ſor-
„des omnes, & omnis avaritiæ labes
„procul expellantur, nec ullo prætex-
„tu pro rebus divinis, aut Sacramen-
„torum adminiſtratione quicquam exi-
„gatur, curet Epiſcopus aut per bene-
„ficiorum unionem, aut decimarum
„aſſignationem, & ſi hoc fieri non po-
„terit, commode Princeps provideat,
„ut per Parochianorum Symbola, &
„collectas Parochus, & cum eo duo,
„ac plures Clerici habeant, unde vi-
„tam congruam ducant, & hoſpitali-
„tatem præbeant.„

XVII. „In Miſſis Parochialibus
„Evangelium aperte, & dilucide, &
„pro populi captu copioſe in ſuggeſtu
„exponatur: quo in loco illæ preces,
„quæ præeunte plebano a populo fiunt,
„lingua perſolvantur vernacula; ſacri-
„ficio autem, & myſticis precibus in
„latino ſermone peractis poſtmodum
„lingua etiam vernacula publicæ ad
„Deum fiant orationes: eo autem tem-
„pore, & aliis ſtatutis horis cantari po-
„terunt pia, & ſpiritualia cantica, vel
„Pſalmi Davidici prius ab Epiſcopo di-
„ligenter examinati, ſi id e re ſuæ Ec-
„cleſiæ eſſe cenſebit Epiſcopus.

XVIII.

Sæc. XVI. A.C. 1563.

XVIII. „Antiquum illud Leonis, & „Gelasii Pontificum decretum de Com„munione sub utraque specie renove„tur.

XIX. „Ut omnes, præcipue imperi„ti usum, & efficaciam Sacramento„rum intelligant, præcedat semper lin„gua vernacula brevis expositio, quæ „Sacramenti, quod administratur, ra„tionem contineat.

XX. „Beneficia secundum veteres „Canones non conferantur amplius ex„teris, neque per Vicarios, sed per i„psos Ordinarios: quorum in hoc dele„ctu maxima sit industria: illis vero in„tra sex menses non conferentibus, „aut si indignis contulerint, potestas „conferendi devolvatur ad proximum „superiorem, & gradatim ad Papam, se„cundum Concilium Lateranense, & „aliter collatio facta a quocunque nul„la sit.

XXI. „Mandata de providendo, ex„pectativæ gratiæ, Regressus, fiducia„riæ resignationes, & beneficiorum „commendæ revocentur, & omnino ar„ceantur ab Ecclesia, veluti decretis „contraria.

XXII. „Resignationes in favorem „hujus, vel illius factæ omnino a Cu„ria Romana non recipiantur: est enim „a sacris Canonibus institutum, ne quis„quam

„quam sibi sui officii quærat, aut eligat „successorem. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

XXIII. „ Prioratus sæculares, aut „ut dicitur, simplices, quibus contra in„stitutionem cura animarum adempta „est, & translata in Vicarium perpe„tuum, cui tantum exigua quædam „decimarum, aut aliorum proventuum „portio assignatur, cum primum vaca„verint, curam animarum recipiant, & „in antiquum statum restituantur, at„que illis curatis beneficiis, a quibus „fuerunt segregati, rursus uniantur.

XXIV. „ Cum plura sint beneficia, „in quibus contra beneficiorum o„mnium institutionem invaluit depra„vata consuetudo, ut illi, qui ea possident, „nullo teneantur concionandi, Sacra„menta administrandi, aut alio onere „Ecclesiastico, Episcopus consilio Capi„tuli, his beneficiis curam aliquam „spiritualem imponat, aut si utilius vi„deatur, ea beneficia vicinioribus Pa„rochialibus Ecclesiis uniat: benefi„cium enim sine officio neque esse de„bet, neque potest.

XXV. „ Pensiones super beneficiis „non constituantur, & illæ, quæ sunt „constitutæ, tollantur, ac reditus Ec„clesiastici in alimenta pastorum, & „pauperum, aliosque usus pios trans„ferantur.

XXVI.

Sæcul. XVI. A.C 1563.

XXVI. „ Reſtituantur Epiſcopis in„tra omnem Diœceſim jurisdictiones „Eccleſiaſticæ, & tollantur omnes ex„emptiones, quæ tamen relinquantur „Ordinum Superioribus, cunctisque, quæ „iſtis ſubſunt, aut Capitula generalia „faciunt, monaſteriis, nec non iis aſce„teriis, de quibus multis jam retro ſæ„culis, evidentibus Scriptorum monu„mentis conſtat, datam eſſe exemptio„nem, quæ tamen ne ab Epiſcopo„rum correctione omnino ſe eximant, aliqua ratione provideatur.

XXVII. „ Cum Epiſcopus ea juris„dictione uti non debeat ſecundum an„tiqua Decreta, niſi conſulto capitulo, „quemadmodum nec alia ſuæ Diœce„ſis gravia negotia tractare conveniat, „danda eſt diligens opera, ut Canoni„ci cathedralium Eccleſiarum aſſiduo „in Eccleſia cathedrali reſideant bonis „moribus, & ſcientia præditi, necnon „iidem ſaltem vigeſimum quintum an„num attingant, nam ante illam æta„tem, cum non poſſint per leges huma„nas rebus ſuis proſpicere, quomodo „Epiſcopo conſulere poterunt?

XXVIII. „ Retineantur antiqui, aut „novi conſtituantur conſanguinitatis, „affinitatis, vel cognationis gradus, in„tra quos non liceat obtentu cujusvis „diſpenſationis matrimonium contra„here,

„here, exceptis ſolis Regibus, aut Prin-
„cipibus, propter bonum publicum.

XXIX. „ Cum noſtris temporibus „exorti ſint Iconomachi, qui imagines „evertendas cenſent, & maximæ per-„turbationes plurimis in locis ex eo „ſint excitatæ, provideat ſancta Syno-„dus, ut inſtruatur populus, quid de „cultu imaginum ſit ſentiendum: inſu-„per eadem curet, ut illæ, ſi quæ in eis „colendis irrepſerunt, ſuperſtitiones, & „abuſus tollantur; quod ipſum quoque „provideat de indulgentiis, peregrina-„tionibus, reliquiis Sanctorum, & iis „Sodalitatibus, quas vocant Confrater-„nitates.

XXX. „ Quoniam ſæpe ob unum „enorme delictum affligitur univerſus „populus, quem de proximi peccatis „ſollicitum, & anxium eſſe oportet, re-„ſtituatur Eccleſiæ catholicæ non ſo-„lum antiqua illa, propter graves, & „publicas offenſas, publica pœnitentia, „ſed etiam ad Dei iram placandam, je-„junia, & luctus publici, aliaque pœni-„tentiæ exercitia.

XXXI. „ Cum excommunicatio ſit „Eccleſiæ ſupremus gladius, ea non „eſt paſſim pro quovis delicto, aut con-„tumacia decernenda, ſed pro graviſſi-„mo tantum peccato, & tunc cum in „eo poſt unam, & alteram, & non-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„nunquam tertiam admonitionem reus „perseverat.

XXXII. „De beneficiis forenses „controversiæ, quæ universum fere Ec„clesiasticum Ordinem contaminave„runt, non solum breviores erunt, sub„lata petitorii, & possessorii in causis „beneficialibus nuper inventa distinctio„ne, sed insuper omnino Universitati„bus illæ nominationes, quas Basileen„se Concilium illis concessit, aufferan„tur: præterea præcipiatur Episcopis, „ut beneficia, secundum S. Gregorii „Papæ auctoritatem, non ambientibus, „sed fugientibus, & de Ecclesia bene „meritis conferant: merita autem in „universum judicabuntur, si post Magi„sterium, aut alium gradum in scholis „is, cui confertur beneficium, auctore „Episcopo, & probante populo fuerit „publice concionatus aliquo tempore, „cum vero Ordinarius semel benefi„cium contulerit, aut patronus præ„sentaverit, non aliter liceat superiori „conferre, quam si prius præsentatum, „aut eum, cui collatum est beneficium, „eo beneficio judices dignum judica„verint.

XXXIII. „Si aliquando de confe„rendi, aut præsentandi potestate lis o„riatur, primum ab Episcopo Diœce„sano, consulto Capitulo, Oeconomus „bene-

„beneficio vacanti præficiatur, qui fru- Sæcul. XVI.
„ctus omnes percipiat, & munia omnia A.C. 1563.
„Ecclesiæ subeat: deinde litigatores
„consentiant in aliquot viros doctos
„Ecclesiasticos, & si non elegerint, ab
„Episcopo dabuntur, qui saltem infra
„sex menses litem omnem dirimant, a
„quibus appellare non liceat, aut si ex-
„istimet Synodus appellationi deferen-
„dum, mandetur interea executioni
„sententia, neque teneatur Oeconomus,
„aut is, qui sententiam prior obtinuit, re-
„stituere fructus pendente lite perce-
„ptos, qui tantum ministris, & paupe-
„rum alimentis cedere debent: porro
„ita fiet, ut aut nulla unquam de bene-
„ficio lis, aut si quæ fuerit, brevi con-
„ciliatio fiat.

XXXIV. „Decernat sancta Syno-
„dus, ut non solum Synodi Episcopa-
„les quotannis semel ad minimum, sed
„etiam tertio quoque anno, Provincialia
„congregentur Concilia, in quibus de
„his, quæ ad statum Ecclesiasticum per-
„tinent, diligenter tractetur, præcipue
„vero de ministrorum selectu, ac deli-
„ctis mature cognoscatur, & in eos,
„qui deliquerunt, severe animadverta-
„tur. Insuper Concilia generalia, nisi
„aliquod grave obsistat impedimentum,
„decimo quovis anno celebrentur.„

Sæc. XVI. A.C. 1563.

Harum petitionum authographo ſubſcripti legebantur Franciæ Rex, Regina Adminiſtratrix, Alexander Regis Frater, poſtea Henricus III. dictus, Antonius Navarræ Rex, Carolus Borbonius de Rupe ad Yonem, Franciſcus Lotharingius Guiſii Dux, Montmorentius Conneſtabilis, Michael Hoſpitalius Franciæ Cancellarius, Santandreanus, & Franciſcus Montmorentius, ambo Mareſcalli.

Ibidem pariter narrabatur, quod in ſecretiori Senatu, priusquam Lotharingius ad Synodum proficiſceretur, deſuper fuerit deliberatum coram eodem Cardinale, Nicolao Pelleveo Senonenſi Archiepiſcopo, & Joanne Morvillerio Aurelianenſi Antiſtite, ex quorum Conſilio omnes hi articuli fuerunt concepti: præcipue vero urgebatur ille de reſtauranda communione ſub utraque ſpecie, perinde acſi calicis uſus malis in reguo indies magis invaleſcentibus remedium oppido neceſſarium foret.

§. VI.

Congregationes ante Seſſionem continuatæ.

Pſal. p. 361. Feria quarta die ſexta Januarii ob ſolemnitatem tribus Regibus ſacram nulla habebatur Congregatio: altera autem die feria quinta circa reſidentiam

tiam perorabat Petrus Albertus Gallus, Convennarum Episcopus, quem excepit Petrus Danesius itidem Gallus Episcopus Vaurensis, qui præprimis Patres ad reformationis studium hortatus, dixit, quod, licet residentia sit juris divini, non tamen existimet definitionem hujus articuli sanciendam esse, nisi saltem declararentur particularia Episcopi officia: Alexander vero Sfortia de S. Flora, Episcopus Parmensis, admonuit, ut nonnulli Patres mitius agerent cum Curialibus, cum non desint, qui eos tueri parati essent. Postea Martinus Corduba de Mendozza, Hispanus, Ordinis Prædicatorum, Dertusensis Episcopus, ita effatus est: „non „expedit hoc tempore, ut declaretur re„sidentia juris Divini, nam sapit quam„dam præsumptionem, quod id aliqui „petant a Synodo, cum sit Pontificis, „qui est Director Concilii, talia propo„nere in Concilio, nostrum vero est su„per propositis proferre nostras senten„tias: „verum hic idem Episcopus mutata postmodum sententia multum parti, quæ residentiam de jure divino asserit, favere videbatut, quin imo affirmare haud dubitabat, quod Papa de jure divino Episcopos, ut resideant, compellere, necnon obstacula, quæ residen-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

tiæ fructum impediunt, tollere teneatur.

Pſal. act. Conc. Trid. pag. 362.

Feria ſexta die octava Januarii habito conventu Petrus de Xaque, Hiſpanus, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus Nioquenſis, ſatis acerbe declamabat contra eos, qui reſidentiam eſſe juris divini declarari petebant, inſuper contra nonnullos Oratores, qui reformationem cupiebant, ſatis prolixe perorare audiebatur: Melchior vero Avosmedianus, itidem Hiſpanus Guadicenſis Epiſcopus oſtendit, munia Epiſcopalia jure Divino præcepta eſſe: idem ergo dicendum putabat de reſidentia, ſine qua ejusmodi munia exerceri nequeunt, quam in rem allegabat S. Athanaſii Epiſtolam ad Cretenſis Inſulæ Epiſcopum, ubi Sanctus hic Doctor comprobatum reddidit, quod Epiſcopus in ſua Diæceſi aſſidue permanere teneatur, ac nullo pacto ab ea abeſſe poſſit. His addidit, peccatum eſſe grave, & mortale abeſſe a Diæceſi absque cauſſa maxime urgente; unde inſtanter petiit declarari, jure divino præceptam eſſe reſidentiam; poſtea ſermone converſo ad abuſum, qui circa plura beneficia ab eodem poſſidenda in Eccleſiam irrepſit, hortabatur Patres, ut contra haſce corruptelas ſalutaria conderent decreta, in quibus

quibus etiam mentio fiat, ut Cardinalitia dignitas non excipiatur. His dictis narrabat, quod aliquis fuerit in Legionenſi Diæceſi, qui viginti octo, aut triginta habuerit beneficia, Demum Didacus de Leon, Hiſpanus, Ordinis Carmelitarum, Epiſcopus Columbrienſis verba faciens eandem ferme ſententiam, cum minori tamen verborum vehementia propugnabat. Sæc. XVI. A.C. 1563.

Altera die habito Patrum conventu nonnulli Itali Canonicæ jurisprudentiæ Doctores ſuas proferebant ſententias, atque inter ceteros in Calabria Epiſcopus Oppidemſis affirmabat, quod Epiſcopi neque a Deo, neque a D. Petro poteſtatem habeant, ſed a Principibus, qui abſorbent totam jurisdictionem Eccleſiaſticam: verum tam inſulſa opinio nonniſi riſu a toto Patrum conſeſſu excipiebatur.

§. VII.

Solemne ſacrum Tridenti celebratum ob victoriam a Franciæ Rege reportatam.

Die Dominica decima Januarii Lotharingius Cardinalis ritu Pontificio Sacrum de Spiritu Sancto, præſentibus Papæ Legatis, Oratoribus, & Synodi Patribus celebrabat, ut grates Deo re- *Pſalm. 1. c.*

Sæc. XVI. A.C. 1563. ferrentur ob victoriam per Guisium Ducem a Calviniſtis reportatam: ibidem quoque Epiſcopus Metenſis orationem habuit, ſat quidem prolixam, doctam tamen, in qua Ducis Guiſii fortitudinem pluribus exaggerans, tam Belliducum, quam militum, qui in hoc prælio occubuere, memoriam non ſine amplis elogiis faciebat, pro quibus die altera celebrabatur Miſſa per Epiſcopum Meldenſem Ludovicum de Breze; deinde Metenſis admonuit Concilii Patres, ut ſerio procedant ad negotia reformationis, nec ea relinquant intacta, niſi Chriſtianæ Reipublicæ ruinam experiri velint.

Altera die matutino tempore celebratæ ſunt exequiæ pro defunctis militibus Catholicis: veſpere autem habebatur congregatio, ubi Patrum ſententiæ in diverſa abibant, finito demum conventu potiſſima pars Epiſcoporum interfuit exequiis Ludovici Vannini de Theodolis, Epiſcopi Britonorienſis, qui ſenex obiit, ſepultusque fuit apud FF. Prædicatores. Poſtmodum die duodecima Januarii, Andreas Duditius Bardellatus, Hungarus, Epiſcopus Tinienſis in Dalmatia propoſuit calamitatem noſtrorum temporum, maxime in Hungaria, in qua Prælatis cum fidei adverſariis eſt perpetuum bellum; propterea

pterea Synodum hortabatur, quatenus ad reformationem ſeriam properarent, ut Epiſcopi ad ſuas Diæceſes libere reverti poſſent, cum eorum præſentia ibidem ſummopere eſſet neceſſaria, nec ita formidandum inquiebat jus divinum, quo firmandam eſſe Reſidentiam admonuit, refellens argumenta eorum, qui, ſi declaretur id Decreto, nonnihil imminui dignitatem Pontificiam, aliaque plura, neque hoc tempore hanc declarationem expedire falſo contendebant, cum tamen nihil magis neceſſarium ſit, quam ut decidatur, quo jure ſit reſidentia. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Poſtea Spinellus Bencius, Politianus, Epiſcopus Montis-Politiani pariter reſidentiam eſſe juris divini cenſuit. Feria quarta, & quinta, nullæ congregationes habitæ, propter negotia Legatorum: Feria autem ſexta die decima quinta Januarii, Præſulum Congregatio habita eſt, in qua Legatus Mantuanus duo propoſuit, ac primo quidem monuit, ut nonnulli ad confectionem Canonum, & decretorum eligerentur, necnon aſſignaretur dies, in quo proxima Seſſio celebranda eſſet. Hanc in rem placuit Cardinali Lotharingio, quod hi eligantur arbitrio Legatorum, & dies Seſſionis deſignetur ad diem quartam Februarii, juxta Sententiam præ-

Sæcul. XVI. A.C.1563.

fati Legati Mantuani, ea tamen lege, ut mox post Sessionem Patres deliberent de observando alio ordine in dicendis sententiis, ut prolixitas vitetur, & omnis contentio procul arceatur: insuper petiit, ut dein, priusquam de fidei articulis, qui restant, agatur, omnino de reformatione pertractetur: quod omnibus placuit.

§. VIII.

Vicecomes Ventimillienſis Epiſcopus Romam veniens.

Pallav. l. 19. cap. 17. n. 1.

Interea Vicecomes Ventimillienſis Epiſcopus Romam delatus ſummo Pontifici ſuas literas tradebat, ac negotium ſibi demandatum exponens de habita a Synodi Patribus agendi ratione, necnon de variis, quibus agitantur, affectibus eundem certiorem reddebat, ſimulque enarrabat media, quæ ad ſuperandas cunctas difficultates tam Legati, quam Epiſcopi Sedi Apoſtolicæ addicti adhibenda cenſuiſſent. Pontifex quinto poſt die, ſeu tertia Januarii habito Purpuratorum Senatu ſe agendi rationem, quam ſui Legati exhibuerunt, acceptam, ratamque habere demonſtrabat, ſtudiumque Lotharingii Cardinalis pluribus deprædicans Cardinalibus præcipiebat, ut inter ſe conferrent circa articulum de Inſtitutione Epiſcoporum, eo-

quod

quod tum hic magis, quam ceteri urgeret: quapropter ipsemet Pontifex cunctis hisce deliberationibus intererat. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. IX.

Duo Cardinales a Pio IV. creati.

Die sexta Januarii tribus Sacris Regibus sacra, quæ Pontificiæ coronationis anniversaria erat, Pius IV. duos Præsules Cardinalitia decorabat purpura, quorum primus erat Fridericus Gonzaga Herculis Cardinalis Nepos, ac Mantuani Ducis Frater, qui natus erat Anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo, ejusque Parentes extiterunt Fridericus I. Mantuanus Dux, & Margarita Paleologa Montferratensis Ducissa: porro idem nominabatur Cardinalis Presbyter titulo S. Mariæ Novæ. Alter erat Ferdinandus Medicæus Cosmæ Florentiæ Ducis Filius, ac Joannis Cardinalis Frater.

Ciacon. vit. Pontif. t. 3. pag. 945. Pallav. n. 2. & 3. Pfal. p. 367. Raynald. hoc anu. num. 10.

§. X.

Papæ consilium Bononiam eundi, ut Synodo magis vicinus esset.

Altera die septima Januarii summus Pontifex Friderici Gonzagæ electionem Friderico Mantuano significabat, simul eidem declarans, quod brevi Bononiam venturus esset, ut ibidem Religionis negotiis prospiceret, cum spera-

Pallav. cap. 12. n. 3.

Sæc. XVI. A.C.1563.

speraret, quod eo facilius, quo vicinior Synodo adesset, emendationem propositam perficere, ac omnia ad res Christianæ Reipublicæ rite componendas media magis opportuna, atque optatæ Ecclesiæ utilitati necessaria adhibere posset. Ast id facilius impetrare valuisset, si Synodus Bononiam transferri potuisset, hinc suspicandi locus est, quod fors id quoque intenderit Pontifex, qui hac de re etiam prævie Bononiensem Senatum certiorem reddi voluit.

§. XI.

Papa a Cardinale Mantuano hoc iter differre rogatus.

Pallav. n. 4. Verum Cardinalis Mantuanus specie-tenus quidem, ut ob Nepotem suum ad purpuram promotum gratum exhiberet animum, re tamen ipsa Episcopum Nolanum eo fine ad summum Pontificem ablegabat, ut eidem Roma excedere dissuaderet, quapropter eidem significari jussit, quod minus consultum esset ad Synodum venire, cum ejus adventus nonnisi ad concitandos novos tumultus conferre videretur: ut proin satius esset, si de proximo ejus adventu rumor spargeretur, nunquam autem hoc iter aggrederetur, sed potius Romæ eorum, quæ contingerent, specta-

ſpectatorem ageret, niſi ſe multis faſtidiis exponere vellet: de cetero autem Cardinalis Mantuanus ſua ex parte ſedulo ſe exploraturum ſpondebat, quo inclinarent controverſiæ a Patribus agitatæ circa inſtitutionem, ac reſidentiam Epiſcoporum, & quodnam demum ſuſciperetur conſilium de Cæſareis, Gallicisque poſtulatis. His monitis ceſſit Pontifex, ac deinceps Romæ ſubſtitit. Sæcul. XVI. A. C. 1563.

§. XII.

Pontificis Monita ad Regem Hiſpaniæ, hujusque reſponſum.

Sub idem tempus Pius IV. Philippo II. Hiſpaniæ Regi ſignificari juſſit, quod de pluribus Regni ejus Præſulibus, qui Synodo aſſiſterent, juſtam querendi cauſſam haberet, eoquod hi hæreſes eliminare, Eccleſiæ fidem ſtabilire, ac morum emendationem urgere adeo non ſint ſolliciti, ut potius plures nullius frugis, imo & noxias excitare controverſias intenti forent, atque inde nonniſi fomitem contentionis inter Patres, & ſchismatis ſcintillas in Chriſtiana Republica ſuſcitarent, nec non Cæſareis ſeſe junxiſſent, ut ſuam factionem magis potentem redderent. *Pallav. n. 5. & 6.*

His poſtea addidit, quod ad ſedandos hoſce tumultus neceſſarium foret, ut Rex Oratorem ad Synodum ablegaret,

Sæcul. XVI A.C. 1563.

ret, qui piam Regis sui voluntatem Hispanis Præsulibus declararet, ejusque auctoritate munitus illos eo induceret, quatenus Principis sui consiliis & ipsi morem gererent. Hæc Sedis Apostolicæ Nuntii Pontificis nomine ad Philippum Regem perscribebant: Rex vero acceptis hisce literis rem edoctus, Nuntiis significabat, quod tanquam Oratorem suum ad Synodum decreturus esset Lunensem Comitem, atque hic unacum Castellio, qui Lunensi a secretis esset, jamjam discessisset. Porro hic idem Castellius per Gallias transire, ac cum Carolo IX. & Regina ejus Matre conferre jubebatur de mediis, quibus concordia in Concilio restaurari, Sedisque Apostolicæ dignitas conservari posset.

Pariter Philippus Rex per nuntium speciatim ablegatum Lunensi Comiti, ut iter suum Tridentum versus acceleraret, injunxit, eique mandata transmisit, quæ Nuntiis communicaret: cum ergo Pius IV. Hispaniæ Regem singulari erga Religionem studio flagrare cerneret, mox ipsus etiam datis ad Lunensem Comitem literis eundem, ut adventum suum maturaret, rogabat, simulque ei exponebat, sibi pergratum accidisse, quod ipse tanquam Orator ad Synodum a Philippo II. electus fuisset.

Hanc

Hanc epistolam Legati a Papa recepe- Sæcul. XVI.
rant, eamque Comiti Augustæ, ubi ad- A.C.1563.
huc hærebat, per Scipionem Lancel-
lotum Synodi Advocatum tradi jusse-
runt, qui eidem Pontificis desiderium
de ejus adventu exponeret, simulque
eum, ut iter suum acceleraret, rogans
illi Cæsareorum, ac Gallorum postulata
communicaret, ut de illis certior fie-
ret: nec minori sollicitudine Pontifex
Lotharingii Cardinalis benevolentiam
sibi conciliare, eumque suis studiis pe-
nitus addictum reddere satagebat.

Hic idem Cardinalis anno priori Bertonum, quem ab epistolis habuit, Romam ablegabat, ut apud Pontificem quereretur, cum ejus fama absque caussa læderetur, falsoque insimularetur, quod in omni sua agendi ratione nullam sinceritatem, ac candorem præseferret. Ad hæc reposuit Pontifex: „compertum „nobis est, quanta ex antiquo tempore „esset Romæ licentia loquendi, obloquendique de omnibus, etiam de ipso „Principe, cui tamen potentia deest „illius refrœnandæ, hinc salubre, atque unicum contra maledicos istos rumores est remedium, ut Lotharingius Cardinalis, quo deterius alii blaterant, eo melius agat, ac tanto majori utatur prudentia, quanto liberius „alios ad calumnias effundi cerneret,

„de

Sæcul XVI. A.C. 1563.

„de reliquo certus sit, quod nos illam „de eo opinionem habeamus, quam „ejus merita, & sapientia deposcerent, „adeo, ut eidem satis sit, si *malignum „sperneret vulgus*, ac negligeret oblocu„torum convitia: unice autem navet „operam tam communi Ecclesiæ bono, „quam proprio Galliæ commodo, nam „utrumque a nobis promotum iri spon„demus, quantum in viribus nostris „est, prout fusius jam Episcopo Viter„biensi manifestavimus.„

§. XIII.

Legati cum Lotharingio Cardinale juncta opera agere jussi.

Pallav. c. 12. n. 8. & 9.

Sub idem tempus Pontifex Legatis hæc significari voluit: variis ex locis nobis nuntiatur, quod Lotharingii Cardinalis exigua ratio habeatur, atque idem se vilipendi, imo & instar inimici haberi queratur, quamobrem præcipio, ut cum eo omnia Synodi negotia conferantur, nihilque eo inscio decidatur.

§. XIV.

Acrius responsum Legatorum hoc mandatum indignantium.

Legati hoc mandatum ægre ferentes summo Pontifici hæc rescripserunt: „Haud parum miramur, a Sanctitate vestra

„veſtra tot mendaciis, ac calumniis „fidem haberi, poſtquam toties eandem „hac de re monuimus: hinc ſane ca- „pere non poſſumus, qua ratione San- „ctitas ſua ſibi perſuadere poſſit, quod „nobis a Lotharingio Cardinale tanquam „ab inimico caveamus, quando tam „ſæpe in noſtris literis res ab eo geſtas, „ac dictas commendavimus; ſemper „enim compertum nobis fuit in hoc „Cardinale tantum probitatis, Religio- „nis, ac ſtudii in ſummum Pontificem, „& Sedem Apoſtolicam, ut ejus præ- „ſentia Tridenti ſemper nobis gratiſſima „fuerit, eumque veluti pacis Angelum „a Deo ad Synodum miſſum exiſtima- „verimus: ideo adhibuimus omnem „induſtriam, ut ſiniſtram opinionem „ante ejus adventum conceptam glo- „rioſe detergeremus; credebatur enim „Tridentum veniſſe eo duntaxat ani- „mo, ut Sedem Apoſtolicam everteret; „de hac tamen calumnia datis ad Bor- „romæum Cardinalem literis queſti „ſcripſimus, quod ſiniſtra hæc opinio „nonniſi a perverſis hominibus diſſidia „ſuſcitandi ſtudioſis divulgata fuiſſet: „de cetero Lotharingium Cardinalem „de omnibus Synodi negotiis certiorem „reddidimus, nec ullam animadverti- „mus cauſſam, ob quam erga illum diſ- „ſimulatione uti oportuiſſet, ut proinde Sæcul. XVI. A. C. 1563.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„Beatitudo veſtra ab inutili hac mo„leſtia, ac cura libera eſſe poſſit.

§. XV.

Pontificis reſponſum circa modum decreta, & Canones condendi.

Pallav. n. 10. Sarpius l. 7. pag. 635.

Interea Romæ circa modum decreta conficiendi accuratior opera impendebatur, ac perpenſis prius rationibus, quæ Tridento Romam miſſæ a Vicecomite exponebantur, in hanc ſententiam Legatis reſponſum eſt. I. Ipſis communicabantur variæ animadverſiones, quæ de Decretorum tenore concipiebantur. II. Cum admota eſſet manus ad formandos canones de Hierarchia, atque a Cardinale Lotharingio præter ſeptem jam paratos octavus fuiſſet propoſitus, quo ſummi Pontificis prærogativæ declararentur, tum neceſſarium cenſebatur, ut adderentur verba alias memorata, ac pene ad verbum exſcripta ex iis, quæ Florentina Synodus definierat, ſine quibus ſententia manca, & ambigua remanſiſſet. III. Curent idcirco Legati, ut Canon eo modo conficeretur, quamvis vero credendum eſſet, eos in tam æqua petitione obſtaculum non offenſuros, ſi tamen forte illud offenderent, ne propterea deſiſtant, ſed conatum omnem exerceant ad illud ſuperandum, conſiderata

derata intentionis æquitate, necnon veneratione, quam inſpiret auctoritas tam ſancti, venerandique Concilii, cujusmodi fuerat Florentinum. Eapropter in Septimo Canone ſtudioſe attendebatur, ut retineretur ea forma, cujus auctor erat Cardinalis Lotharingius, ita tamen, ut ea in quibusdam vocibus emendaretur, unde ſequentes tres formulæ præſcribebantur, inter quas prima ſecundæ, ſecunda tertiæ præferebatur, adeoque eo etiam ordine illas proponere Legati jubebantur. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. XVI.

Tres diverſæ Canones concipiendi normæ.

Porro tres hæ normæ erant ejusmodi.

I. *Anathema ſit, ſi quis dixerit, Epiſcopos aſſumptos a Romano Pontifice, in partem ſollicitudinis, non eſſe poſitos a Spiritu Sancto ad regendam Eccleſiam Dei in ea parte, ad quam aſſumpti ſunt, aut per Sanctam ordinationem non eſſe majores Presbyteris.* Præmiſſis his ſequebantur ea, quæ in Canone per Lotharingium dictato continebantur, ac pariter in duabus aliis formis habebantur, hujus tenoris: *aut non habent Epiſcopi poteſtatem ordinandi, aut ſi habent, habent communem cum Presbyteris, aut Ordines ab ipſis collati*

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

latio sine consensu, & vocatione populi, irriti sunt.

II. *Anathema sit, qui dixerit: Ordinem, aut gradum Episcopalem non esse institutum a Christo in Ecclesia: aut Episcopos per Sanctam Ordinationem non esse majores Presbyteris.*

Tertia forma erat hæc: Anathema sit illi, si quis dixerit: *Episcopos nullo modo esse institutos a Christo in Ecclesia, aut per Sanctam ordinationem non esse majores Presbyteris,* Porro hæc forma nonnisi septimum Canonem respiciebat: octavus vero ita sonabat: *Anathema sit, si quis dixerit, B. Petrum per institutionem Christi non fuisse primum inter Apostolos, & ejus Vicarium in terra, vel necesse non esse, ut sit in Ecclesia unus Pontifex, D. Petri Successor, eique æqualis in auctoritate regiminis, atque in Romana Sede legitimos ejus Successores ad hoc usque tempus non habuisse jus Principatus in Ecclesia, nec fuisse Patres, Pastores & Doctores omnium Christianorum, nec fuisse ipsis traditum a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem pascendi, regendi & gubernandi Ecclesiam universalem.*

§. XVII.

Canonum norma Romæ nonnihil emendata.

Præter

Præter haſce literas Cardinalis Bor- Sæcul XVI, A.C.1563.
romæus Legatis aliam dedit epiſto-
lam Cardinali Lotharingio communi-
candam, in qua ſedulo prætermitte- *Pallav. l.19. c.12. §.14.*
bantur mandata ipſis tradita, ſi forte
quicquam opponendum cenſerent: in
his tamen literis impenſum oſtendeba-
tur ſtudium, vi cujus formula a Lotha-
ringio Cardinale propoſita, quantum
liceret, retinenda eſſet, ubi addeban-
tur quoque Theologorum Romanorum
animadverſiones, ut de mutationibus
in Canonum forma factis ratio redde-
retur; nam præprimis Epiſcopis Pon-
tifice inferioribus denegabatur nomen
Vicariorum Chriſti, quamvis enim Ec-
cleſia in præfatione ad Miſſam de Apo-
ſtolis eos appellet *Operis Domini Vica-
rios*, & nonnulli ex antiquis Patribus
hoc nomen uſurparint ante hæreſes ex-
ortas, nihilominus recentiores Eccleſiæ
Patres eam poſtea tituli rationem Epi-
ſcopis univerſim non tribuebant, ut evi-
tarent ambiguitatem, quæ frequenter
errorem nutrit. De cetero in hac epi-
ſtola, dicebatur, quod is, qui Sacramen-
tum quodpiam adminiſtrat, in ea fun-
ctione Chriſti vicem exerceat: inſuper
in eo loco, ubi Cardinalis Lotharin-
gius aſſerebat, *fuiſſe inſtitutos a Chriſto
Epiſcopos*, Epiſcoporum loco appone-
bant hæc verba *Ordinem*, *aut gradum*

Sæcul. XVI
A. C. 1562.

Episcopalem, ne damnarentur plures Doctores de Catholica Ecclesia bene meriti, qui affirmant, quod proxime ab ipso Christo solus Petrus fuerit institutus: reliqui vero per Divum Petrum, aut per ejus auctoritatem selecti, ut proinde satius foret, ejusmodi seligi verba, quibus utraque Sententia salva esset, præcipue vero ne laxaretur aditus importunis illis contentionibus, quibus Pontifici denegaretur facultas restringendi Episcoporum auctoritatem.

Insuper corrigebantur hæc verba a Cardinale Lotharingio apposita, quibus exprimebatur, *Episcopos fuisse positos a Spiritu Sancto ad regendam Ecclesiam Dei.* Equidem hæc verba a Divo Paulo prolata fuere in actis Apostolorum, sed Correctores ajebant, ibi sermonem fieri peculiarem de Ecclesia Ephesina, non de universali: præterquam quod nomen Episcoporum illic non accipiatur in arctiori significatione, sed latius pro cunctis Ecclesiæ Senioribus, ad eam administrandam præpositis, sicuti ex integro contextu satis manifeste colligitur: insuper tam in hujusmodi particularum mutatione, quam in additione, ut firmaretur Romani Pontificis prærogativa, visum est Theologis, Canonem clarius esse exponendum, quandoquidem animadvertebatur, cunctas

novas

novas hæreſes quaſi lineas eſſe, quæ per varias ſemitas ad hoc centrum unice concurrebant, ut ſupremum Caput ipſi Eccleſiæ tolleretur, cum tamen perſpicuum eſſet, ſublato capite omnia membra perire. Alteram ſimul Epiſtolam ſcripſit Pontifex ad Cardinalem Lotharingium, in qua illi victoriam, quam Dux Guiſius ejus frater ſua virtute in Galliis reportaverat, gratulabatur, nec minus eidem ſignificabat, quod Bononiam contendere ſtatuiſſet, ut ejus conſiliis hac in re ſibi datis aquieſceret, nulla tamen ab eo facta fuit mentio de Mantuano Cardinale, qui ſe huic itineri opponebat, prout ſupra meminimus. Sæc. XVI. A. C. 1563.

§. XVIII.

Intrepidum Legatorum reſponſum ad Cardinalis Borromæi epiſtolam.

Hæ literæ parum placuere Legatis, præcipue vero Borromæi Cardinalis epiſtola offendebantur, unde eam quantocius unacum Theologorum Romanorum animadverſionibus Lotharingio Cardinali exhibebant, cui hæ mutationes minime probabantur, atque ipſimet Legati inde parum contenti videbantur, quapropter Romam ſcripſerunt hunc in modum: „ſatis nobis „accidit moleſtum, quod nobis verba *Pallav. cap. 13. num. 2.*

Sæcul. XVI. A. C. 1563

„desint, quibus satis exponeremus summo Pontifici, ejusque consiliariis, in „quonam statu Concilium versetur, & „quam periculosum sit, quodcunque „aliud susciperetur consilium præter „pacificum illius exitum, cui adversari videntur ea mandata, quæ nobis „Roma fuere transmissa: inde vero nobis obstaculum ponitur, quo minus „illos, qui Pontifici minus addicti sunt, „conjungamus, quinimo facile etiam „hac agendi ratione inter illos, qui se „illius studiosos profitebantur, discordiarum semina spargi possunt, quæ ortum ducent a cupiditate majus studium „ostentandi erga Sedem Apostolicam.„

„His addebant:„ animadversiones Roma ad nos missæ Patribus, ac Theologis Tridentinis visæ non fuere tanti „pretii, quantum temporis ab earum „Auctoribus ad id impensum: Lotharingius quoque Cardinalis, quampri„mum illas pervolverat', minus se contentum exhibuit, easque & loco, unde „prodierant, & Viris, qui eas dictabant, „indignas esse reputavit.„

„Insuper subjungebant Legati: omnibus mirum accidit, Romæ non fuisse „animadversum, quod tunc, si Concilii Florentini verba non prius exploratis Patrum animis proponeren„tur, facile excitari posset vehemens „de

Sæcul. XVI. A.C 1563.

„de Pontificis auctoritate disputatio, „quæ tamen omni studio est fugienda: „porro a Lotharingio Cardinale sub- „inde difficultates expositæ fuere, quas „is deprehendebat in forma Canonum „Romæ concinnata: postquam autem „hic cum ingenti mansuetudine expo- „nebat, quod præsentis negotii con- „ditio exposcat, omnium harum diffi- „cultatum rationem non esse haben- „dam, in hoc tandem consilium de- „venit, quod iniquitas temporum po- „stulet, ut tam per Doctrinæ decreta, „quam per Canones statuatur Pontifi- „cis auctoritas: ipse vero se arbitrari in- „quiebat, opus esse, ut Episcoporum „auctoritati, cum hæc sit Pontificia „inferior, atque ab ea dependens, Pa- „pæ potestas præponeretur, atque ideo „Canon octavus in septimum, & septi- „mus in octavum mutaretur: insuper „idem Cardinalis promisit, quod ipse „quidem operam navare velit, ut „prior iisdem verbis, quibus Romæ con- „ceptus erat, unico verbo ob posterio- „ris respectum adjecto communiter re- „ciperetur, in posteriori autem oppor- „tunas mutationes quasdam fieri opor- „teret, quas is scripto exhibebat, erant- „que numero quatuor. I. Nominetur „Romanus Pontifex non simpliciter „*Christi Vicarius*, sed *supremus Christi*

Sæc. XVI. A.C. 1563.

„*Vicarius:* cum utique Episcopi quo„que, atque etiam simplices Sacerdo„tes sint aliquo modo Christi Vicarii „ex Canone *Mulierem*, caussa 33. quæst. „5. II. Si Canon septimus ponitur se„cundum primam ex tribus formulis „Roma missis, deleantur ea verba, *in „partem sollicitudinis*, ac mere dicatur, „Episcopos a Pontifice assumptos, a „Spiritu sancto positos esse. III. Non „exprimantur functiones Episcoporum, „quin simul adjiciatur, eos posse *regere*, „*ac Sacris interdicere*, quod pertinet ad „jurisdictionem. IV. Episcopi non di„cantur simpliciter *Majores*, sed *Supe„riores* Presbyteris, quod auctoritatem „importat.

§. XIX.

Congregatio ad concinnandum postremum doctrinæ caput, & duos ultimos Canones.

Pallav. c. 13. num. 4.

Insuper Legati in sua epistola hæc addiderunt, „coegimus particularem „cœtum Patrum, quorum alii Theo„logi erant, alii autem Canonum pe„riti, eisque adjunximus Marcum An„tonium Columnam Archiepiscopum „Tarantinum, & Dominicum Bolonum „Episcopum Brixiensem, qui omnes „consenserunt, ut hæ mutationes ad„mittantur, desuper tamen obstrepebant „Pe-

„Petrus Antonius Capuanus, Archie- Sæcul. XVI.
„piscopus Hydruntinus, necnon Epi- A.C. 1563.
„scopus Alexander Sfortia Parmensis,
„& Sebastianus Vantius Urbevetanus,
„quorum quidam magis, alii vero
„minus se alienos ostenderant: sed ipso-
„rum difficultates fuerunt a reliquis
„plene dissolutæ: præterea omnes ani-
„madversiones unacum mutationibus
„factis, quas censores approbarunt,
„transmisimus ad Cardinalem Lotha-
„ringium, qui cum nos inviseret, æ-
„grum animum præsetulerat, fassus,
„spem sibi non esse, ut efficere possit,
„quatenus illæ ab Hispanis, Gallisve
„recipiantur, imo ne ipsemet illis assen-
„surus sit, nisi a Spiritu Sancto aliter
„impelleretur: nos hoc responsum
„haud parum commovit, cum omnium
„simus præscii malorum, quæ timen-
„da sunt, nisi concordia obtineatur,
„cum præsertim ille postremus jam
„dies sit ad diem futuræ Sessioni præ-
„scribendum, hinc injunximus Paleotto,
„ut ipse digereret ultimum doctrinæ
„caput, duosque postremos Canones,
„pro eo, ac idem arbitraretur id con-
„sonum esse sententiæ utriusque partis,
„quæ ambæ illis auditis consensum illico
„absque contentione præbuerunt: in-
„super visum quoque nobis est, quod
„voces hæ adjectæ, *assumptos a Romano*

„*Pon-*

Sæcul. XV. A. C. 1563.

„*Pontifice*, validum existant remedium „adversus quamcunque iniquam reli„quorum verborum interpretationem, „eoquod hæc una cum eo, quod addi„tum legitur, nonnisi de jurisdictione „intelligi possint: quamvis vero non ex„primeretur, Episcopos assumi in par„tem sollicitudinis, id tamen colligi„tur per evidentem consecutionem, „quandoquidem fulcris ampliſſimis, ac „prævalidis Romani Pontificis au„ctoritas firmabatur, adeo ut dici „non valeat, Episcopos a Papa assumi, „nisi in eam partem, in qua Pontifex „illis indigeret, ad Ecclesiam admini„strandam: existimavimus igitur, ejus„modi consilium suscipi posse: siquidem „hac ratione Pontificis Romani præro„gativa post tam atroces recentium „hæreticorum oppugnationes confirma„tur, quin ulla ex parte quidquam in „illa imminueretur.„

§. XX.

Mala Synodo impendentia a Legatis Pontifici exposita.

Pallav. c. 13. num. 4.

„Si vero, prosequebantur Legati, hæc „concordiæ via non succederet, Car„dinalis Lotharingius aperte prædixit, „nunquam celebratum iri Sessionem, „eoquod extremam offensionem id illaturum fuisset nationibus Transalpinis, cum

cum nobis ipsis innotescceret, quod non possint Catholici de Romani Pontificis auctoritate inter se convenire: præterquam quod timenda esset ingens contestatio, nec ea quidem levis, sed fortasse cum provocatione ad aliam Synodum magis liberam: insuper posset ex hujusmodi dissidiis sequi Synodi dissolutio, cui tamen nos nunquam consensuros profitemur sine diserto Sacræ Sedis mandato a Pontifice subscripto; cum enim ex ea gravissimæ calamitates Ecclesiæ impendentes a nobis probe prospiciantur, ideo æquum non est, ut in nos tota culpa recidat, qui tamen ad hoc operam non contulimus, imo fortiter potius repugnamus, utpote qui si summi boni auctores esse non potuimus, saltem tanquam mali Auctores traduci nolumus: itaque Sanctitas sua decernat, an consilium, quod suppeditamus, sequi, quod nobis æquissimum videtur, aut eo rejecto potius permittere velit, ut quodcunque incommodum inde succedat: insuper animadvertimus magnam conjunctionem Cæsaræorum, Gallorum, & Hispanorum, sive demum hæc concordia ad petitiones in Synodo a Cæsareis, Gallisque factas tendat, sive ex eo vigeat, quod Hispani Gallorum voto de residentiæ negotio consentiant: hinc verosimile videtur, Gallos

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

Sæcul. XVI. A.C. 1563. Gallos viciſſim cum Hiſpanis de aliis argumentis conventuros.

§. XXI.

Seſſio ad quartam Februarii diem præſtituta.

Pallav. n. 5. Sarp. l. 7. pag. 637. Denique Legati hæc ſignificabant: „in quadam Congregatione die decimo quinto Januarii habita ex unanimi omnium conſenſu fuit præſcripta Seſſio ad diem quartam Februarii, ſimulque ibidem ſtatutum, ut a nobis aliqui deligerentur ad conficiendum reſidendi Decretum: habemus enim in animo, duos Cardinales, Lotharingium, & Madrutium Tridentinum eligere; quia hic tametſi juvenis, præditus tamen eſt ingenti rerum peritia, prudentia, ac ſingulari in Pontificem ſtudio. Huic epiſtolæ, quæ Pontifici parum accepta erat, adjungebatur altera, in qua eidem Legati Synodi faciem penitus eſſe mutatam ſignificabant.

§. XXII.

Gallorum cavillationes contra decretum, & Canones.

Pallav. n. 6. & 7. Enimvero eadem die Lotharingius Cardinalis Paleottum ad ſe acceſſens, eundem his verbis allocutus eſt: „non potui quantavis adhibita diligentia, Gallos Præſules, & Theologos eo indu-

Sæc. XVI. A.C. 1563.

inducere, ut decretum, & Canones, de quibus agitur, acceptarent; nam I. nolunt, ut apponatur in Decreto, ab Episcopis locum obtineri a Romano Pontifice dependentem, nam illi objiciunt, quod ordinis potestatem certe ab illo non recipiant, an vero saltem jurisdictionem, in controversia id versaretur. II. In Canone, qui septimus erat, non admittunt ea verba, *inesse potestatem summo Pontifici regendi Ecclesiam universalem*, cum illa officerent sententiæ, quæ negat, eum esse superiorem Concilio: ideo loco harum vocum, *Ecclesiam Universalem*, ponendum dicunt, *omnes fideles*, & *omnes Ecclesias*. III. Petunt, ut in altero Canone Episcopos esse institutos a Christo Domino liquido declaretur, neque addantur illæ voces, *assumptos auctoritate Romani Pontificis*, sed simpliciter asseratur, *assumptos a Romano Pontifice*. IV. Denique non consentiunt, ut diceretur, *esse Romanum Pontificem æqualem D. Petro in auctoritate regendi:* siquidem ubi major est Sanctitas, ibi pariter ajebant auctoritatem esse majorem, adeo, ut possint quædam a Divo Petro confici, quæ Successoribus negantur, cujusmodi erat Libros Canonicos dictare.

Cunctas hasce difficultates distincte Paleotto tunc non exposuit Cardinalis Lotha-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Lotharingius, sed tantummodo excusavit se, quod antea plus, quam fas esset, confisus sibi persuasisset, se quoque, quemadmodum doctioribus satisfecerat, id apud Franciæ Episcopos effecturum, quod postea tamen reipsa, quantavis impensa industria adeo non eveniisset, ut spem quoque omnem rei aliquo pacto conficiendæ amisisset.

Hasce mutationes Synodi Præsides in altera epistola, prout diximus, summo Pontifici nuntiabant: ut vero illam opportune adhuc transmittere possent, nuntium, cui priorem epistolam tradiderant, revocabant, eumque per aliquot horas detinebant: sub idem vero tempus ambo Legati Osius, & Simonetta cum Cardinale Lotharingio conferebant, eum rogantes, ut id perficeretur, quod antea statutum fuerat: ast ille ingenue fatebatur, quod res nondum, prout ipsi sibi persuaserint, adeo maturata esset, atque ipse affirmantium opinioni adhæreret, non tamen sibi tantæ vires suppeterent, ut Gallos Præsules ad sua studia inclinare, atque a negantium parte dimovere posset.

Altera die Legatos conveniens idem confirmabat, eisque quatuor Gallorum Præsulum difficultates, quas attulimus, sigillatim exponebat: verum propterea Legati a sententia nequaquam recesserunt,

runt, quapropter negotium dedere Caſtaneæ, Boncompagno, Facchinetto, Paleotto, & Caſtello, ut quatuor hæc dubia diſcuterent, quorum etiam reſponſum communicabatur Lotharingio Cardinali, qui re cum Oratoribus collata eos rogabat, ut ſua auctoritate apud Legatos, & Gallos Præſules concordiam promoverent, atque tam hi, quam iſti quicquam de ſuis petitis remittentes ad mutuam pacem concurrere vellent. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. XXIII.

Lotharingius, & Madrutius Cardinales ad concinnandos Canones Deputati.

Interea Legati feria ſecunda die decima octava Januarii habito Patrum Conventu Lotharingium, & Madrutium nominabant, ut decretum circa reſidentiam conficerent, data eis facultate alios etiam Synodi Epiſcopos in laboris ſocios advocandi. Id omnibus placuit, niſi quod Antonius Ciuxelia, Barenſis, Epiſcopus Buduenſis, more ſuo contradiceret, inquiens, Cardinales non admittendos eſſe ad conficiendum de reſidentia decretum, cum ipſi non reſideant: verum nullus omnino ejus querelæ deferebat, quocirca aliorum Patrum ſententia exquirebatur: *Pallav. c. 14. num. 1. Pſal. p. 364. & 365. Sarpius l. 7. pag. 638.*

Sæcul. XVI. A.C. 1563

ubi inter ceteros primi verba faciebant Petrus Daneſius Epiſcopus Vaurenſis, & Hieronymus Claravallenſis Abbas: porro Vaurenſis, qui ob adverſam valetudinem jam dudum a Patrum congreſſibus aberat, ex Sancti Cypriani, Ambroſii, & Auguſtini teſtimoniis comprobatum ibat, quod reſidentia Epiſcoporum ex jure Divino ſit ſancita, ac Chriſtus Dominus Epiſcopos unice, ut gregem paſcerent, inſtituerit, id vero munus absque reſidentia exercere non poſſent, adeoque declaranda eſſet hæc veritas, ut tollatur omnis diſpenſandi occaſio circa jus divinum: neque propterea derogari inquiebat auctoritati ſummi Pontificis, cujus eſt interpretari jus divinum, inſuper ajebat, quod id non ita arcte accipiendum ſit, quin abeſſe poſſit Epiſcopus, ſi id ſuadeat ſui gregis utilitas, & alia cauſſa legitima quandam a ſua Diæceſi abſentiam depoſcat, prout inſinuaſſet Lotharingius Cardinalis. Poſtea ſententiam ſuam Claravallenſis Abbas edixit, demonſtrans, quod præceptum divinum paſcendi per ſe gregem ſuum ſit charitatis, non juſtitiæ, id tamen ſatis non intellectum eſt: allegabat tamen multa incommoda, ſi Epiſcopi perpetuo reipſa reſidere tenerentur, præſertim ſi ad id quoque Principes Imperii adſtringerentur.

§. XXIV.

§. XXIV.

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

Septem Archiepiscopi, & totidem Episcopi a Cardinalibus in laboris subsidium vocati.

Postea congregationes interrumpebantur, usquedum ambo Cardinales ad id deputati Decretum, & Canones circa Residentiam emendassent, ac perfeciissent: unde in hujus laboris socios sibi die vigesima Januarii seligebant septem Archiepiscopos, totidemque Præsules: porro inter Archiepiscopos nominabantur Georgius Drascovitius Croatus, Episcopus Quinqueecclesiensis, Orator Cæsareus pro Regno Hungariæ, necnon Daniel Barbarus, Venetus, electus Patriarcha Aquilejensis, & Petrus Antonius de Capua, Neapolitanus, Archiepiscopus Hidruntinus, Petrus Guerrerus, Hispanus, Archiepiscopus Granatensis, ac denique Bartholomæus de Martyribus, Lusitanus, Ordinis Prædicatorum Archiepiscopus Bracarensis. Seligebantur etiam Joannes Baptista Castaneus, Romanus, Archiepiscopus Rossanensis, Leonardus Martinus, Genuensis, Ordinis Prædicatorum, Archiepiscopus Lancianensis. Ex Episcoporum ordine nominati fuere sequentes: Ægidius Fuscarius, Bononiensis, Episcopus Mutinensis:

Nicol. Psal. pag. 366. Pallav. cap. 14. n. 1.

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

nensis: Urbanus Vigerius de Ruere, Genuensis, Episcopus Senogalliensis, necnon Franciscus Blanco, Hispanus Episcopus Aurensis, atque Antonius Augustinus, Hispanus, Episcopus Ilerdensis, Hugo Boncampagnus, Bononiensis, Episcopus Vestanus, Martinus Corduba de Mendoza, Hispanus, Ordinis Prædicatorum, Episcopus Dertusensis, ac denique Nicolaus Psalmæus Virodunensis Episcopus. Hi ergo quatuordecim Præsules vespere in Lotharingii Cardinalis ædibus convenerant, ubi eis novum decretum de residentia proponebatur, ut de eo suam quisque sententiam ediceret. Feria sexta, seu die vigesima secunda ejusdem Mensis rursus conventum habebant, & quamquam Archiepiscopus Hydruntinus illos, qui non residunt, peccato mortali obnoxios esse nunquam admittere voluerit, ac Dertusensis Antistes opponeret, nullam deputatis esse conficiendi novi Decreti potestatem, fuit tamen conclusum, ut quisque acciperet exemplar hujus Decreti ad deliberandum super eo, atque interim adferrentur in medium vota Patrum per Secretarium, ut cognoscere possent deputati, in quibus præsentes pro majori parte consentirent, vel dissentirent.

§. XXV.

§. XXV.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Decretum, ringentibus licet nonnullis, confectum.

Prolatis horum Præsulum sententiis, ambo Cardinales Madrutius, & Lotharingius deputati fuere omnium unanimi consensu, ut conficerent, & perpurgarent Decretum de residentia cum Canonibus: porro ad perficiendum ejusmodi opus sibi adlegerunt præfatos Archiepiscopos, aliosque Præsules prius nominatos, qui per tres continuos dies congregationes celebrarunt in ædibus Cardinalis Lotharingii, a quo proposita fuit quædam forma decreti, ut, quid singulis videretur, dicerent sententias, ubi hæc forma majori parti placuit unacum animadversionibus, additionibus, & mutationibus multis, & ex horum Patrum Sententiis Virodunensis Episcopus, qui Secretarii officio fungebatur, decretum redegit in formam proponendam Synodo, quod tamen nonnisi post multas altercationes factum est; Hidruntinus enim semper negabat, residentiam jure divino sancitam esse, nec voluit munia Episcopalia præcipi ex eadem lege, sed duntaxat ex jure positivo statuenda esse, neque illos, qui ab Episcopatibus abessent, incursuros reatum peccati mortalis, ideo sibi sufficere

Pfal. p. 366.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

ficere dixit Decretum sub Paulo III. de residentia factum.

Displicuit etiam Archiepiscopis Rossano, & Lacianensi declaratio illa, qua dicebatur: *IDCIRCO declarat sancta Synodus &c.* cum sic videretur innui, quod Episcopi teneantur ad personalem residentiam: Insuper decreto additum fuit quidquam in gratiam Cardinalis Madrutii, qui petierat mentionem fieri de sex mensibus, de quibus in superiori Decreto actum. Vix verbis exprimi potest, quanti laboris, & operæ hoc decretum utrique Cardinali, ac præcipue Lotharingio constiterit, ut tandem Episcoporum sententias tantopere diversas ad concordiam revocarent, quapropter hic non semel suum honorem in discrimen adduci timebat, quippe cum Hydruntino Archiepiscopo acriter decertabat, majori tamen adhuc contentione hic idem Archipræsul cum Granatensi Archiepiscopo disputabat.

§. XXVI.

Acerrima disputatio inter Hydruntinum, & Granatensem Archiepiscopos.

Pallav. l. 19. c. 14. n. 1. Psalm. p. 367

Percipiamus autem, qualiter Pallavicinus utriusque altercationem refe-

rat: „ Hydruntinus Archiepiscopus,

„ in-

„inquit ille, reprehenderat, in forma „propoſita exprimi curas peculiares E- „piſcoporum, & hoc pacto novas in- „duci quæſtiones, non veteres tolli: in- „ſuper, dum ibi paſcendi munus, & E- „piſcoporum officia eſſe ex divino man- „dato pronuntiatur, ex eo ajebat de- „clarari, quod etiam manſio ad jus di- „vinum pertineat, cum econtra com- „pertum ſibi ſit, quod hæc declaratio „majoris partis ſententiæ repugnet: „præterea afferebat, quod illi cœtui po- „teſtas fuiſſet haud tradita novi De- „creti condendi, ſed concinnandi prio- „ris, quod Legati jam formarunt: ve- „rum Lotharingius id, quod Hydrun- „tinus affirmabat de ſententia majoris „partis, rejecit, hoc factum inficiatus, qua- „propter neceſſe fuit, ut is, qui a ſe- „cretis erat, computaret ſententias, quæ „dictæ fuerant, qua computatione facta „cum vera comperiretur affirmatio Ar- „chiepiſcopi, quin pauci numerarentur, „qui declarationem flagitarent: ideo „Cardinalis more Principum, cum in „diſputationibus premuntur anguſtiis, „reſpondit inflammatior, quod penes ſe „quoque eorum, quæ fuerant pronun- „tiata, numerus eſſet, plurimumque diſ- „creparent, quæ ipſe, & is, qui a ſecre- „tis erat, notaverant, nec ea ratione „ſententiæ apte notarentur: improbavit

Sæcul. XVI. A.C.1563.

Sæc. XVI. A C 1563.

„proinde, quod unicus tantum Præ„ſul ſit a ſecretis, cum plures, & ex plu„ribus nationibus eſſe debeant.

„Poſtea Granatenſis Archiepiſcopus, „prout proſequitur Pallavicinus, verba „faciens propugnabat, quod diſtincta illa „curarum ad Epiſcopos ſpectantium ex„poſitio tanquam maxime condecens „fiat, adeo ut ex eo tantummodo ſibi diſ„pliceat, quod amplior non eſſet: his „ſubdidit, ab eo, qui diceret, non eſſe „ex divino mandato munus paſcendi, „& reliqua ad Epiſcopos pertinentia, „hæreſim dici, quo dicto commotus Hy„druntinus petiit, ut Cardinales ad mo„deſtiam cogerent eos, qui ſic loqueren„tur, aliter ſe quoque eam depoſitu„rum minabatur, necnon ſe catholicum „æque, ac quemlibet hominum ubique „gentium, profitebatur, neque amplius „illi cœtui ſe interfuturum dicebat: „ad hæc Granatenſis: poteſt quidem „proferri hæreſis ab eo, qui non eſt hæ„reticus, quemadmodum innocenter „hæreſim affirmaſſet, qui ante defini„tionem Eccleſiæ negaſſet, Spiritum „ſanctum etiam a Filio procedere, quæ „ratio, tametſi alterum purgaſſet ab „hæreſi, non tamen ab ignorantia ex„cuſaſſet. Lotharingius Guerreri re„ſponſione contentus, nihil amplius mo„vit, cum quivis, qui vult Lotharin-

„gium

„gium ab alterius partis ſtudio abſol- Sæcul. XVI.
„vere, poſſit in animum inducere, haud A.C. 1563.
„opportunum eidem Cardinali viſum,
„quod aut unum reprimeret, ſive poſtea
„reprehenderet alterum inſignem æ-
„mulæ nationis Antiſtitem: quare Hy-
„druntinus ab hujusmodi cœtibus ab-
„ſtinuit, & cum ipſo etiam Dertuſen-
„ſis, qui cum Granatenſi contenderat:
„ſed uterque petentibus Legatis poſtea
„rediit. Hucusque Pallavicinus.

§. XXVII.

Lotharingii Cardinalis querelæ contra quosdam Synodi Patres.

Attamen a potiſſima Epiſcoporum parte decretum fuerat approbatum, exceptis Hydruntino Archiepiſcopo, Boncompagno Veſtanenſi Præſule, Caſtanea Archiepiſcopo Roſſanenſi, & Marino Lancianenſi Archipræſule, qui tamen, quid decerneret, adhuc dubius hærebat: porro hoc decretum ita comprobatum Lotharingius, & Madrutius Cardinales ad Legatos deferebant, eis rationem reddentes, propter quam tanta eſſet ſuffragiorum diverſitas: præprimis vero Lotharingius ægro animo propter contradicentium duritiem, quam offenderat, in atrociſſimas querelas prorupit adverſus nonnullos Patres generatim, eoquod vellent ob ra- *Pallav. n. 2. Pſalm. p. 367*

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

tiones humanas Religionem, Eccleſiam, & ſpecialiter ſummum Pontificatum perdere, cum in cauſſa ſint, ut a Romano Pontifice ſecederet Gallia, & fortaſſe cum Gallia reliquæ Catholicorum Provinciæ. Demum ita proſequebatur, „ex eo mihi extremus dolor inſli„gitur, quando jam animadverto, fru„ſtraneos effluere labores immenſos a „me, meisque fratribus ſuſceptos ad „regnum illud in obſequio Romanæ Se„dis retinendum: adſunt enim ex Præ„ſulibus nonnulli, qui ardenter navant „operam Synodo diſſolvendæ: inſuper „certum mihi eſt ea tentari, quamvis „Pontifex nec iſta petat, imo eorum „inſcius ſit, nam huic mens ineſt ſupra „quoscunque mortalium rectiſſima: „Legati itaque obſtringuntur, ut de iis „ipſum reddant certiorem: ſi vero id „neglexerint, ipſus ego hoc præſtabo „utpote ſtudioſus, ac perpetuus Ponti„ficis famulus; dubitari enim non pot„eſt, hujusmodi homines omnem la„pidem eſſe moturos, ut Decretum im„pediant: verum illius exemplar ad „cunctos chriſtianos Principes mittere, „decrevi, ut palam fiat, quam ſincere, „quod in me erat, res geſta fuerit, „& quam parum laborarent alii de Ec„cleſiæ, orbisque terrarum ruina.„ Tandem Cardinalis dolorem, & indignatio-

gnationem animo spirans, affirmabat, quod animo statuisset Sessioni non interesse, sed ad Ripam Tridenti se conferre: Verum multis rationibus, & auctoritate sua, illum ab hoc proposito removere conabatur Mantuanus Cardinalis. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. XXVIII.

Legatorum ratio de non acceptando Decreto.

Postea Legati unius diei spatium petiere, quo responsum redderent circa Decreti negotium: Verum hi quo exactius haberent examen, eo plures, novasque difficultates, quæ vix superandæ videbantur, offendebant: non enim de variis opinionibus inter Theologos certabatur, nec inter illos, & Canonum Doctores agebatur, sed ipsi Canonum periti inter se dissidebant: quamvis vero reliqui Præsides conveniissent de recipiendo Decreto, eique, qui erat a secretis, injunxissent, ut in hanc sententiam perscriberet Romam, nihilominus Simonetta literis subscribere renuebat, proin, cum ipsi omni sollicitudine conarentur negotium componere, atque ad concordiam se perveniisse crederent, novæ supervenere difficultates, quibus cuncta evertebantur: Ipsi quidem cum Oratoribus Principum, sicuti narratum est, com- *Pallav. c. 14. n. 3. & 5.*

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

communicabant ea, quæ Præsules Galli objecerant formæ a Lotharingio Cardinale dictatæ de Romani Pontificis auctoritate, & Episcoporum institutione; ipsorum igitur opem, & consilium pro concordia in tam difficili negotio implorabant, quapropter die vigesimo quarto Januarii Galliæ Oratores ad Legatos Vesperi accessere, ac Lansacus cœpit eis ostendere, quod obstacula, quæ huic concordiæ opponerentur, non minus ipsis Oratoribus, quam Legatis evaderent funesta, illisque ejusmodi dissensiones displiceant: de cetero autem eis spondebant, quod totum studium impendere vellent, ut Decretum illud, & illi Canones reciperentur, cum sibi mandatum non fuisset a Rege Christianissimo, ut ipsi Prælatos cogerent in iis, quæ conscientiam involverent, quin potius Regiæ suæ Majestatis desideria dicebant eo abire, ut illos pleniſſimæ libertatis suæ compotes relinquerent; porro de consilio a Legatis quæsito aliud sibi non suppetere ait Lansacus, nisi ut procul tam a doctrina, quam a Canonibus haberetur, quidquid dissensionem posset inducere: insuper adjecit, curam se relicturum sociis suis ad reliqua capita clarius proferenda.

§. XXIX.

Sæc. XVI. A.C. 1563.

§. XXIX.

Colloquium inter Legatos, & Franciæ Oratores circa Pontificis auctoritatem Synodo superiorem.

Ad hæc Ferrierus Orator mox verba faciens, perinde acsi hoc principium minime dubium foret, tanquam certissimum posuit, quod Concilium sit supra Romanum Pontificem, cum Religio, & Ecclesia Gallicana non modo id sentiat, sed palam profiteatur, & jurejurando affirmet tanquam articulum necessarium, eoquod idipsum Concilii Constantiensis auctoritas suadeat. His dictis addidit. „ Nobis quidem Carolus IX. „Rex in mandatis suis præscripsit, ne hu„jusmodi controversiam excitaremus, „sed simul subjunxit, ne liberum finere„mus aditum cuilibet verbo, quod huic „opinioni opponeretur: propterea hujus „rei declaratio a me retardata fuit, „donec ab ipso tempore, ac negotio „compulsum me cernerem. „ Tandem Ferrierus allatas petitiones nomine Regis factas memorabat, & sic prosequebatur: „ cum Pontifex jam dixisset, „argumenta illa omnino a se Concilio „relinqui, nos Oratores minime consen„tiemus, ut rursus a Concilio ad Pon„tificem hoc negotium devolvatur, sed huic

Pallav. c. 14. n. 4. & 5. Psalm. 368.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„huic articulo firmiter inhærebimus.„ Aſt Cardinalis Mantuanus reſpondit: „conſilium a te datum ſequi fas mihi „non eſt, nec nos unquam prætermitte„mus, ea in decreti, ac Canonum for„ma ſtabilire, quæ ad tuendam ſupre„mam Pontificis auctoritatem confe„runt, & ſi vos veſtram opinionem tue„ri ſtudebitis, ego pariter, ac ſocii mei „velut certam veritatem propugnabi„mus, quod Pontifex Concilio ſit ſu„perior: incaſſum ergo oppoſitam ſen„tentiam in Synodo agendam propo„netis, aut illius definitionem a Conci„lio depoſcetis, quia nos potius mor„tem oppetere, parati ſumus, quam „permittere, ut hæc quæſtio in dubium „vocetur.„ Ad hæc Seripandus Legatus ad Ferrerium converſus dixit: „allatum a te argumentum ex Syno„do Conſtantienſi haud ſolidum eſt, „cum id temporis certus Romanus Pon„tifex non exſtiterit, atque hinc ad „ſchiſma ſedandum opus fuerit, ut de„claratio ad Synodum pertineret, adeo„que illa præeſſet: aſt in præſentiarum „regnat inter catholicos ſupremus Pon„tifex, certus, legitimus, atque indubi„tatus, cui univerſa Eccleſia ſubditur, „nec id a quopiam in controverſiam „trahitur.„ His prolatis ita oratio„nem concluſit: „mei Socii nunquam

„deſi-

„desistent, quin ea omnia proferrent, „quæ hanc veritatem, & palam facerent, „& confirmarent.„ Sæcul. XVI. A. C. 1563.

Adeo constanter Legatorum animis inhæserat ultramontanæ hujus opinionis veritas.

§. XXX.

Papa per Gallorum postulata vexatus.

Ceterum Legati ad Gallorum postulata nihil respondebant, abs dubio, quia eadem Romæ ingratis auribus fuerunt excepta; Episcopus enim Viterbiensis Romam delatus hasce Gallorum petitiones prælegebat, earumque insolentia summo Pontifici haud exiguum dolorem creabat, nam cum illæ prima vice perlegerentur, Papa vehementer commotus in hæc verba prorupit: „Galli unice intendunt Datariam, „Rotam, Signaturas, totamque auctori„tatem Apostolicam convellere.„ Postea vero animo, fronteque paulo serenior factus est, eoquod idem Episcopus ei spem feciſſet, quod Sanctitas sua, concessis aliquibus, nonnulla negare, quædam autem alia mitigare, hacque ratione plures ex hisce postulatis eludere posset. Postea idem Episcopus nomine Lotharingii Cardinalis Pontifici hæc exposuit: „ea est Principum indo-

Sarp. p. 636 Mem. pour le Concil. de Trente p. 379

„les

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„les, ut multa petere ſoleant, eo fine, ut „ſaltem illa, quæ eos maxime premunt, „impetrent, qualia ſunt Calicis, & lin„guæ vernaculæ uſus, necnon Sacer„dotum conjugia.„ Refert Sarpius, Gualterium hæc addidiſſe: *ejusmodi res non multum Sedis Apoſtolicæ rationes reſpiciunt, & ſi in his Sanctiſſimus Pater voluntati ipſorum morem gerere dignetur, brevem, & expeditam viam inveniet, qua non ſine peracti Concilii laude, finem deſideratum attingat, nam multi ex iis articulis ipſis etiam Galliæ Epiſcopis non ſatis arrident, qui ad impedimenta iis interponenda ſeſe comparârunt: hæc cum audiiſſet Papa, conſtituit, ut articuli in Congregatione diſceptarentur, introductis in eam Viterbienſi, & Vintimiglienſi, qui de cunctis, ſi quando opus eſſet, plenius edocerent: porro in ea Congregatione decretum, ut Theologi, & Canoniſtæ de articulis propoſitis ſcriberent, & ſuam quisque ſententiam charta mandaret.*

§. XXXI.

Papæ epiſtola ad Franciæ Regem circa hæc poſtulata.

Hac circumſpectione adhibita Pontifex hac ſuper re ad Regem literas dedit

dit (*) hunc in modum conceptas: „ca- Sæcul. XVI.
„pita ab Oratoribus Gallis propoſita A.C.1563.
„magna quidem ex parte conducunt
„ad Eccleſiæ reformationem, mihique
„optatiſſimum foret, ea non ſolum ſan-
„cita, ſed etiam moribus recepta vi-
dere, neque tamen omnia probamus,
„cum in iis ſint aliqua, quæ Regiæ au-
„ctoritati derogent; collatione enim Ab-
„batiarum, fraudaretur Rex quod ſane
„magnum ei adjumentum fuit ad
„præmia bonis, & fidelibus miniſtris
„perſolvenda. Ceterum priſci ævi Re-
„ges, cum Epiſcopos haberent nimis
„potentes, & poteſtati Regiæ propter
„eam, qua pollebant, auctoritatem, re-
„fractarios, poſtularunt a Romanis Ponti-
„ficibus, ut eis modum imponerent: jam
„vero Oratores Regii iſtis propoſitio-
„nibus reſtituere parant Epiſcopis eam
„licentiam, quam ſuæ Majeſtatis ante-
„ceſſores prudentiſſimis legibus coer-
„cendam curabant: porro Pontificia
„nobis auctoritas, non poteſt aufferri,
„cum hæc a Chriſto data ſit, a quo S. Pe-
„trus, & ejus ſucceſſores Eccleſiæ univer-
„ſalis

(*) Falſum eſt, quod Papa ejusmodi literas ad Regem perſcripſerit, ſed duntaxat hæc eidem per Cardinalem Ferrarienſem oretenus exponi juſſit. *Vide Sarpium loc. cit.*

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„salis Pastores facti, & bonorum o-
„mnium Ecclesiasticorum administrato-
„res sunt constituti. Dein sublatis pen-
„sionibus adimitur Pontifici facultas e-
„rogandi eleemosynas, quod tamen lo-
„cum habet inter præcipua munera,
„quæ per totum orbem Christianum
„Pontifex exercet: insuper Episcopis
„tanquam Ordinariis ex benevolentia
„quædam beneficia conferendi facul-
„tas communicata est, proin haud æ-
„quum est, eousque illam extendere, ut
„universali ordinariæ potestati, quam
„Papa ubique habet, præjudicet: non
„minus etiam decimæ Ecclesiis deben-
„tur de jure divino: ergo decimarum
„decimæ ab omnibus Ecclesiis deben-
„tur summo Sacerdoti, porro ad majo-
„rem earum incommoditatem cum An-
„natis permutatio facta est: si vero ab
„illis aliquod incommodum Regno Gal-
„liæ fuit allatum, non recusamus, quo
„minus aliquando ea in re moderamen
„fiat, si tantum Sedi Apostolicæ pro
„dignitate jus suum salvum maneat:
„verum prout jam sæpius inculcatum
„est, hac de re non potest cum alio quo-
„quam nisi nobiscum tractari, nec
„Concilium huic negotio manum ad-
„movere valet. „ Postea Ferrariensi
Cardinali in Francia Legato commisit
Pontifex, ut his omnibus Regi ad con-
fide-

siderandum expositis, ei auctor sit, quatenus nova ad Oratores suos mandata mittat. (*) Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. XXXII.

Pontificis monita ad suos Legatos circa Gallorum postulata.

Insuper Tridentum transmittebat Pontifex censuras, quas de harum petitionum Articulis diversi Cardinales, Prælati, Theologi, & Canonistæ, Romæ ferebant, insuper Papa imperabat, ut mora, quam fieri possit maxima, interponatur, antequam de illa materia verba fiant, præcipue cum aliunde articulus de residentia, & abusus circa Sacramentum ordinis irrepentes in multos dies Patrum sollicitudinem distentam tenerent. Hanc ob caussam Legati Franciæ Oratoribus desuper nullum dedere responsum. *Sarp. p. 637.*

His

(*) Omisit Continuator ex Sarpio referre,, quod Pontifex eidem Cardinali Ferrariensi negotium dederit, *ut quadraginta illa coronatorum millia sine ulla conditione Galliarum Regi relinqueret.* Hæc forte omissa fuere, ne manifestum fiat, quod Pontificis beneficia nonnisi novis molestiis fuerint compensata.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

His poſtea Pontifex addebat: „ſi „tamen neceſſe judicaveritis illos ar„ticulos proponere, incipiatis ab iis, „qui minus adferunt præjudicii, quales „ſunt, qui ad mores, & doctrinam per„tinent: diſerte vero de ritibus, & „beneficiis agite: ſi autem omnino hæc „deberetis referre, prius de objectio„nibus, quæ opponi poſſent, cum Præla„tis Sedi Apoſtolicæ addictis conferte, „ac tunc demum articulos diſcutien„dos, ac diſputandos proponite; inte„rea ego, quid amplius conſtituerim, „edicam:„ Ceterum ſub idem tempus Pontifex Legatis ſuis decretorum formam tranſmiſit, quam non modo circa inſtitutionem, ſed etiam reſidentiam Epiſcoporum confici jufſerat.

§. XXXIII.

Lotharingii Cardinalis fides Oratoribus Gallis ſuſpecta.

Pallav. l. 19. c. 14. n. 6. Lettre de l'Isle a la Reine 14. Jan. dans les Mem. de Trente p. 375.

Ex hiſce decretis graves oriebantur tumultus, ut ſupra meminimus; harum vero omnium diſſenſionum culpam Legati haud immerito in Franciæ Oratores rejiciebant; hi enim formulæ a Lotharingio Cardinali conceptæ acrius obſiſtebant, non minus ac illi decreto, ubi ſtatuebatur, quod Pontifici juxta Synodi Florentinæ definitionem Eccleſiam univerſalem regendi auctoritas

tas competat: quæ tamen veritas Gallorum opinioni penitus oppoſita eſt, cum illi jure propugnare exiſtiment, quod Concilium ſit Pontifice ſuperius. Cum vero Legati ad Oratores reſponderent, ſe de iis omnibus, quæ dicta fuerant, acturos cum Lotharingio Cardinali, Oratores haud exſpectatum hoc reſponſum reddiderunt, ſibi nihil eſſe agendum cum illo, nec ſe Tridentum veniſſe, ut huic Cardinali obtemperarent, ſed duntaxat Regis mandata, pro eo, ac ſibi fuerant impoſita, exequerentur: exinde autem una cum reliquis, quæ præceſſerant, Legati ſat manifeſte intelligebant, quod Cardinalis Lotharingius non illam obtineret auctoritatem, quam ipſi de eo crediderant, atque ille ſibi tribuerat: enimvero per eos dies Franciæ Oratores hujus Cardinalis integritatem ſibi ſuſpectam habebant, eoquod Inſulanus ad Reginam, die quarta Februarii perſcribens eidem ſignificaret, a Viterbienſi Epiſcopo delata fuiſſe ad Pontificem arcana Lotharingii Cardinalis monita, & ampla promiſſa, adeo, ut ille Præſul, cum de Cardinale Lotharingio, antequam is Tridentum adiret, peſſime loqueretur, nunc eundem ſummis ad cœlum laudibus eveheret, ideoque neceſſe eſſet, circumſpecte cum eo agi. Sæc. XVI. A.C. 1563

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

§. XXXIV.

Sabaudi Oratoris adventus ad Concilium.

Pallav. l. 19. c. 15. n 1. Pſalm. p 367 Raynald. hoc ann. n. 14.

Acceſſit feria ſecunda die vigeſima ſexta Januarii Concilio novus Orator, qui ad ſedandas perturbationes haud parum contulit (*). Erat is Marcus Antonius Bobba Epiſcopus Auguſtenſis in Pedemontio, ac poſtea Cardinalis, qui nomine Emanuelis Philiberti Sabaudiæ Ducis huic Concilio aderat: porro ob illius adventum rurſus habebantur Congregationes, ipſe vero in illa, quæ die trigeſima prima Januarii celebrata eſt, excipiebatur: Hic, uti Virodunenſis Epiſcopus in ſuis hujus Concilii actis refert, unacum Epiſcopo Gebennenſi Franciſco Bachordio, Sabaudo, venit Tridentum, cui Epiſcopi Galli cum multis Italis Patribus obviam iverunt, eundem perhonorifice excepturi: cum autem ad Synodum admitteretur, orationem habuit cum

(*) Pallavicinus, ex quo Continuator hæc defloravit, ita ſcribit. *Acceſſit ea tempeſtate Concilio novus orator, qui non modo nihil perturbationis attulit, ut plerique ſolebant, ſed ſæpe profuit ad ſedandas perturbationes excitas ab aliis. Fuit hic Marcus &c.*

cum ſummo applauſu exceptam, ubi datum eſt negotium, ut eidem reſponderet, Bartholomæo Serigo Caſtellanatenſi Epiſcopo, eoquod is, qui ad hoc munus erat deſtinatus, ægrotaret. Sæc. XVI. A. C. 1563.

§. XXXV.

Lancellotus Auguſtæ Tridentum reverſus unacum Lunenſis Comitis reſponſo.

Interea die vigeſima tertia Januarii Lancellotus, qui Auguſtam a Legatis ad Comitem Lunenſem pro acceleranda ejus acceſſu ad Synodum miſſus erat, rediit, retulitque Legatis, quod hic Comes poſt exhibita amoris, ſtudiique officia libere dixiſſet, non licere ſibi eo accedere, niſi prius aut certus redderetur de loco pro ſua dignitate obtinendo, aut peculiare mandatum acciperet a Rege, vi cujus locum aliis, quam Cæſaris Oratoribus cedere juberetur, nam poſt hos proximam ſibi ſedem deberi contendebat. His addebat Lancellotus, quod ad mutandam Comitis ſententiam prorſus nullam vim habuerit id, quod eidem propoſuiſſet de literis a Rege ſuo ad Papam deſuper datis. *Pallav. c. 15. n. 1.*

Legati, cum hujus Oratoris adventum percuperent, Cardinalem Lotha-

Sæc. XVI. A. C. 1563.

ringium adibant, ſupplices, ut is huic negotio ſuam adjungeret operam, Gallosque Oratores eo induceret, quatenus publicæ utilitatis cauſſa quicquam de ſuis prætenſionibus remittere vellent; verum Cardinalis hoc negotium in ſe ſuſcipere renuebat, præſcius, quod operam luderet, hinc Legatis reſpondit, fuiſſe ſtatutum in Galliis, ut eidem Lanſaco illuc revocato ſufficeretur Joannes Morvilerius Epiſcopus Aurelianenſis, qui perpaucis ante diebus Tridentum veniſſet, proin interventuros eſſe Oratores, tam Eccleſiaſticos, quam Laicos.

§. XXXVI.

Controverſia de loco Oratori Hiſpaniæ aſſignando.

Pallav. c. 15. num. 2.

Igitur Legati aliud conſilium alias in deliberationem adductum, iterum tentabant; erat autem illud, ut Hiſpanus Orator e regione Præſidum conſideret, quemadmodum federat Luſitanus ætate Julii III. cum litigaret cum Hungarico Legato: quamvis vero Oratores Gallicani hoc conſilium rejeciſſent, Legati tamen ſperabant ab auctoritate Lotharingii, in quo ſtudium majus, & minor animi commotio inerat, eos flecti poſſe; reipſa enim cenſebat Cardinalis Lotharingius, Gallos, ſi

Sedes

Sedes antiqua illis ſervaretur, nihil moraturos, etiamſi locus extra ordinem Hiſpaniæ Oratori concederetur. Sæcul. XVI. A. C. 1563.

Attamen non eadem opinio inſederat Lanſaco, & Ferrerio, qui contendebant, quod ſalva conſervari debeat dignitas Chriſtianiſſimo Regi, qui primum poſt Cæſarem locum occuparet, ac Hiſpaniæ Orator poſt Franciæ Legatos collocaretur, cum in mandatis haberent, ut tunc, ſi quid attentaretur ad hoc jus in controverſiam revocandum, quantocius inde diſcederent, præciperentque, quatenus & Præſules Galli Synodum relinquerent, denuntiata perduellionis pœna, atque bonorum proſcriptione: equidem Legati firmiter obſiſtendo, Gallos tandem ceſſuros ſperabant, verum inde Oratores magis adhuc exacerbati exiſtimabant, quod Præſides non modo de Seſſionibus, ſed etiam de Congregationibus loquerentur, in quibus juxta loci ſitum Sedes, quæ e Regione Legatorum eſt collocata, magis honorifica, imo etiam nobilior fuiſſet ipſo loco, qui Cæſaris Oratoribus erat aſſignatus: hinc falſa hac ſuſpicione præventi ſibi in animum inducebant, opportunitatem a Legatis quæri ad Synodum diſſolvendam, unde abs dubio diſſidium oriretur inter Franciæ, & Hiſpaniæ Reges, iniquiſſimo

Sæcul. XVI. A.C. 1563

prorsus tempore, ubi omnis dissensio Galliarum Regno circa Religionis negotium summopere periculosa foret: cum vero Legati per Cardinalem Lotharingium de falsa persuasione, quam Oratores Galli conceperunt, edocti essent, per eundem Purpuratum eisdem significarunt, quod ea, quæ in favorem Lunensis Comitis petiissent, duntaxat respicerent Sessiones, in quibus ex locorum situ Sedes Hispano designata eandem prærogativam non indicaret, quæ in Conventibus cernebatur; ab his vero veluti privatis functionibus ut abstineret Lunensis Comes, se postea daturos operam, spondebant.

Hac tamen via nondum sublatæ erant omnes difficultates; quippe idem contentionis argumentum redire potuisset in publicis supplicationibus, ac solemnibus Sacrificiis, in pacis oscula, & thuris suffimento; de quibus Lotharingio alia non suppetebat ratio, nisi ut Hispanus Orator cederet, sicque litem declinaret. Ceterum etiam de Conventibus consilium ab eodem excogitatum est, ut sederet Hispanus ex adverso legatorum, sed extra ordinem Oratorum, & prope Antistitem, qui a secretis erat; ita tamen, ut ea sedes haud videretur a Concilio, aut a Legatis Lunensi Comiti destinata, ne quid

quid sibi novi juris inde acquireret: verum hæc omnia illis, quorum intererat, haud consultis Lotharingius proponebat, incertus, an, necne consensuri essent Galli Oratores. Tandem Oratores a lite desistebant, nec eorum motus ultra progrediebantur. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. XXXVII.

Vicecomes unacum Papæ responsis Tridentum redux.

Porro Legatorum sollicitudini quoddam levamen attulit præsentia Vicecomitis Ventimillensis Episcopi, qui die vigesima nona Januarii Tridentum venerat, prout ipsemet in quadam epistola ad Cardinalem Borromæum die quarta Februarii data testatur his verbis: „Die vigesima nona Januarii in hanc Urbem Tridentinam bonis avibus „adventans Papæ Legatis de legationis „meæ successu rationem reddidi, ac „nomine Pontificis salutato Cardinale „Lotharingio eidem nuntiavi, quod „Sanctitas sua prosperum Concilii exi„tum ab eo sibi polliceretur. De ce„tero postquam plures Patres, ac Theo„logos certiores reddideram, quod San„ctitas sua tandem dissidia penitus ex„tincta summopere desideraret, rur„sus habebantur congregationes, quæ ta„men interruptæ fuerant ob dissensiones ex

Lettr. anecdote. ou mem. histor. du Nonce Viscomte t. I. pag. 3.

Sæcul. XVI. A C 1563

„ex illis ſubortas Canonibus, in qui„bus agebatur de ſummi Pontificis, & „Epiſcoporum auctoritate: quinimo op„portuna occurrebat occaſio die ultima „Februarii generalem celebrandi Con„gregationem, in qua Aſtenſis Epiſco„pus Sabaudiæ Ducis Orator ad Syno„dum admittebatur, ubi quoque qui„dam innovare cupiebant propoſitiones „circa Canones, qui Sacramentum Or„dinis reſpiciunt. Porro his diebus „res evenit, ex qua Hiſpani animum „reſumpſere; advenit enim Martinus „Gaſtelus Secretarius ad Comitem Lu„nenſem eo fine decretus, ut oretenus „arcana conſilia, quæ literis commit„tere haud ſatis tutum videbatur, ei„dem ſuggereret, ſimulque Granatenſi „Archiepiſcopo, aliisque Nationis ſuæ „Præſulibus fidem faceret, quod eo„rum agendi ratio Regi Catholico ad„modum accepta foret, isque præmia „illis deſtinaret: cum ergo præfatus „Secretarius per aliquot dies varia Pa„trum molimina exploraſſet, ajebat, a „ſe haud temere fidem adhiberi illis „rumoribus, quibus ſpargebatur, quod „Legati Synodi diſſolvendæ opportuni„tatem quærerent, ac Pontifex tam „adverſa premeretur valetudine, ut „longioris vitæ ſpes ei præcideretur.„

§. XXXVIII.

§. XXXVIII.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Lotharingii Cardinalis ſententia circa Papæ auctoritatem.

Huic epiſtolæ alius adjiciebatur libellus, in quo Vicecomes Borromæo hæc ſignificabat: „Legati Senogallienſem Epiſcopum ad Lotharingium Cardinalem ſupplicatum miſerunt, ut „Gallos Præſules flectendi medium „ipſus excogitaret: hic vero Epiſcopus „Cardinalem accedens eidem expoſuit, „quod plura Concilia, dum de ſummo „Pontifice loquebantur, illum *regere „univerſalem Eccleſiam* edixerint, ipſe„met vero ſanctus Bernardus Epiſcopos *in partem ſollicitudinis aſſumptos*, „faſſus fuerit. „Ad hæc repoſuit Car„dinalis: „agendi ratio, quam tenet „Synodus, omnibus perſpecta eſt, at„que explorata quoque ſunt conſilia Pa„trum, necnon ea, quæ eorum quili„bet, dum ſuam ſententiam protulit, „dixerunt: bene ergo perpendantur „omnia, quæ proferuntur: nam allatæ „ſunt ex Galliis literæ, in quibus ea, „quæ Tridenti propugnantur, carpun„tur, ac plurimi de me queruntur, quod „nimium indulgenter agam, ac præ„cipue acrius, ut par fuiſſet, inſiſtere „neglexerim, ut inſtitutio ac reſiden„tia Epiſcoporum juris divini declararetur:

Lettr. anec. 1. Febr. p. 7. & 9. Sarp. p. 641.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„retur: de cetero minime inferendum, „quod tum ad mentem cujusdam Au„ctoris res decidatur, si quædam illius „verba adhibeantur, si aliunde ex ver„borum ordine, ac nexu eorum, quæ „vel præcedunt, vel sequuntur, diver„sus longe sensus eruitur, imo non raro „oppositæ omnino sententiæ emergunt: „non enim verba Gallis displicent, sed „sensus, cui per Canones auctoritas „conciliari quæritur, Galli autem nullo „pacto acceptare volunt illam clausu„lam, in qua dicitur, quod *Papa uni„versam Ecclesiam regendi potestatem ha„beat*, quin imo si hoc deinceps propo„netur, Franciæ Oratores reclamabunt „nomine Regis sui Christianissimi, nec„non centum viginti Præsulum, qui sese „opponendi facultatem eis dederunt: „præcipue cum hæc opinio communi „Gallorum (*) sententiæ derogaret; hi „enim Synodum Pontifice esse superio„rem propugnant.„ His denique Vicecomes addebat, quod hoc responsum ad Legatos fuerit delatum præsentibus pluribus Prælatis natione Italis, qui unaomnes censebant, haud consultum esse, ut Gallis scopum sibi præfixum attingendi, ac prætensa sua jura agitandi copia præberetur.

§. XXXIX.

(*) Non tamen *communi Ecclesiæ sententiæ.*

§. XXXIX.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Papæ epistola per Vicecomitem ad Legatos delata.

Pontifex pluribus ejusmodi articulis vehementius insistebat in literis, a Vicecomite ipsius Nuntio ad Legatos allatis, in quibus palam quidem profitebatur, quod neutiquam petere dissolutionem Concilii aut ullum cum exteris Nationibus dissidium fovere vellet: verum media, quæ ad placandum Cardinalem Lotharingium, Gallosque proponebat, difficulter executioni mandanda opinabatur, aliunde vero opinionem a Curia Romana adoptatam, ac proprio ejus genio gratam, vi cujus *Pontifex universalem Ecclesiam regendi auctoritatem habere* dicitur, dimittere recusabat: quinimo Cardinalis Borromæus, qui eidem sententiæ firmiter adhærebat, sat mirari non poterat, quod nonnulli hanc veritatem definire ambigerent; se enim subnixum credebat auctoritati Oecumenici Concilii Lugdunensis, & Florentini, insuper noverat in vetustissimis diplomatibus Romanum Pontificem appellari *Episcopum Ecclesiæ Catholicæ*, quod idem sonat, ac *Universalis Ecclesiæ Episcopum*. Denique innitebatur antiquæ consuetudini, vi cujus Imperatores, cum ad Papam

Pallav. c. 15. num. 3. Lit. Borr. ad Legat. & ad Mant. 24. 27. & 28. Jan. ann. 1563.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Papam reſcribunt, hac inſcriptione utuntur: *ad Pontificem Univerſalis Eccleſiæ:* nihilominus ipſemet Pontifex in literis antea memoratis hanc vocem, penitus tamen retento genuino illius ſenſu, nonnihil moderari indulgebat, (*) ut loco horum verborum: *Epiſcopus univerſalis Eccleſiæ*, apponi poſſet, quod *regat univerſum gregem Domini*, aut ſimpliciter *Eccleſiam Dei* omiſſa voce *Univerſam.* Denique cum haud immerito timeret Pontifex, ne hæc ſimulata moderatio non minus ingrata foret, quam aperta declaratio, conſentiebat, ut nec de ejus, nec Epiſcoporum auctoritate ſermo fieret, ne exinde contradicentium libido irritaretur, ſi tamen hac ipſa indulgentia, quæ Pontifici ſane caro ſtetiſſet, nondum inter Patres tranquillitas redderetur, Legati Seſſionem tamdiu differre jubebantur, quamdiu id ad ſedandos animos neceſſarium duxerint. (**)

§. XL.

(*) *Ne*, addit Pallavicinus, *cum alieni animi duritie decertaretur.*

(**) Iniquum Continuatoris animum abunde deprehendet ille, qui ex ipſo Pallavicino totam hujus epiſtolæ ſeriem perlegerit: de cetero nemini ignotum eſt, cujus auctoritatis fuerit ille, qui primus Romano Pontifici titulum

§. XL.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Pontificis responsum ad libellum per eosdem Legatos transmissum.

Insuper eidem Vicecomiti committebatur Pontificis responsum ad illum libellum, quem Legati eidem antea deferendum consignabant: porro in eo summus Pontifex eorum agendi rationem sibi plene probari declarabat, hæc affirmans: „per vestram fidelitatem, ac „animi constantiam relevatis mihi gra„ve onus, quod humeris meis susten„tare cogerer, ut proin vestræ excusa„tiones, quo magis meum erga vos affe„ctum perspectum habetis, eo minus „necessariæ fuissent: de cetero quem„admodum vestram in scribendo liber„tatem gratam habeo, ita & vos æqui, „bonique consulatis ea, quæ circa præ„sens negotium, quod in vestra pruden„tia repositum est, vobis perscribo: sic„ut enim me rogastis, ne cunctis, quæ „Tridenti contra vos sparguntur, nimis „facile fidem adhiberem, ita vicissim „desi-

Pallav. n. 4.

titulum Oecumenici Episcopi abrogare ausus fuerit: certum est, quod ejusmodi controversiæ Matrem habuerint schismata, quid mirum ergo, si pariter schismata tanquam earum filias procrearint.

Sæcul. XVI. A.C.1563.

„desidero, ut & vos ea, quæ ad vos „Roma perscribuntur, parcius creda„tis: porro vestra testimonia de pro„penso Lotharingii Cardinalis animo, „necnon de fructu, quem ab ejus præ„sentia in Ecclesiam redundaturum spe„ratis, pergrata mihi quidem accide„runt, opto tamen, ut & vos cum eo „honorifice agatis, eique fidatis: cete„rum quod ad Gallorum postulata atti„net, cum brevi Viterbiensis Episcopus „Tridentum unacum responsis venturus „sit, haud credendum videtur, Fran„ciæ Oratores quicquam violenter ten„taturos: nihilominus vestrarum par„tium erit sedulo præcavere, ne quic„quam Pontificis, Sedisque Apostolicæ „auctoritati noxium proponatur, sed „firmiter iis, quæ in omnibus legiti„mis Conciliis fuere decisa, insistatur.

Denique hisce Legatis varia transmisit diplomata, juxta quæ Rotam, aliaque tribunalia reformabat, subjungens, parari a se exactam Datariæ emendationem, brevique ejusmodi promulgaturum leges, quæ non modo præteritis, sed & futuris malis obviaturæ essent. Præterea Pontifex literas dabat ad Cardinalem Mantuanum, qui ab ipso petierat, ut laboribus, ac senio attritus Tridento recedere posset, nisi Concilium proximo Mense Aprili anno Domini

Domini milleſimo quingenteſimo ſexa- Sæcul. XVI.
geſimo tertio abſolveretur, alias enim A.C.1563.
Romam reverti ut ipſi Pontifex permitteret, demiſſus rogabat: verum Papa illum hortabatur, ut alacri animo opus bene cæptum proſequeretur, eoquod hac ratione cum majori libertate laborum ſuorum fructum percipere poſſet, nec Synodus, cum intra tam breve temporis ſpatium abſolvi nequiret, privari valeret tam illuſtri capite absque magno Divini obſequii detrimento.

Injunctum pariter Vicecomiti Ventimillienſi Epiſcopo, ut verbis perhonorificis, ac benevolentia plenis Lotharingium alloqueretur: hic enim Cardinalis huic Epiſcopo Tridento Romam abeunti tria a Pontifice petenda plurimum commendabat, nimirum, ut is morum emendationem urgeret, ac Bononiam contenderet, nec non ſubſidia libere Gallis ſuppeditaret, ad hæreticos in Gallia reprimendos: itaque Vicecomes circa hæc tria capita Cardinali plene ſatisfecit, juſſus a Pontifice, ut ipſum, quod ſpectaret ad primum, edoceret, quæ ipſi Pontifex communicaverat: ad alterum vero reſpondere jubebatur, Pontificem ipſius conſilia ſecuturum: denique de tertio palam facere ei injungebatur, quod mora ſolutioni injecta fuiſſet ab iis Franciæ

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

ministris, qui propositas a Pontifice conditiones non adimpleverunt, quamvis æquissimæ juxta, ac facillimæ essent, ipso fatente Cardinale. Idem Pontifex ad plures alios Viros, qui in Synodo erant, literas dabat, & quidem inter alios Martino Mascaregnæ Lusitano Oratori a Vicecomite redditæ sunt duæ epistolæ, quarum una a Pontifice, altera autem a Cardinale Borromæo scripta erat, ubi grates illi agebantur, honorificentissimis sane verbis, ob eximium hujus Oratoris studium in promovenda Concilii concordia, Sedisque Apostolicæ dignitate sustinenda.

§. XLI.

Cardinalis Lotharingii responsum circa controversiam de Sedis prærogativa inter Hispanos, & Gallos.

Pallav. l. 19. c. 16. n. 3.

In sequenti congregatione Lotharingius Cardinalis rursus quæstionem circa Sedis prærogativam agitabat, hunc in modum respondens: colloquium habui cum Oratoribus Gallicis, & cum paucis quibusdam a regio Consilio, qui adsunt, inter quos omnes convenit, quod nunc, cum adhuc Rex sit pupillus, fas non esset ministris, assentiri cuipiam mutationi, quæ veterem juris, ac prærogа-

„rogativæ poſſeſſionem illi revocaret in „dubium: quo major enim eſt Oecu- „menici Concilii auctoritas, tanto ma- „jor tribueretur fides edito illic exem- „plo: continuata autem Chriſtianiſſi- „mi Regis promerita apud Eccleſiam „nequaquam patiuntur, minores, mi- „nusve patentes ipſi honores exhiberi „ab hac, quam ab anteactis Synodis „ejus Majores acceperant. Demum „quicunque locus Hiſpano Oratori da- „retur, ſi eſt a conſueto diverſus, ſeu „infra Gallos non collocaretur, jus cla- „rum, ac minime dubium labefactare- „tur, ac proinde quoddam ſpoliationis „genus crederetur: qua agendi ratione „Galliarum Oratores ad diſceſſum co- „gentur, non ſine periculo diſſolvendi „concordiam illam inter duos Reges „adeo neceſſariam in præſenti Religio- „nis ſtatu: ſingularis inſuper ratio ha- „benda eſt de Carolo IX. Rege, ut com- „penſentur labores, quos ille tolerat „magna ex parte, ut Eccleſiam ſuſti- „neat: præſertim cum eidem quoque „faveat auctoritas prudentiſſimi Sena- „tus Veneti, qui in ea lite judicat, „ſervandam eſſe Regis Gallici poſſeſſio- „nem, permiſſa partibus libertate ſuas „rationes expendendi.

Sæcl. XVI. A. C. 1563.

Ea Cardinalis reſponſio tanto gravius perculit Legatos, quanto majo-

Sæcul. XVI. A.C.1563.

rem prosperi successus spem ipsis fecerant Hispaniæ Nuntii, & Borromæi Cardinalis literæ: nihilominus tum hac in re nihil decisum est.

§. XLII.

Franciæ Oratorum postulata de proponendo decreto circa residentiam.

Pallav. l. 19. c. 16. n. 4. & 5. Psalm. p. 683

Feria tertia die Beatæ Virgini purificatæ sacra Franciæ Oratores Legatos adibant, asserentes, proponendum esse decretum de residentia receptum in conventu, qui coram duobus Cardinalibus Lotharingio, & Madrutio habitus fuit. His addebant: „ hic fuit omnium Conciliorum mos, ut in cœtu „generali referrentur, quæ in peculiaribus statuta fuerant: prout pariter duo „illi Cardinales Lotharingius, & Madrutius censent, qui sibi in animum „inducebant, nolle Præsides Decretum „illud sententiis exponere, quin ejus „comprobationem prævideren. „ Legati, cum studerent suam tueri dignitatem, ac potius leges præscribere, quam a quocunque privati juris viro illas accipere vellent, Gallis hæc reposuere: „nostro muneri satisfaciemus, ac petito „vestro annuemus. „ Postea cuncti simul convenere Cardinalem Lotharingium, eidem exponentes, quod haud con-

congruum sit decretum proponere tot Patribus eidem reluctantibus: verum Legati hunc Cardinalem tam gravi tædio, ac bile commotum compererunt, ut rem ultra urgere, haud consultum censerent, quocirca brevi ab eo recesserunt. Sæcul. XVI. A. C. 1563.

§. XLIII.

Legatorum propositiones ad Lotharingium, & Madrutium.

Altera die mane Legati ad Lotharingium decrevere Senogalliensem Episcopum, Archiepiscopum autem Lancianensem ad Madrutium destinarunt, ut utrique hæc proponerent: „ in alios „octo dies differetur decretum de „præscribendo die certo Sessionis: in„terim vero referentur in generalem „confessum sex Canones minime con„troversi, & Decreta doctrinæ illis re„spondentia, nec minus pariter pro„ponetur decretum de residentia a Car„dinale Lotharingio digestum, necnon al„terum a Legatis confectum, ut Patres, „quod sibi melius videretur, comproba„rent.„ Verum hoc consilium duobus hisce Cardinalibus haud probabatur, quapropter Legati ipsos invitabant, ut die prima Februarii cum illis convenirent, una deliberaturi circa proxi- *Pallav. l. c. 16. n. 5.*

Sæc. XVI. A. C 1563.

mam Seſſionem, cujus præfixa dies jamjam imminebat.

§. XLIV.

Lotharingii Cardinalis epiſtola ad Papam circa Inſtitutionem Epiſcoporum.

Pallav. n. 8.

Eadem die Lotharingius Cardinalis prolixam admodum epiſtolam ad Pontificem dedit, in qua enarrabat diverſitatem opinionum, in quas Synodi Patres ſcinderentur, non ſine gravi, ac frequenti ipſius ſummi Pontificis moleſtia: „ego quidem, proſequebatur Car„dinalis, de inſtitutione Epiſcoporum „non poſſum ſalva Religione aſſentiri „illis, qui negant, Epiſcopos, & cum „illis omnes animarum Paſtores eſſe „ullo modo Chriſti Vicarios, neque iis „annuo, qui affirmant, a Chriſto ſolum „Divum Petrum fuiſſe creatum Epiſco„pum, a quo in reliquos Apoſtolos E„piſcopatus devenerit: porro in reli„quis vix eſt inter Patres Concilii, qui „non convenit in ea Canonum, & „Decretorum forma, qua exigitur, ut „Epiſcopi, tam nunc viventes, quam „futuri, ſeu tacito, ſeu expreſſo Roma„ni Pontificis conſenſu aſſumi debeant, „& obedientiam, quæ ab ipſis illi de„betur, præſtare teneantur adeo, ut eo„rundem

„rundem præterea poteſtas ad Eccle- Sæcul. XVI.
„ſias ipſis commiſſas ab illo reſtringi A. C. 1563.
„poſſit, per quod Pontificalis auctoritas
„non illæſa modo, ſed corroborata per-
„ſtat. „

„ Denique quod attinet ad ſupe-
„riorem auctoritatem Pontificis, aut
„Concilii, fateor, me nutritum fuiſſe in
„Academia Pariſienſi, quæ favet Con-
„ciliis, hinc comprobo omni ex parte
„Synodum Conſtantienſem, ac Baſileen-
„ſem, non item Florentinam: inſuper
„certum, exploratumque habeo, nul-
„lum meæ nationis Epiſcopum addu-
„ctum iri ad oppoſiti Decreti conſen-
„ſum, necnon Franciæ Oratores recla-
„maturos, ut exinde anſa præbeatur ad
„ſcribenda volumina pro utraque parte
„decertantia, quibus tamen Apoſtoli-
„cæ Sedis auctoritas in dubium revo-
„cabitur: quocirca cum in Franciæ Re-
„gno cum hæreticis nimium ſane inva-
„leſcentibus continuo diſputandum ef-
„ſet, hinc ſanctitatem veſtram rogo, ut
„de aliorum calamitatibus moveatur,
„& nolit nunc tam moleſtam litem cum
„catholicis excitare, eosque impellere,
„ut ſe ab ejus obſequio abſtrahant eo
„tempore, quo arctius illos eidem ad-
„dicere adlaboratur, hinc potius ſatis
„habeat, ſi Sedes Apoſtlica in auctori-
„tate ſua, ac poſſeſſione perſiſtat, neque

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

„majorem in tam iniquis rerum condi-
„tionibus declarationem expoſcat.

§. XLV.

Seſſio ad feriam quintam poſt Paſchatis octavam dilata.

Pallav. c. 16. n. 10. Pſalm. p. 369 Sarp. p. 642. Lett. de Viſconti tom. 1. Lett. 2. pag 9.

Feria quarta die tertia Februarii Synodi Præſides habita prius longa deliberatione conventum habebant, in quo Cardinalis Mantuanus proponebat, differendam eſſe Seſſionem uſque ad primam feriam quintam poſt octavam Paſchatis, quæ dies incidebat in vigeſimam ſecundam Aprilis: interim vero dicebat tradendos eſſe Theologis articulos de Matrimonii Sacramento, ac ſingulis diebus duas habendas eſſe congregationes, ita, ut Theologi mane de hoc argumento diſputarent, Patres autem Veſperi agerent de abuſibus in ordinis Sacramento commiſſis.

Hujusmodi procraſtinatio Hiſpanis Præſulibus, multisque Franciæ Prælatis diſplicuit, hinc exponebant, quod Seſſiones de die in diem differre Synodo probroſum eſſet, indeque manifeſtum fieret, quod Patrum patientia fatigari intenderetur, ut tandem opinionibus, quas approbare detrectant, aſſentiri cogantur, qua agendi ratione libertas penitus adimeretur: quinimo non deerant, qui aſſerere audebant, quod diſtinctio

ctio illa inter Seſſionem, & Congregationem Generalem nonniſi confecta eſſet, cum tam in hac, quam in illa iidem Præſules convenirent, ac tanquam res deciſa habenda eſſet, quicquid in congregatione generali decretum fuerat, nihilominus inſuperhabita hac cavillatione Seſſionem eſſe differendam concluſum eſt. Sæcul. XVI. A. C. 1563.

§. XLVI.

Seſſio ad vigeſimam ſecundam Aprilis diem a Cardinale Mantuano indicta.

Altera die quarta Februarii Cardinalis Mantuanus omnibus Synodi Patribus in conventu generali congregatis hæc propoſuit: *Pervenimus ad Seſſionis diem, non tamen pervenimus ad concordiam Seſſioni præituram: etenim cum ingens peccatorum cumulus, inter nos, & Patrem miſericordiarum interjectus, nondum ſublatus fuerit, non potuit ipſius miſericordia ad nos deſcendere, qua diſjiceretur diſſenſio ſupra Eccleſiæ Principes diffuſa.* His dictis neceſſitatem differendæ Seſſionis oſtendit, rationemque reddidit, propter quam aſſignanda eſſet dies vigeſima ſecunda Aprilis, quæ incidit in feriam quintam poſt octavam Paſchatis. Poſtea hæc ſubjunxit: interim optarent Præſides, ut Synodi Patres interea colligendis abuſibus, qui quoad

Pallav. n. 13. Raynald. hoc ann. n. 17.

Sæcul. XVI A C 1563.

quoad Sacramentum Ordinis irrepsisse dicuntur, insudarent, prout eis per libellum a Secretario traditum, fuerat injunctum, insuper eodem tempore Theologi articulos de matrimonio discutere, atque iis, quæ in priori Sessione fuerunt præscripta, ultimam manum admovere, pariterque ea decidere jubebantur, quæ utrumque hoc Sacramentum concernunt: proin hujus temporis diuturnitas illos non deterreat, spectata longiori illa mora, quam Theologi in concinnandis argumentis jam decisis antea impendebant, & Patres ad proferendas suas sententias insumpserunt.

§. XLVII.

Cardinalis Lotharingius reformationem urgeri postulans.

Pallav. n. 14. Lettr. de Visc. to. 1. p. 15.

Quamvis hæc dilatio Cardinali Lotharingio pergrata esset, se tamen ei ægerrime consentire simulabat; sperabat enim, qnod interea fors Sedes Apostolica mortuo Pontifice vacatura esset, ac re cum Cæsare collata Hispaniæ Regis voluntatem explorare, & denique tumultuum exitum in Galliis præstolari, necnon spectata harum rerum vicissitudine, quid demum consilii caperet, prospicere posset: cum autem sententiam suam proferret, prolixo sermone Patres, ut morum emendationi incum-

incumberent, hortabatur, affirmans, quod hoc unicum Franciæ neceſſitatibus ſubveniendi medium eſſet, quamvis continuata Patrum diſſenſione nullum hujus rei proſperum ſucceſſum ſibi promitteret: „ quemadmodum enim, pro„ſequebatur Cardinalis, in Apocalypſi „Epheſinus Epiſcopus a Deo commen„datus eſt, quod Nicolaitarum facta o„dio habuerit, ſed ob alia a ſe geſta ca„ſtigatus: ita Concilium Tridentinum „eſt laudandum, quod integre in fide „catholica conveniret, odio proſequens „Nicolaitas, hoc eſt, hæreticos, non ta„men in hoc commendandum eſt, quod „minime conveniret quoad morum e„mendationem, quæ tamen a cunctis „expectata, & exoptata eſt. Sæcul. XVI. A. C. 1563.

His addidit: „ Imperator, Romano„rum, & Galliæ Reges, donec obtinue„rint uſum calicis, ſemper novas pe„titiones de reformatione facient, tam„etſi duos annos continuos in Con„cilio manendum eſſet: verum conceſ„ſa ipſis hac (*) gratia facile acquie„ſcent,

(*) Perinde acſi totius reformationis ſumma in ſolo calicis uſu conſiſteret. Dein manifeſtum eſt, hunc Cardinalem inter ſe pugnantia protuliſſe, interdum enim dicebat, niſi aliquid definiretur, ad Paſcha aut Pentecoſten neceſſa-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„scent, ideo optimum puto remedium „ad illa regna in officio obedientiæ „retinenda, si his Principibus satis„fieret. „

Postea de modo usum Calicis obtinendi differens ait: „haud mihi per„suadere possum, quod hæc gratia a „Pontifice impetrari valeat, cum ipse„met Papa probe sibi perspectum habeat, „omnes Cardinales ab hac novitate „summopere abhorrere: mihi tamen „hunc favorem a Synodo obtinendi spes „supereſſe videtur, etiamsi ea res ha„ctenus ibidem parum feliciter cesserit, „eoquod hoc negotium minus recte „administratum fuerit: „ Denique sermonem suum absolvit additis his verbis: „ Romam misi formulam decreti „a me concinnati circa Residentiam, il„lud etiam Pontifex perlegit, ac po„stea Amulio Cardinali exhibuit: ille „insuper, quem a secretis habeo, mihi „rescripsit, quod præfato Cardinali hoc „decretum placuerit, mirumque ei vi„sum

necessario discedendum esset, nunc ait: Tridenti biennio sibi permanendum, jam media proponebat Concilii quamprimum finiendi, mox rationes illud protrahendi. Hanc agendi rationem tenent Viri vel instabiles, vel sinceritate carentes.

„ſum fuerit, quod nondum Concilio „fuiſſet propoſitum, cum tamen eo ju- „dice nihil contineret, quod non amba- „bus ulnis eſſet amplectendum.„ Sæcul. XVI. A. C. 1563.

§. XLVIII.

Cæſar Oenipontum veniens.

Præfixo proximæ Seſſionis die Legati habito conſilio quosdam deputare decreverunt ad Cæſarem, qui Oenipontum venerat, ut eo facilius de Synodi rebus edoceri, ſuaque mandata eo dirigere poſſet; hæc enim urbs Tyrolenſis Comitatus Metropolis nonniſi centeſimo lapide a Tridentina civitate diſtabat. *Pallav. lib. 20. c. 1. n. 1. Raynald. hoc anno n. 16.*

§. XLIX.

Commendonus Oenipontum ad Cæſarem a Legatis decretus.

Poſtea Quinqueeccleſienſis Epiſcopus, quamprimum Cæſarem appropinquare reſciverat, quantocius die vigeſima ſexta Januarii Tridento Oenipontum profectus eſt, ut ſua relatione ceteros omnes præveniret: eo etiam contendere parabat Lotharingius Cardinalis: quapropter Legati pariter ſua obſequia deferre intenti ſeligebant Commendonum, qui tum Venetiis agens aliunde præter magnam rerum experientiam ſingularem Germaniæ cognitionem *Pallav. c 1. n. 1. Gratian. in vit. Commend. Lit. Legat. ad Borrom. 14c & 18. Jan. & 2. Febr.*

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

tionem, ſibique hujus Nationis indolem ſatis perſpectam habebat, aliunde vero Cæſari acceptiſſimus erat: data igitur fuere huic Viro mandata, quæ præcipue duo concernebant capita, quorum primum erat, ut ea refelleret apud Cæſarem, de quibus ejus Oratores querebantur, ſcilicet quod nondum a Legatis fuiſſent propoſita Cæſarei voluminis poſtulata. Hanc in rem Commendonus jubebatur revocare in memoriam, a Legatis hujuſce rei cauſſas fuiſſe Cæſari ſignificatas, & ab ipſo comprobatas, nimirum, quod in his, & in Regis Galliæ poſtulatis, quæ ex parte concordant, ſimulque cum Cæſareis inculcantur ab Oratoribus utriusque Principis, duo rerum capita contineantur, quorum unum ad Pontificem, Aulamque Romanam ſpectaret, alterum vero res ab illis diſtinctas concerneret: porro circa primum, ſatius eſſe, dicebatur, ut Cæſar hoc negotium Pontificis arbitrio, ac judicio relinqueret, atque ad illum recurreret, quatenus abuſus, quos nonnulli irrepſiſſe aſſerunt, tollantur, præcipue cum Sanctitas ſua, quantum ſalva ſua dignitate liceret, Cæſari omnem opem hac in re polliceretur: ſi vero Cæſar hac in re ad ſolam Synodum confugere vellet, Pontifex ad tuendam dignitatem ſuam, ab hæreſi ea tempeſtate

ſtate adeo oppugnatam hujus rei cognitionem Synodo prohibebit, & Legati nervis omnibus eidem obſtabunt, neque Synodus proximum, proſperumque exitum habebit: inter ea vero, quæ in hiſce Cæſareorum poſtulatis immoderata videntur, Legati non ceſſabunt ea proponere, quæ facile juxta, ac honeſte concedenda cenſebunt: inſuper injungebatur Commendono, ut in colloquiis familiaribus prudenti quadam ratione aliquid ingereret de perturbationibus, quas plures ex his petitionibus Eccleſiæ allaturæ eſſent. Alterum caput, quod hic Legatus Cæſari proponere jubebatur, erat, ut Cæſarem novas difficultates, a Gallis excitatas edoceret, rogaretque, ut ipſe dignaretur opem ferre ad eas amovendas in publicæ concordiæ gratiam, cum id æquitas cauſſæ pro Sede Apoſtolica deposceret. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. L.

Gallorum poſtulata de proponendis triginta quatuor eorum articulis.

Non tamen hujusmodi ſtudia effecerunt, ut Legatis daretur locus reſpirandi ex perpetuis aggreſſionibus, quas a Gallis ſuſtinebant; quippe poſtridie, quam Seſſio prorogaretur, illis inſtiterunt Oratores Galliæ, ut omnes *Pallav. l. 20. c. 1. n. 3. Sarp. p. 642.*

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

triginta quatuor articulos nulla injecta mora proponerent, nam id ipsum ab illis promissum dicebant: si vero id Legati facere nollent, tunc Oratores petebant, ut illos proponere ipsi permitterentur, quatenus sic alterutro ex his modis palam fieret, rationem aliquam haberi christianissimi Regis: ast Legati nec huic petitioni annuere ante Gualterii Viterbiensis Episcopi, ad id Romam missi, reditum, nec hanc caussam oratoribus patefacere volebant, hinc illos dimiserunt tantisper, ut inter se consulerent de responso, quo fatebantur, fuisse quidem se pollicitos, quod circa Ordinis, & Matrimonii Sacramenta abusus, ad quos plura ex Gallorum postulatis spectarent, expendendos Synodo proponere vellent, sed non nisi post illum diem, quo Sessionem habendam speraſſent. Ad alterum responderunt, quod Facultas proponendi ad solos Præsides ex jure spectet, qui etiam nunquam recusassent id præstare in rebus, quæ non solum ab Oratoribus, sed a Patrum quovis ipsis proponerentur, quamprimum id congruum fore censeretur: cum vero Franciæ Oratores hoc responso sibi nondum satisfactum crederent, rursus Regis sui mandata exequi immoderatius petiere; quapropter Synodi Præsides tridui spatium si-

bi

bi indulgeri poſtulabant, ut certum eis reſponſum reddere poſſent: interea autem Cardinali Lotharingio ſignificabant, quod nunc, cum ipſi concorditer cum illo ea poſtulata Romam miſiſſent, æquitas poſtularet, ut Gualterii reditum præſtolarentur. Hinc Cardinalis Lotharingius ſuis viribus etiam effecit, ut in eo inducias impetrarent Synodi Præſides. Sæcul. XVI. A. C. 1562.

§. LI.

Articuli de Matrimonio Theologorum examini ſubjecti.

Nondum Præſides ab hac Gallorum moleſtia erant liberi, cum jam nova eis immineret moleſtia, cui occaſionem dederunt illi octo articuli circa Sacramentum Matrimonii, quos Theologorum diſcuſſioni ſubjecerunt: porro hi articuli his verbis erant concepti. *Pallav. n. 4. Sarp. l. c.*

I. „ Matrimonium non eſt Sacra„mentum a Deo inſtitutum, ſed ab ho„minibus in Eccleſiam invectum, nec „habet aliquam gratiæ promiſſionem.

II. „ Parentes irrita facere poſſunt „matrimonia clandeſtina, nec vera ſunt „matrimonia, quæ ita contrahuntur, „imo & expedit, ut deinceps in Eccleſia „irrita habeantur.

III. „ Licet repudiata uxore ex cauſ„ſa fornicationis cum alia matrimonium

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„contrahere vivente priore, & erro„neum est divortium facere ob aliam „causſam, quam fornicationis.

IV. „ Licet Christianis plures simul „uxores habere, & prohibitio nuptia„rum certis anni temporibus superſti„tio est tyrannica, ab Ethnicorum su„perſtitione profecta.

V. „ Matrimonium non est postpo„nendum, sed anteponendum cœlibatui, „Deusque majorem gratiam dat conju„gatis, quam aliis.

VI. „ Sacerdotes Occidentales lici„te possunt contrahere matrimonium, „non obstante voto aut Lege Eccleſia„stica, & oppositum affirmare nihil a„liud est, quam matrimonia damnare, „possuntque omnes contrahere matri„monium, qui non sentiunt se castitatis „habere donum.

VII. „ Ii tantum consanguinitatis, & „affinitatis gradus sunt obſervandi, qui „decimo octavo Levitici exprimuntur, „nec plures, nec pauciores.

VIII. „ Impotentia ad coitum, & i„gnorantia, quæ in contractu interve„nerit, solæ causſæ sunt diſſolvendi ma„trimonium contractum, & causſæ matri„moniales ad Principes sæculares spe„ctant, quin ad Judices Eccleſiasticos „recurrere quis teneatur.

§. LII.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. LII.

Altercatio inter Theologos Gallos, & Hiſpanos de loci prærogativa.

Ut horum articulorum diſcuſſio magis expedita redderetur, ipſi Theologi ſeſe in quatuor claſſes dividebant, ita, ut earum ſingulæ de articulis ſibi traditis diſceptarent. Hæc diviſio a Lotharingio Cardinale facta erat, eo ordine, ut primo loco Pontificis Theologi, & ſecundo Doctores Sorbonici ſuas ſententias promerent: verum Pagnanus, qui Piſcario a ſecretis erat, & Martinus Gaſtellus, qui jam prius ad Concilium deſtinatus a Rege, Lunenſi Comiti a ſecretis venerat, cœperunt ea de re obſtrepere, quod ex eo, cum Galli generatim præferrentur Hiſpanis, ferretur ſententia de controverſia inter duos Reges: porro id neutiquam ſe paſſuros denuntiarunt: conati ecquidem ſunt Præſides illis oſtendere, quod Theologorum Ordini in loquendo nihil ſit commune cum Oratorum ordine in ſedendo. *Pallav. & Sarp. l. c.*

Tandem ut hoc diſſidium componeretur, conventum eſt, ut, quemadmodum primus ex prima claſſe ſit Theologus Pontificius, & hunc Theologi Galli ſequerentur, ita primus ex ſecunda claſſe ſit Theologus Hiſpanus; Verum Salmanticenſis Epiſcopus, aliique Do-

Sæcul. XVI. A C. 1563. ctores Hiſpani prima noctis hora Legatos adibant, affirmantes, quod huic diſpoſitioni acquieſcere non poſſent, cum poſt Salmeronem Papæ Theologum ex prima claſſe quatuor Doctores Galli admitterentur, hacque ratione ad ſtabiliendam Franciæ Regis prærogativam, quæ tamen in controverſiam adduceretur, via ſterneretur: porro quoad privilegium Pariſienſi Academiæ conceſſum iidem reſpondebant, quod illud duntaxat intelligi poſſit reſpectu æqualium, non vero illorum, qui in gradu ſint antiquiores, cum hæc conceſſio perinde accipi non poſſit, ut novellus Doctor Sorbonicus cuiquam Seniori ex aliis Academiis præferendus ſit: ardenter igitur efflagitarunt Hiſpani, ut eodem modo, quo inter Patres ſuſcepti Epiſcopatus ordo attenderetur, ſic inter Theologos obtentæ Laureæ ratio ſervaretur. Ceterum cum tardior noctis hora novam rei diſcuſſionem tunc non permitteret, neceſſe fuit, indictum poſtero mane cœtum revocare.

§. LIII.

Hæc lis a Legatis compoſita.

Ceterum Cardinalis Lotharingius, cujus animi celſitudo ejusmodi cavillationibus intendere reſpuebat, haud gra-

gravate Hiſpanorum poſtulatis conſenſit, ea tamen conditione, ut eadem lex Pontificios etiam Theologos complecteretur: id quodammodo indulſerunt Legati, duntaxat poſtulantes, ut in primo conventu permitteretur loqui is, qui jam ad dicendum paratus erat, in quo ſimul dignitas Pontificiorum, quippe primo dicentium, ſervabatur: poſtea peroraret ſecundo loco Sorbonicus, & tertio Hiſpanus, ceteri vero antiquitatis ordine verba facerent. Annuit Cardinalis, hinc Legati prudenter curabant, ut Gallus eſſet antiquioris gradus, quam Hiſpanus, ac proinde videretur anteire ob antiquitatem Laureæ, non autem ob nationis prærogativam: verum duo illi Hiſpani, qui a ſecretis erant, acriter huic conſilio ſeſe opponebant, ac, ſi de maximi momenti re ageretur, arrogantius reſpondebant, quod Hiſpaniæ Rex, ſi id fieret, hanc injuriam ſubditis ſuis illatam armis, necnon ſubtracta Sedi Apoſtolicæ obedientia ulturus, ſacramque Sedem in Hiſpaniam translaturus eſſet. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Ea contentio die nono Februarii mane fervebat, ubi tamen ambo hi, qui a ſecretis erant, cedere coacti, petebant, ut publicis tabulis declararetur, quod ſaltem, ſi quisquam ex Gallis ante Hiſpanos ſuam ſententiam proferret,

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

ferret, id nequaquam ob ullam Nationis prærogativam concederetur: ut igitur omnibus satisfieret, Hispanis petitum ejusmodi testimonium tradebatur, simulque Parisiensis Facultatis Decano differendi locus post Salmeronem primum Pontificis Theologum dabatur, ac denique sancitum, ut omnes reliqui Pontificii Theologi post hunc Decanum perorarent.

§. LIV.

Quæstio de Sacramento Matrimonii in Patrum cœtu discussa.

Pallav. c. 2. num. 1. Sarp. l. 7. pag. 645. Pfal. p. 370.

Ergo hac eadem die nona Februarii prima habetur Theologorum congregatio, in qua de Sacramento Matrimonii ageretur: porro Salmeron, qui unicus matutino tempore verba faciebat, Matrimonium esse Sacramentum demonstrabat, nequidem exclusis Matrimoniis clandestinis, eoquod ad Sacramenti rationem Parentum consensus haud necessarius esset: postea tamen addidit, quod possit ab Ecclesia hujusmodi consensus reddi necessarius, cum penes illam esset, quemadmodum antea fecerat, constituere nova impedimenta, Matrimonium dirimentia, quibus comprobatis, quæstionem induxit, an hujusmodi constitutio in rem fuisset, de

de quo variis utrinque adductis rationibus se aliorum judicio remisit. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Postera die mane Nicolaus Maillardus Theologiæ Parisiensis Facultatis Decanus ex Doctoribus antiquior post Salmeronem perorare jubebatur, cum vero nonnisi post hanc dispositionem a Legatis, & Lotharingio Cardinale factam admonitus fuisset, necesse erat, ut ea, quæ concinnaverat, ex charta legeret: illos tamen, qui Curiæ Romanæ juribus favebant, sibi propitios reddebat, cum ex oblata Romanum Pontificem nominandi opportunitate affirmaret illum esse *Pastorem, Rectorem, & Gubernatorem Ecclesiæ Romanæ, hoc est, Universalis.* Ea res variis sermonibus ansam præbebat, nam cum Italiæ Episcopi id eo sensu acciperent, ut inde colligerent, eodem modo in Canone de institutione dici posse, *Papam habere potestatem regendi Ecclesiam universalem;* respondebant Galli, multum interesse, utrum dicatur absolute eum regere *Ecclesiam universalem*, ita ut intelligatur Universitas fidelium, vel an *Ecclesiam Romanam, id est, Universalem*, ubi illa vox *Romanam*, declarat Universalem, acsi dictum esset, quæ caput est universalis Ecclesiæ, ita, ut omnia loca, ubi auctoritas Papæ datur in totam Ecclesiam, intelligantur *disjunctive*, seu supra quam-

Sæcul. XVI. A.C.1563.

libet Ecclesiæ partem, non *conjunctive*, sive supra omnes partes simul sumptas.

Sequenti die Cosmas Damianus Hortulanus electus Villabertramdiensis Abbas primus ex Hispaniæ Regis Theologis omne matutinum tempus orationis suæ ubertate expleverat, quin tamen Auditorum animos defatigaret.

§. LV.

Franciæ Regis epistola ad Synodum in generali cœtu recitata.

Pallav. l.20. num.3. Pfal. p.370. Raynald hoc ann. num.23. Sarp. p.646. Mem. pour le Conc. de Trente pag.307.

Eadem die generalis habebatur conventus, in quo Franciæ Oratores Synodi Patribus Regis Domini sui epistolam Carnuti die decima octava Januarii datam exhibebant hujus tenoris: „Carolus Dei gratia Francorum Rex, „Sanctissimis, & in Deo Reverendissimis „Patribus, apud Tridentum celebran„dæ Sanctæ Synodi gratia congregatis „salutem. Non dubitamus Sanctissimi „Patres, quin nobis charissimus, nostri„que amantissimus Consobrinus noster „Carolus a Lotharingia, vos participes „fecerit illius nuntii, quem nos ad eum „nuper misimus de felici, & divinitus „nobis oblata victoria adversus eos no„strorum hominum, qui falso Religionis „prætextu, ex ipsa sacrarum rerum „profanatione, & alienissimis in Sacros „Ecclesiæ ministros crudelitatis exem„plis,

„plis, nihil se aliud conari declararunt, Sæcul. XVI.
„quam ut Catholicæ nostræ Religionis, A. C. 1563.
„& Christianæ pietatis statum omnem
„everterent, & armorum vi, atque in-
„juria reliquos omnes populos nostros
„in errorem suum inducerent, quorum
„audaciæ, sicuti omnes norunt, tanto
„nos animi ardore obstitimus, ac ob-
„stamus quotidie, ut nulla nos aut re-
„rum difficultas, aut periculorum di-
„scrimen, ab hoc instituto avertere, aut
„remorari potuerit, quin sceleratis eo-
„rum consiliis, ac incœptis vel ipsam
„vitam nostram opponeremus, cum
„non ignoremus in hoc toto negotio,
„præcipue de omnipotentis honore, quo
„nihil nobis potest in hac vita esse cha-
„rius, & Catholicæ ejus Ecclesiæ statu,
„ac salute decertari, cujus ut primo-
„genitus, & Majorum meorum hæredi-
„tario titulo Christianissimus filius cen-
„seor: ita equidem defensor, protector-
„que præcipuus toto orbe Christiano
„agnosci, haberique studiose percupio,
„& exopto: cum igitur certo nobis per-
„suadeamus, vos in hoc tam felici,
„tamque salutari instituti nostri successu
„Optimo, Maximo exercituum, ac vi-
„ctoriarum Deo gratias esse ex animo
„acturos, fructumque hujus beneficii
„ad vos præ ceteris facile intelligamus
„perventurum, lubenter vobiscum com-

„mune

Sæc. XVI. A.C. 1563.

„mune hoc gaudium pariter celebrare „conſtituimus, planeque, atque palam te„ſtificari, quod hanc tam inſignem, tam„que admirabilem victoriam nos uni „Chriſto Summo Regum Regi, ac bono„rum omnium auctori referamus acce„ptam: unde eum nos toto ſtudio, tota„que mente laudamus, & immortali gra„tiarum actione proſequimur, Majeſta„tem ejus obſecrantes, ut in perficiendo, „quod feliciter ipſius gratia inchoatum „eſt negotium, tanta virtutis ſuæ præſen„tia adeſſe, atque adſiſtere dignetur, ut „ad laudem ejus, & Eccleſiæ pacem, „pro noſtro deſiderio omnia paſſim ſe„data, ac tranquilla, & in antiquum „ſtatum, ſplendoremque reſtituta, prope „diem poſſimus intueri. Cæterum cum „probe noverimus, Sanctiſſimi Patres, „optima, & ſaluberrima eorum malo„rum, quæ & nos hodie hic affligunt, „& pene omnibus Chriſtiani nominis „Provinciis impendere videntur, re„media a Sanctiſſimis Chriſtianæ Ec„cleſiæ Paſtorum comitiis, publicisque „Synodis quondam petita eſſe, atque „habita, cum illi Beatiſſimi Patres pro „injuncto ſui muneris officio, de Uni„verſalis Eccleſiæ ſalute ſolliciti, tam „mature, tamque accurate, enaſcenti„bus erroribus obviam irent, tantaque „vigilantiæ aſſiduitate eis reſiſtere per„ſeve-

„ſeverarent, ut nunquam, niſi extin- Sæcul. XVI.
„ctis illis, & e medio ſublatis, ſibi A.C. 1563.
„quieſcendum eſſe arbitrarentur. Ora-
„mus vos, Patres Sanctiſſimi, & in
„Dei, atque unici Filii ejus Jeſu Chriſti
„nomine obſecramus, ut pro ea ex-
„pectatione, quam de pietate, ac pa-
„terno in ſe animo veſtro omnes conce-
„perunt, tam ſanctam, tamque ſeriam
„rerum, quæ tum bellorum injuria,
„tum temporum iniquitate in populo
„Dei vitiatæ, corruptæque ſunt, emen-
„dationem, ac reformationem inſti-
„tuere, atque inire velitis, ut illi, qui
„ſe ex animi levitate temere ab Eccle-
„ſia ſepararunt, ex ea, quam inſtaura-
„tam probe, atque perfecte reſtitutam,
„ipſis exſpectandam exhibebitis Catho-
„licæ Eccleſiæ antiquam faciem, puri-
„tate, atque integritate in ſalutis viam
„facillime reducantur. Porro, prout
„& nos quidquid opum, ac virium
„nobis eſt divinæ gratiæ munere con-
„ceſſum, ad tuendam Chriſtianæ Re-
„ligionis dignitatem cupide impendi-
„mus, & nobiſcum non pauci præſtan-
„tes viri, & militiæ noſtræ Duces, ac
„Præfecti nobis chariſſimi, in eadem
„iſta cauſſa ſibi non pepercerunt, ſed
„vitam & ſanguinem ſuum in hoc re-
„centi prælio Domino Deo conſecrave-
„runt, ſic vos pro veſtri muneris ratio-

„ne

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„ne, eo animi candore, & conſcientiæ „ſinceritate, in hoc ipſum, cujus gra„tia conveniſtis, negotium incumbatis, „ut ex ſanctiſſimo labore veſtro, verum, „ſincerumque Dei cultum tanquam præ„cipuum operæ veſtræ fructum, paſ„ſim renaſci, atque inſtaurari videamus, „atque adeo eam in Eccleſia morum „emendationem, ac diſciplinam vigere, „quæ non modo placandis Regni noſtri „procellis, ſed etiam conciliandæ, & „in eadem Religione per omnes Chri„ſtianæ Eccleſiæ populos conſtituendæ „paci ſufficere poſſit. Hæc epiſtola latine reddita die undecima Februarii Concilio fuit exhibita.

§. LVI.

Oratio Ferrerii Oratoris ad Synodi Patres.

Pallav. l. 20. c. 2. n. 3.

Recitatis hiſce literis Ferrerius Orator Synodi Patres his verbis alloquebatur: „quoniam ex literis Regis „Chriſtianiſſimi, quæ nunc recitatæ „ſunt, & orationibus non ita pridem „habitis tam ab eloquentiſſimo Prin„cipe Cardinale a Lotharingia, tum ab „eruditiſſimo viro Antiſtite Metenſi, in„tellexiſtis Galliarum vaſtitatem, & „Regis Chriſtianiſſimi aliquot egregias „victorias, nolo eſſe vobis, Patres San„ctiſſimi, in illis rurſus recenſendis, vel „eo

„eo maxime moleſtus, quodſi vobis ca- Sæcul. XVI.
„lamitates noſtras, quales ſunt, ex- A.C.1562.
„ponerem, nemo certe veſtrum eſſet, qui
„rem non potius fictam, quam factam
„exiſtimaret: de poſtrema autem vi-
„ctoria, tametſi magna, & glorioſa,
„quam ut Deus ſua immenſa providen-
„tia daret, eam de manu victoris ho-
„ſtis eripuit, quid ego plura dicam,
„cum adhuc in mediis viſceribus vivat,
„& graſſetur victus inimicus? utar igi-
„tur eo argumento, quo ſoleo & ora-
„tionem meam totam convertam ad vos,
„Sapientiſſimi Patres, unicum miſeria-
„rum noſtrarum perfugium: ſi enim
„per vos naufragii noſtri tabulas, ſi
„modo ullæ ſuperſunt, non conſerva-
„mus, omnino perimus. Moyſes cum
„pugnaret adverſus Amalech, habuit
„magnum delectorum militum nume-
„rum, cui præerat fortiſſimus Impera-
„tor Joſue, verum niſi montem con-
„ſcendiſſet, niſi petra, cui inſideret,
„ſuppoſita ei eſſet, niſi virgam in manu
„interea, dum pugnabatur, habuiſſet,
„niſi Moyſis utramque manum, Aaron,
„& Hur, usque ad occaſum ſolis ſuſten-
„taſſent, ut eas in ſublime attolleret,
„victurum fuiſſe Amalech, vel eo ſolo
„agnoſcimus, quod ſimul ac Moyſes
„manum dimitteret, vincebatur Joſue.
„Non deſunt Regi chriſtianiſſimo copiæ,

„&

Sæcul. XVI. A.C.1563.

„& propriæ, & auxiliares, illarumque „Imperator prudens, & magnanimus „Princeps Guiſiæ Dux, nihil non mo„litur, aut intentatum relinquit Chri„ſtianiſſima & prudentiſſima Regina „piiſſima Regis Mater, quod ad recon„ciliandos, vel propulſandos hoſtes per„tineat, verum Aaronem, & Hur, qui „Regi Chriſtianiſſimo petram ſubjiciant, „qui illius manus in altum tollant, ſi „vos, Patres Sanctiſſimi, non eſtis, „neminem præterea habemus: Moyſes „enim modeſtiſſimus, quotquot in orbe „unquam fuerunt, Dei vir, cui Domi„nus non in ænigmate, & ſimulacro, „ſed ore ad os loquebatur, per quem „tot, tantaque miracula edita ſunt, & „ut uno verbo dicam, Moyſes typus „Chriſti, non poterat vincere, niſi ma„nus ſublimes haberet: quid eſt, quod „de noſtris victoriis poſſit merito ſpe„rari, ſi Regis Chriſtianiſſimi manus „demiſſæ ſunt? Moyſes per ſenectutem, „& grandiorem ætatem non poterat per „ſe manus attollere, hoc idem non pot„eſt Rex noſter pupillus, per impube„rem, & teneram adhuc ætatem. Ve„ſtrum eſt Patres Sanctiſſimi, qui veri, „& legitimi eſtis Aaronis ſucceſſores, „non ſolum Regis Chriſtianiſſimi, veſtri „primogeniti Filii, ſed etiam omnium „Chriſtianorum Principum manus us-

„que

„que ad occasum solis sustinere, id au- Sæcul. XVI.
„tem a vobis fieri facile potest, si pe- A.C. 1563.
„tra illa, cui Moyses insidens vicit A-
„malech, sit vestrorum Decretorum
„basis, & fundamentum; ita enim ad
„solis occasum usque perdurabunt, ne-
„que sole meridiano, quasi nebulæ dis-
„solventur, & nos tum revera viceri-
„mus: sin minus neque victoria nostra,
„erit victoria, neque inimici nostri, ii-
„demque vestri reconciliabuntur, imo
„quasi remediis irritati, magis, ac ma-
„gis vociferabuntur, vos in Samaria
„ab hominibus excogitata, non in Hie-
„rusalem Dei tabernaculo semper per-
„manere, vosque non Aola, sed Oala
„filiam appellabunt. Sed quid ego ad-
„versarios vestros moror? si eos con-
„temnitis, habete saltem rationem Ca-
„tholicorum, & Christianorum homi-
„num, qui huc usque in fide, & Re-
„ligione sanctæ Romanæ Ecclesiæ per-
„manserunt. Non eadem est hodie æ-
„tas, non mens omnibus Christianis
„hominibus, ac erat ante quinqua-
„ginta annos: laboramus fere Catho-
„lici omnes eodem morbo, si modo
„morbus recte appellari potest, quo qui-
„dem olim Samaritani, qui mulieri a
„puteo redeunti, & dicenti Christum
„veniisse, vidisse, audisse, familiariter
„allocutum esse, non prius credide-

Sæcul. XVI A.C. 1563.

„runt, quam urbe exiissent, rem „omnem diligenter inquisivissent, cum„que Christum agnovissent, credide„runt, non quidem, ut dicebant, am„plius propter mulieris sermonem, sed „quod illi ipsi Christum cognovissent. „Scrutatur hodie, scrutatur (mihi cre„dite) Patres Sapientissimi, bona pars „Christianorum omnium sacras scriptu„ras, rejectis aliarum disciplinarum „libris: hoc ipsum prospiciens Rex „Christianissimus curavit diligenter, ne „quid mandatis nostris contineretur, „quod ad illam Moysis petram non pro„xime accederet, atque a Catholi„cis omnibus vehementer non expete„retur, & ab adversariis nullo jure re„pelli, aut repudiari posset. Ea autem „illustrissimis DD. Legatis dedimus, si „propediem (uti polliciti sunt vobis Pa„tres Sanctissimi) examinanda, & ju„dicanda proponent, ad vos enim po„tissimum mittuntur, vestrumque de „illis judicium magno desiderio expe„ctat Rex Christianissimus, & tota Gal„lia: in illis (ut videbitis) nihil præ„cipuum præ cæteris Christianis peti„mus, nam omnia sunt nobis cum Ec„clesia Catholica communia, quod si „videmur plerisque graviora, & magis „necessaria prætermisisse, illi, si placet, „existiment nos consulto a levioribus „cæ-

„cœpisse, quo facilius graviora possent Sæcul. XVI.
„suo tempore proponi, utque horum A. C. 1563.
„leviorum facilior esset executio, a qua,
„Patres Sapientissimi, nisi vos incepe-
„ritis, priusquam hinc abeatis, cla-
„mabunt Catholici, ridebunt adversa-
„rii, & dicent, Patres Tridentinos
„optime scire, sed facere nolle, opti-
„mas quidem leges statuisse, eas ta-
„men ne digito quidem attigisse, Poste-
„ris tantum, & Successoribus obser-
„vandas reliquisse: quoniam autem im-
„pietatis propemodum nos insimulant,
„qui se olfacere dicunt in postulatis
„nostris nonnulla, quæ cum adversa-
„riorum libris faciunt, nos quidem il-
„los responsione indignos censemus,
„vos si aliter judicatis, ipsi pro nobis
„respondete, vim enim patimur: qui *Ps.* 38. *v.* 14.
„vero in illis modum, ac moderatio-
„nem quamdam desiderant, & si ali-
„quid videantur dicere, dum nos de
„prudentia, cujus in vita maximus usus
„est, admonent, duorum tamen me-
„minerint oportet, primum quod Mar-
„cus Cicero scribit adversus Neopto-
„lemum, aut potius adversus Ennium,
„apud quem Neoptolemus ita loque-
„batur, philosophandum esse, sed pau-
„cis errat, inquit Tullius, qui tempe-
„rantiam, mediocritatem, modum de-
„nique desiderat in re optima, & eo

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„meliore, quo major est: alterum quod „de iis tepidis moderatoribus, & (ut „ita dicam,) lepidis, & bellis media„toribus scriptum reliquit Spiritus san„ctus, incipiam, inquit ille, vos evo„mere, utinam aut calidi, aut frigidi „fuissetis. Valeat hoc genus hominum „in profanis, & civilibus rebus, non „in divinis: nemo enim potest duobus „Dominis servire, proponite vobis, Pa„tres Sapientissimi, quid profuerit Ca„tholicæ Ecclesiæ, moderata illa Ec„clesiasticæ disciplinæ emendatio facta „in Concilio Constantiensi, aut paulo „severior in sequenti Concilio, cujus „ego nomini parcam, ne quorumdam „delicatas, ac teneras aures offendam: „quid ea, quæ in Concilio Ferrariensi, „Florentino, Lateranensi ultimo, Tri„dentino primo, aut qui unum tantum „Concilium fuisse putant, quid profue„runt decreta Tridentina facta post duos „de viginti annos? quot interea om„nium hominum ordines, quot provin„ciæ, quot regna, quot nationes, ab „Ecclesia Romana defecerunt? non est, „Patres Sapientissimi, hæc Gallorum „caussa tantum, valeant Galli cum suis „tumultibus, res suas sibi habeant. „Vos Itali, vos Hispani Patres appello? „periculum ex aliis facite vobis, quod „ex usu fiet, cujus magis interest hanc „veram,

Apoc. c. 3. v. 16.

„veram, & ſeriam diſciplinæ Eccleſia- Sæcul. XVI.
„ſticæ emendationem fieri quam Ro- A.C. 1563.
„mani Epiſcopi Pontificis Maximi, ſum-
„mi Chriſti Vicarii, Petri Succeſſoris,
„in Eccleſia Dei ſupremam poteſtatem
„habentis? nunc hic agitur de capite,
„de fortunis veſtris, hoc ego pluribus
„dicerem, niſi vos veſtra ſponte ad eam
„rem ſatis incitatos agnoſcerem, in-
„terea vero de veſtra in Regem Chri-
„ſtianiſſimum pia voluntate, & grato
„officio, gratias agimus, & oramus
„Deum Optimum Maximum Patrem
„Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut vos Ec-
„cleſiæ noſtræ diutius ſalvos, & inco-
„lumes faciat.„

Hanc orationem deſcriptam Vicecomes ad Borromæum Cardinalem transmiſerat, quam prout unusquisque affectu, vel ſententia præventus erat, excipiebat: interim id certum eſt, quod ille Prælatus, qui Synodo a ſecretis erat, ad hunc ſermonem nullum dederit reſponſum, quinimo ſermonem ſuum ita inflectebat, ut omnia ejus verba duntaxat epiſtolam Regis tangerent: ceterum in ſua oratione gratulabatur Regi glorioſam victoriam, eumque, perinde, ac ſi præſens fuiſſet, hortabatur, ut nominis memor, quod a Majoribus religione partum, ipſe hæreditarium acceperat, omnes cogitationes ad Dei

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

gloriam amplificandam convertat, & sanctam Sedem Apostolicam defensam, atque omnibus ornamentis auctam velit, veterem fidem conservet, illorum consiliis aures præbeat, qui Regni firmitatem in Dei potentia collocatam esse prædicant, nec iis attendat, qui omnia utilitate metienda esse contendentes, tranquillitatem, & pacem, quæ non erit pax, suadent, adjecto præsagio, Regem ita facturum, cum Dei ope adjutus, tam naturæ bonitate impellatur, quam Reginæ Matris, & nobilissimorum Procerum monitis incitetur: Synodum vero spondebat eam in curam incubituram, ut non minus ea, quæ ad universæ Ecclesiæ emendationem pertinent, definiantur, quam etiam illa, quæ privatim Gallicarum Ecclesiarum, regnique commodis, & rationi maxime convenire arbitrabitur.

§. LVII.

Oratio Cardinalis Lotharingii in hoc conventu.

Pallav. l. 20. c. 2. n. 6.

His perceptis Lotharingius Cardinalis hunc in modum perorabat: „Ratio, „quæ mihi habenda erat, & de meis „genitoribus, & de patria, de familia „mea regiæ stirpi adeo conjuncta, a „me poscit, ut aliquid etiam ipsus ad„derem iis, quæ Oratores exposuerant: „his

Sæc. XVI. A.C. 1563.

„his præmiſſis ita proſequebatur: ne „imitemini Reverendiſſimi Patres exem- „plum Roboami, qui rogatus, ut gra- „viſſimum jugum a parente ſuo Salo- „mone impoſitum, aliquantulum rele- „varet, quo impetrato perpetuam ipſi „obedientiam populi pollicebantur, tri „duum ad deliberandum ſumpſit: poſt- „ea vero juvenum potius, quam ſe- „num conſilium amplexatus, repulſam „dedit, unde calamitates plurimæ ſe- „cutæ ſunt: hinc impellor ad cohortan- „dos vos, ut aliquid juris veſtri remit- „tatis, quo Regnum Galliæ, cunctæ- „que Chriſtianæ gentes plena vobis „obedientia obſequerentur. Elapſum „jam fuit triduum, cujus primus dies „fuerat, cum oratorum adventu prima „vobis poſtulata Regis nomine delata „ſunt, ſecunda autem die eadem ite- „rata fuerant ad ipſorum adventum, de- „nique tertius eſt præſens dies, quo illa „repetuntur: ecquidem minime dico, „*obedite Regi noſtro*, avertat id a me „Deus, nam petit Rex, ac precatur, „adeoque ego vos hortor ad Regem „juſto dolore levandum, excogitandam- „que rationem, qua perturbati quo- „rumdam animi ad meliorem ſpem ad- „ducerentur: ſi enim diutius cuncta- „mini, Gallia peſſum dabitur, ejusque „ruina tam multas ſecum clades trahet,

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„ut vel earum cogitatio horrorem in-„cutiat. Ceterum Regi non modo ver-„bis, ſed ipſo opere reſpondere opor-„tebat, proin paratum reſponſum ea-„tenus mihi probabitur, quatenus illi „poſtea opus ipſum brevi conſonabit, „nam juxta notum illud carmen: *pro-„miſſis dives quilibet eſſe poteſt.* Ecquidem „Rex Catholicus, Pontifex, & multi „Principes, Galliæ opem tulerunt: ve-„rum Rex, Regina, & Regnum præ-„cipuam opem a vobis præſtolantur.„ Percepta hac oratione Patrum plures cenſebant, integræ, ac perfectæ emendationis ſanctiones eſſe edendas, ſed plurimi ſola voce, *Placet*, reſponſum comprobarunt.

§. LVIII.

Prælatorum nonnulli ad corrigendos abuſus in Ordinem irrepentes ſelecti.

Pallav. l. 20. c. 2. n. 7.

In eadem Congregatione Cardinalis Mantuanus petiit, ut Patres eligerent nonnullos Præſules, qui corruptelas colligerent, aliaque, quæ Sacramentum Ordinis concernunt, digererent ad conficiendam correctionem, quam Oratores poſtularant: cum ergo id generatim cunctis placuiſſet, Patrum delectus Legatis commiſſus eſt.

§. LIX.

§. LIX.

Sæcul. XVI
A.C. 1563.

Virodunenſis Epiſcopus pro præſtando fidelitatis homagio Oenipontum ad Cæſarem profectus.

Eadem die undecima Februarii abſoluta Congregatione Virodunenſis Epiſcopus Oenipontum profectus eſt, ut fidei homagium Cæſari exſolveret, ac Virodunenſem Comitatum clientelaris prædii nomine acciperet. Hujus ſolemnitatis ſeriem ipſemet hic Epiſcopus deſcribit his verbis: „die Veneris recepi „feudum a Cæſare Ferdinando in cubi„culo ſuo aperto, præſentibus multis „Epiſcopis, Principibus, Nobilibus, & „maxime Rege Romanorum, Cardinale „Lotharingio, Epiſcopis Gallis, Seno„nenſi, Ebroicenſi, Aurelianenſi, No„lenſi, Meldenſi, Sueſſionenſi, aliis„que multis, ubi habui orationem la„tinam, qua ejusmodi feudum petii, „meque excuſavi, quod hactenus pro„pter gravia impedimenta maxime hæ„reticorum rebellium non licuerit ſuam „adire Majeſtatem. Reſponſum eſt „mihi a Vice-Cancellario, quod ſua Ma„jeſtas excuſationes meas pro legiti„mis habeat, & adventus meus illi ſit „gratus, & benigne me recipiat ad in„veſtituram feudi: his dictis præſtiti „juramentum, Evangelia ambabus ma-

Miol. Pſal. pag. 370.

Sæcul. XVI. A C. 1563.

„nibus tangens, ac more, & verbis „consuetis coram Cæsare genuflexus, „qui porrexit mihi ensem, dicens: *ac- „cipe potestatem brachii sæcularis*, ubi „osculatus sum ensem: post hæc illi gra- „tias egi pro accepto beneficio, cum „laude virtutum ejus. Verum dein lis „intervenit cum supremo Imperii Præ- „fecto, eoquod is ultra trecentos au- „reos peteret quoque mulam, cui in- „sidebam, cum tamen id consuetudini „hucusque receptæ repugnaret, nam „neque tempore Caroli quinti e- „quus ullus fuit a me petitus, adeo, „ut omnia officialium jura in pecunia „numerata ascenderent ultra quadrin- „gentos, & quinquaginta aureos. Cete- rum ea res in favorem Præsulis fuit de- cisa, qui etiam relictis literis in mani- bus Sigilliferi, eam ob caussam Cæsari valedixit, ac Oeniponto relicto Tri- dentum reversus est, ubi die vigesima quarta Februarii advenerat.

§. LX.

Lotharingius Cardinalis Oenipontum ad Cæsarem profectus.

Pallav. c. 3. num. 4. Sarpius pag. 647. Lettre de Visconti t. 1. p. 21. & 37.

Die duodecima ejusdem Mensis Lotharingius Cardinalis jam Oenipontum discesserat, ut Cæsarem salutaret juxta mandata, quæ ei Regina Franciæ Administratrix transmiserat,

ferat: alii tamen existimant, id a Cardinale ideo factum, ut ipsius Cæsaris invitationi morem gereret, priusquam autem abiret, Synodi Præsides eo adegit, ut eo absente circa articulum de Sacerdotibus nihil se moturos pollicerentur, eoquod, ut fertur, omnes suas vires impendere jussus fuisset, ut Cardinali Borbonio, qui connubium inire desiderabat, dispensationem procuraret. (*) Ceterum hic idem Cardinalis secum itineris comitem habebat Simonem Vigorem, supremum in patria sua Ebroicensis Ecclesiæ Pœnitentiarium, qui clari nominis Theologus, & Navarrici Collegii Doctor postea ad Sanctum Paulum Parisiis Parochus, & demum a Gregorio XIII. Papa Narbonnensis Archiepiscopus creatus est. Huic Lotharingius Cardinalis novem adhuc adjunxit Episcopos, tresque alios Theologos natione Gallos. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Vix discesserat Lotharingius, cum Episcopus Nolanus, quem Mantuanus Cardinalis ob Nepotem suum ad purpuram promotum Romam miserat, Tridentum reverteretur: porro tam ex literis, quas hic Præsul secum attulit, quam

(*) Forte Lotharingius inter Gallicanæ reformationis capita etiam hanc legis gratiam, ac relaxationem obtinere jubebatur.

Sæcul XVI. A. C. 1563.

quam ex colloquiis cum eo habitis brevi innotuit, quod summus Pontifex Synodum nec transferri, nec dissolvi intendat, ac nequidem Bononiam, nisi ejusmodi iter esse necessarium prius a Legatis edoceretur, petiturus sit, totus vero in id incumbere velit, ut disciplina reformaretur, cum id Synodi Præsides constanter Pontifici commendarent: de Gallorum vero postulatis, Pontifex Legatis suis hæc significari jussit: „Gallo„rum petitiones fuerunt discussæ, plures „tamen animadversiones, quas desuper „fieri oportebat, ad vos misi, vestras„que sententias præstolor, ut postea hac „super re responsum Gallis reddi possit: „nihilominus summopere peto, ut „Synodus plena fruatur libertate, ac „præcipue penes illam sit aufferre ma„trimonii impedimentum ex vinculo „Sanguinis in quarto gradu; ideo de„super Synodo plena relinquatur aucto„ritas: Sessionis equidem prorogatio„nem ægro animo fero, illius tamen „causis mature perpensis eam tanquam „prudentem probo, sed non sic mihi „placet electio Cardinalium Lotharingii, „ac Madrucii ad conficiendum decre„tum de residentia, præsertim cum eis „facultas concessa fuisset convocandi ad „illud consilium Patres, quos vellent, „eoquod mihi videatur hoc exemplum „noxium

"noxium auctoritati veſtræ, eo pericu- Sæcul. XVI.
"loſius inpoſterum, quo majoris au- A C. 1563.
"thoritatis viris ejusmodi facultas data
"fuiſſet, negotio tamen jamjam Lo-
"tharingio, & Madrutio Cardinali-
"bus commiſſo proſper hujus rei exitus
"horum prudentiæ relinquendus vide-
"tur, nec adverſus ſucceſſus timeri va-
"let, cum Lotharingius Cardinalis ſen-
"tentiam ſuam proferens dixiſſet, haud
"conſultum ſibi videri, ut reſidentia jure
"divino præcepta declaretur, Madrutius
"vero præter optimam voluntatem acri
"judicio præditus eſſet.

§. LXI.

Papæ ſententia circa Oratores.

Inſuper Papa Legatis ſignificabat, ad evitandam quamcunque contentionem poſſe præſcribi, ut Oratores ad publicas functiones non accederent, niſi vocati. Hæc Pontifex perſcripſerat, ut litem, quæ antea circa Luſitaniæ Oratorem erat exorta, componeret, ſimulque Gallorum diſſidia præverteret, quæ ab eis abs dubio ſuſcitanda prævideratur, ſi Lunenſis Comes de loci prærogativa contendere vellet. Verum ad hoc caput Legati reſcribebant, quod id quidem initio fortaſſe fieri potuiſſet, nunc autem nimis ſerum eſſet, cum penes oratores jam ſit poſſeſſio liberi acceſſus *Pallav. c. 3. n. 6. & 7.*

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

cessus ad omnes solemnitates pro suo arbitratu, adeo, ut non possit nova illa prohibitio induci, quin Galli irritarentur, cum ad nihil flecti possent, quod dubitationem præseferret de ipsorum prærogativa, ac juribus. Enimvero Legati peculiarem libellum ad id Commendono tradiderant, dato illi negotio, ut exponeret Lunensi Comiti, cuncta studia ab ipsis impensa satis non fuisse, ut Franciæ Oratores potuissent induci in id, quod ipse a se optari Lancelloto significaverat: proinde suadebant, ut ipse consilium caperet pro sua prudentia, cum fortasse præsentia sua eas difficultates evincere posset: interim eidem pariter nuntiabant, quod superstint impedimenta fors vix superanda, quæ evenirent in publicis functionibus Ecclesiæ, veluti in ingressu, in exitu, in excipiendo pacis, ac thuris honore, ubi evitari non possent aperta prærogativæ argumenta, unde abs dubio tumultus oriretur.

§. LXII.

Articuli de matrimonio a Theologis examinati.

Pallav. l. 20. c. 4. n. 1.

Interea Synodi Patres, ac Theologi suas prosequebantur congregationes, atque in reliquis articulis, qui Sacramentum Matrimonii spectabant, omnino con-

convenere, in duobus tamen diffidebant, quorum primus erat: num quodcunque inter Christianos conjugium, prout ferme omnes sentiebant, sit Sacramentum, anve ad Sacramenti rationem Sacerdotis benedictio requiratur secundum Guilielmi Parisiensis opinionem, quam propugnabat Simon Vigor, aliique pauci. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Alter erat, utrum expediret in posterum clandestina matrimonia irrita reddere.

§. LXIII.

Madrutius Cardinalis Oenipontum profectus, & Commendonus adventans.

Sub idem ferme tempus, seu die decima septima Februarii Madrutius Cardinalis a Cæsare vocatus Oenipontum contendit, cum vero nonnisi ad Comitiorum tempus illuc venire jussus esset, prius Presinonem petiit, indeque veredariis equis Romanorum Regem salutatum ibat, cum hic Oeniponto brevi discessurus esset; hinc suum iter accelerabat, ut unacum Lotharingio Cardinale eo contendere posset, ubi nonnisi quatuor dierum moram trahere, moxque Presinonem usque ad comitiorum initium reverti voluit. *Pallav. c. 4. n. 2 Lett. de Visc. tom. 2. p. 21. & 22.*

§. LXIV.

Sæc. XVI. A.C. 1563.

§. LXIV.

Commendonus Legationis ſuæ capita ſcriptotenus referens.

Pallav. l. 20. c. 4. 2. 3.

Eadem die Commendonus Tridentum venit, ubi de ſua ad Cæſarem legatione Synodi Præſidibus rationem reddebat, cumque hic res a ſe geſtas deſcribere juſſus eſſet, ut ad Lotharingium Cardinalem tranſmitti poſſent: paruit ille, licet nonnihil invitus, eoquod coram Cæſare non ſemper Legatorum conſilia ſecutus fuiſſet, ac nonnunquam receſſiſſet a ſententia Delphini Nuntii, cujus tamen mandata in omnibus ſequi tenebatur: porro Commendonus in ſuo ſcripto hæc ennarrabat: „ Tantum „Chriſtianæ pietatis Cæſari ineſt, ut ea „in cunctos Germaniæ Principes Ec„cleſiaſticos, & Laicos diviſa, ſatis ſo„ret ad eas Provincias Religioni ca„tholicæ reſtituendas: poteſt tamen „dubitari de ipſius mente, ac de futuris „ejus operibus erga Synodum, & Apo„ſtolicam Sedem: videbatur enim per „rationes, quæ quorumdam opera illi „ſuggerebantur, altius impreſſum fuiſſe „ejusdem animo, quod Synodus, ac „Pontifex ſuo muneri, & emendationis „neceſſitati deſint, ac proinde ad ipſum „pertineat, tanquam primogenitum Fi„lium, atque Advocatum Eccleſiæ, eos

ad

„ad hoc obſtringere: quam in ſen- Sæcul. XVI.
„tentiam paulo ante ſuos ad Oratores A.C. 1563.
„ſcripſit: alii autem ſibi perſuadent,
„Cæſarem haud poſtulaturum a Syno-
„do decreta ad res Pontificis pertinen-
„tia, cum ipſe, ac Seldius ejus Miniſter
„in ea ſint ſententia, quæ Romanum
„Pontificem Concilio ſuperiorem affir-
„mat: Verum valde dubito, an illi, qui
„hæc ſparſerunt, rem probe edocti fue-
„rint, ſaltem ego nihil horum a Cæſa-
„re ex colloquiis cum ipſo habitis eli-
„cere potui; duntaxat enim Ferdinan-
„dus mihi confidebat arcana quædam
„de Rege Romanorum, ut ſignificaret,
„velle ſe, ut in morum emendatione ne-
„quidem ſuo filio proprio parceretur:
„Videtur enim, quod Cæſar ampla de
„futura emendatione conſilia foveat,
„nam paratur illic convocatio Theolo-
„gorum, de qua plurimum timendum
„erit; ſiquid enim Cæſari tanquam
„licitum, ac Nationi proficuum ab ejus
„Miniſtris proponetur, ipſe conſcientiæ
„ſuæ præcepto ſe adſtringi putabit, ut
„illud executioni mandet, præcipue ve-
„ro ea res exinde adhuc magis pericu-
„loſa erit, eoquod Pariſienſis quoque
„Facultatis Doctores inter hoſce Theo-
„logos numerentur. „

Ceterum cum Commendonus tuendis Aulæ Romanæ juribus ſemper in-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

tentus esset, hæc addidit: „Propitio Deo „in acceptis referendum, quod inter „convocatos Theologos adsit Petrus Ca„nisius e Societate Jesu, qui vir est „maximæ probitatis, ac doctrinæ, ma„gnusque auctoritatis Pontificiæ defen„sor: interim timeri potest, parum ab „eo solo confectum iri; nam de Lotha„ringio Cardinale sublimis in Cæsaris „aula æstimatio habetur, & avidissima „adventus ejus expectatio ibi viget, a„deoque cum vehementes sensus de re„formanda Ecclesia in eo conspiciantur, „facile quis sibi persuadere potest, eos „vicissim in eandem ituros sententiam, „conjunctionemque in rebus agendis „sibi promissuros. Equidem Cæsareis „Ministris, qui hanc emendationem a„deo importune efflagitant, opponi pos„sent difficultates illius ubique exe„quendæ, præsertim in Germania. Ve„rum hi mox respondebunt. I. *Jesui„tas palam fecisse tandem in Germania, „quid reipsa sperandum esset, siquidem vi„tæ probitate, & concionibus, & Gy„mnasiis suis retinuerunt, & adhuc susti„nent Religionem catholicam. Quare du„bium non est, ubi multa Collegia, mul„taque Gymnasia construerentur, unde mul„ti operarii suppeditarentur, incredibilem „fructum decerptum iri.* II. Iidem di„cent, quod nunc, cum omnis Eccle-

siæ

„ſiæ pernicies ex ſuorum miniſtrorum „criminibus ortum trahat, & ad ejus „reparationem plurima Dei miſerentis „ope neceſſe ſit, hæc impetrari non pos„ſit, absque illorum emendatione, ac „pœnitentia, quidquid inſuper alii cona„rentur. III. Hi miniſtri opponent, quod „honeſtas, ut ſuos quisque mores cor„rigat omnino peteret, adeoque idipſum „ſit præſtandum, tametſi alius inde „fructus non exiſteret. His dictis dum Commendonus ſui animi conſilia ex„poſuit, adjiciebat, Delfinum Papæ „Nuntium ſibi diſcedenti commiſiſſe, „ut Legatos hortaretur, quatenus ala„cri ſint animo; ab eo ſiquidem ita re„bus proſpectum eſſe, ut nulla ſuper„ventura eſſet eluvies, quin ſpatium da„retur aggeris extruendi ad eam coer„cendam. „

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. LXV.

Cardinalis Mantuanus Oenipontum proficiſci a Papa rogatus.

Non minus reformatio, de qua Commendonus cum tanto animi fervore perorabat, Romæ timebatur (*) magis

(*) Forte Continuatorem jam pœnituit, quod §. LIX. affirmaverit, quod Papa tam in ſua agendi ratione, quam in ſuis literis in-

Sæcul. XVI. A.C. 1536.

gis vero Romanam aulam reddebat sollicitam Lotharingii Cardinalis iter, eo quod hic cum Cæsare potentissimo Principe, qui hanc reformationem petebat, collaturus discessisset: eapropter Pontifex datis literis Cardinalem Mantuanum rogabat, ut rupta omni mora ipse quoque tanquam Legatus specialiter missus, aut veluti primus Synodi Præses, vel tanquam Cæsaris amicus Oenipontum ad Ferdinandum Imperatorem contenderet, eique suæ submissionis obsequia exhiberet. Certe Pontifex haud alium

Pallav. l. 20. c. 4. n. 4. Lit. Borr. ad Mant. 10. & 13. Febr. Lett. de Visconti to. 1 p. 49.

genti reformationis studio flagrarit, qua ergo ratione potentiam Cæsaris hanc emendationem petentis pertimescere potuit Pontifex, qui unacum eo illam tam avide desiderabat, eamque jam a suis Curiis inchoaverat: cur timere debuisset Lotharingium Cardinalem, qui tamen nonnisi articulos, veluti usum calicis, Sacerdotum conjugia, Divinum officium in lingua vulgari &c. §. XXX. urgere visus est, quæ omnia nullatenus Ecclesiæ disciplinam restaurare, sed potius relaxare videntur; si enim inter abusus recensentur dispensationes, certe Lotharingius tanquam rigidus reformationis æmulator timendus non erat, qui ipsus quemdam Cardinalem a voto castitatis relaxari petiit: Ita nempe a Lutheri tempore reformatio semper fuit Papas vexandi prætextus.

alium magis idoneum ad hoc munus seligere potuisset: noverat enim, quod hic Cardinalis tam generis nobilitate, quam conjunctionis auctoritate potens suo erga Religionem studio Cæsaris vehementiam cohibere, eumque a sinistris, quibus præventus erat, consiliis absterrere posset, simulque cunctis obsistere insultibus, quibus Cæsar Synodum, Sedemque Apostolicam impetere credebatur, perinde acsi multorum abusuum, qui Religionem dehonorabant, emendationem urgere, idem esset, ac ipsam Religionem aggredi, & Synodum, Sedemque Apostolicam impugnare (*). Verum

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

(*) Quod proposita Reformationis capita potissimam partem Sedis Apostolicæ auctoritatem impeterent, ex Patrum repugnantia in illis approbandis satis elucet: ea vero, quæ reipsa ad majorem Ecclesiæ nitorem conducere credebantur, cuncta in Concilio fuisse approbata, nullus ignorat, nisi qui Reformationis capita Tridenti stabilita vel incognita habet, aut ea minus sufficientia existimat, eo quod illis Pontificiam auctoritatem penitus eversam non deprehendit, in quo tamen totam petitæ suæ Reformationis summam constituit; qui enim altercationes de Sedis prærogativa, inutiles cavillationes, iniquas vexationes, & illorum, qui reformandi studium in

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Verum Cardinalis Mantuanus hoc negotium in se suscipere recusabat, sive ex eo, quod infirma valetudine indies aucta graviter premeretur, sive in Cæsaris aula absque apparatu suæ dignitati congruo comparere nollet, cum tamen ejusmodi ornatus decenter parandus præter longioris temporis moram ingentes quoque sumptus exigeret: itaque suam ad hoc iter repugnantiam demisse insinuabat, demonstrans, quod juxta relationem a Commendono factam vix non certum esset, ejusmodi legationem supervacaneam fore, ac fors Romanæ Curiæ juribus plus obfuturam, quam profuturam.

§. LXVI.

Theologorum conventus Oeniponti.

Interea

Tridentino Concilio tam ardenter verbotenus urgebant, controversias considerat, cæcus sit oportet, si non clare perspicit, ab illis reformationem unice fuisse exoptatam, ut depressa Pontificis auctoritate jugum obedientiæ excutere, privatas Basileensium opiniones firmare, omnem, ac independentem auctoritatem Episcopis suis vindicare, atque illam successive in Principes transferre possent: Si vero hæc omnia impetrassent, certe Religio horrendis abusibus fuisset dehonestata.

Interea Lotharingius Cardinalis die decima sexta Februarii Oenipontum venit, ibidem comiter, ac magnifice exceptus, cunctis eidem honorem deferre certantibus: porro dum ille ibidem morabatur, habitus est in hac urbe Theologorum congressus, cui post Quinque-ecclesiensem Episcopum, qui primam Sedem occupabat, præerant Canisius, & Fridericus Stafilus, qui Romanorum Regis uxori a confessionibus erat. Proponebantur ibi Theologis varii articuli, quos Gratianus ad Commendonum Oeniponti permanentem, cui a secretis erat, transmisit, prout idem Canisius ad Patrem Lainesium Societatis Præpositum, qui Tridenti agebat, perscripserat: ceterum hi articuli numero duodecim his verbis unacum Canisii responsis erant concepti. Sæcul. XVI A.C. 1563. *Pall. c. 4. n. 4.*

§. LXVII.

Articuli de Concilio a Cæsare Theologorum judicio subjecti.

I. *An Cæsari laborandum sit pro continuatione Concilii; anve ejus abruptio, aut suspensio permittenda.* Respondebat Canisius, nihil esse Cæsari convenientius, quam ut omni studio continuandum curet Concilium. *Pall. t. 4. n. 4. Sarpius p. 375.*

II. *Ubi in articulo superiori prima pars eligeretur: num per minas, & cujus*

Sæcul. XVI. A.C.1563.

generi, agendum esset, ne abrumperetur? Respondebatur, Minas adhibendas non esse, sed prius amicas omnes rationes tentandas. Si vero nonnisi postrema hæc agendi ratio supereſſet, recte prius expendendum, lucrumne, an damnum ea esset illatura: cum hujusmodi exemplum Cæsaris multos Principes excitaret ad habendas nationum Synodos schismaticas, absque communicatione cum Summo Pontifice.

III. *An proponendi potestas esset Legatorum propria, an Episcopis, & Oratoribus communis?* Affirmabatur, tantam esse Legatorum potestatem, eosque tantum auctoritatis obtinere, quantum Pontifici libet, in cujus potestate est cogere, regere, & confirmare Concilia. Porro ad hujus articuli calcem quærebatur, an reprehensionem mererentur Legati, dum ostium Concilii, quod cunctis patere oportebat, ab ipsis occluderetur Cæsari: verum super eo quid fuisset responsum, haud comperitur.

IV. *Cum contingeret, Præsulem unicum esse a Secretis Concilio, eumque parum opportunum, parumque fidum, quid agendum?* Responsio erat, oportere cum Legatis agi, ubi vero hi de re edocti remedium negarent, ad Pontificem confugiendum.

V. *An*

Sæcul. XVI A.C. 1563.

V. *An esset curandum, ut Patres duas in classes dividerentur, quarum altera ageret de doctrina, altera de emendatione?* Nulla pariter hic apponitur Canisii responsio.

VI. *Num acriter promovenda esset Summi Pontificis, Aulæque Romanæ emendatio, quando verendum esset, ne animi Pontificis, & aliorum, in quos illa recideret, adeo exacerbarentur, ut ad Synodum præcidendam impellerentur?* Hic similiter Canisii responsum a Gratiano non subditur.

VII. *An esset reformandus Ordo Ecclesiasticus, & qua in re?* Ad primum solum respondens, affirmabat absolute, & de cunctis Ordinibus: sed non minus idem conficiendum in cunctis Principibus laicis, qui libertatem opprimebant, & sanctitatem Ecclesiæ violabant.

VIII. *An in rem esset, iterum postulari sumptionem Eucharistiæ sub utraque specie, matrimonium Sacerdotum, & liberum carnis usum cunctis diebus?* Negabat id in rem videri.

IX. *Quænam esset ineunda ratio, quo Episcopi Germaniæ ad Synodum pergerent?* Existimabat Canisius, Pontificem a Cæsare, ut ipse gravioribus jussis, denuntiata privationis pœna, eo illos acciret, esse urgendum mittendumque ab ipso Cæsare simul cum Pontificis minis-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

stro Oratorem suum, qui conjunctim auctoritate Cæsarea eos compelleret, cum indignum esset, ob hæreticorum metum deseri utilitatem Christianæ Reipublicæ, ubi tanta necessitas, & opportunitas aderit.

X. *An expediret, ut ipse Cæsar se conferret ad Concilium?* Respondebat Canisius, hanc futuram fuisse expeditissimam rationem componendi inter Præsules præsentia dissidia, & evitandi futura; insuper addebat, quod tunc, si Cæsar, ac Pontifex aut Mantuam, aut Bononiam convenirent, agi posset de capite, membrisque reformandis; unde Cæsar & præmium apud Deum, & Gloriam apud homines promereretur, alter pene Constantinus.

XI. *Quænam opera esset opportuna circa caput de mansione Episcoporum, & in iis rebus, quæ per sacros Canones sancita fuerant.* Id vacat responsione.

XII. *An permittendum Legatis, ut res proponerent, quo sibi liberet Ordine?* Quoad hoc etiam responsum desideratur, nec amplius notæ Gratiani progrediuntur.

Idem Gratianus præterea hæc referebat: In articulo, ubi sermo erat de Romana aula reformanda, præsertim de coarctando Cardinalium numero, & tollenda relaxationum largitate dixerat Canisius, antea *rogandum esse Pontificem,*

ficem, ut se reformari pateretur. Verum cum ipse Gratianus Canisio suggereret, hujusmodi formulam inusitatam videri, adeoque offensuram Pontificem, proinde ac si ipse superiori potestati subderetur, ideo factum, ut in hanc commutaretur: *rogandum Pontificem, ut ipse se, aulamque Romanam reformaret.* Addebat postremo, Canisium quoque plura alia proposuisse, quæ eo tenderent, ut Romæ quædam emendarentur: attamen horum exigua habebatur ratio. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. LXVIII.

Iidem articuli immutati, ac correcti.

Ceterum duodecim hi articuli in multis rebus fuere immutati, atque ex iis sequentes duodecim efformabantur: *Pallav. l. 2. c. 4. n. 6.*

I. An Concilium legitime coactum faventibus Principibus, possit in progressu mutare, aut constituere ordinem alium ab eo, quem illi Romanus Pontifex decrevit.

II. Num expediat Ecclesiæ, ut a Concilio agendæ, ac statuendæ sint res absque directione Pontificis, Aulæque Romanæ.

III. An demortuo Pontifice Concilii tempore, electio ad Patres pertineat.

IV. An ubi agitur de rebus ad pacem, tranquillitatemque Christianæ Reipublicæ spectantibus, ferendum sit ab Oratoribus Principum judiciale suffragium, quamvis illud ipsis non competat de dogmatibus.

V. Pos-

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

V. Possintne Principes revocare a Concilio Oratores suos, ac Præsules, non communicato Præsidibus revocationis decreto.

VI. Possitne Pontifex removere, aut suspendere Concilium, non communicato hujusmodi Decreto Principibus, ac præsertim Cæsari.

VII. An expediat, ut Principes interponant se, quo agantur in Concilio res magis necessariæ, & conducibiles.

VIII. Insitne Principum Oratoribus facultas exponendi per seipsos Concilio Dominorum suorum mandata.

IX. Num ratio sit ineunda, quo Patres liberi sint respectu tum Romani Pontificis, tum suorum Principum in ferenda sententia in Concilio.

X. An excogitanda sit ratio, ne causa numeri fraus ulla, aut violentia, aut a veritate detorsio committatur.

XI. An agendæ sint in Concilio res sive ad fidem, sive ad emendationem spectantes, quæ a peritis antea non fuerint expensæ.

XII. Num congrujus videatur, ut Cæsar Concilio intersit.

His duodecim articulis sequentes quinque adjiciuntur, qui a Cæsaris Oratoribus in Romanæ Curiæ odium excogitati pro adulterinis habentur, quamvis ceteroquin nihil æquitati adversum

versum continere videantur (*): porro hi articuli erant, qui sequuntur: Sæcul. XVI. A.C. 1563.

I. Quænam sit potestas Cæsaris Sede Romana vacante, & extante Concilio.

II. Quidnam effici possit, ne Summus Pontifex & Aula Romana sese interponant, præcipientes, quæ in Concilio tractanda sunt, quo Patrum libertas haud impediatur.

III. Quod esset excogitandum remedium, ubi Præsules Italici obstinate persisterent in præcipiendis rerum sanctionibus.

IV. Quæ

(*) Cuncta, quæ in invidiam Romanæ Curiæ conficta sunt, Continuatori nostro ipsique similibus æquitati consona videntur: de his tamen articulis Pallavicinus loc. cit. num. 8. sequens fert judicium: *aliorum quinque, quos commemorat Suavis, inventrix mendax id temporis malignitas fuit, quacum pro more fœdus iniit fama. Quare cum illi in Oratoris Florentini manus devenissent, hic satis caute ad Florentiæ Ducem eos perscripsit: nimirum tanquam nullius auctoritatis, quin potius ex ipsius sententia tanquam adulterinos, utpote rejectos tanquam commentitios a Cæsaris Oratoribus, & tanquam* parum prudentes & absurdos. *Et Suavi quidem, ad eorum falsitatem pernoscendam, satis fuisset legere literas Amulii ad Seripandum, impressas in volumine Gallico, sæpius a nobis adducto, in quibus veri articuli a Ferdinando propositi duodecim numerantur.*

Sæcul. XVI. A C. 1563.

IV. Quæ ratio esset ineunda, ne Præsules Italici simul conspirarent, si sermo haberetur de auctoritate Romani Pontificis.

V. Qua ratione amoveri posset industria acquirendi suffragia, quo mansionis articulus decerneretur (*).

§. LXIX.

Legatorum conatus adversus hosce duodecim articulos.

Pall. l. 5. n. 1. Lett. 7. de Visconti 24. Febr. p. 65.

Redeunte Cardinale Lotharingio Legati de duodecim primis articulis edocti in suspicionem adducebantur, perinde

(*) In hos articulos Pallavicinus hæc observat: *non solum in falso depingendo, sed in vero exponendo studet Suavis veritatem obtegere. Exemplo sit, in eo articulo, ubi sermo est de ratione excogitanda, quo sententiæ liberæ sint,* & a Summo Pontifice, & a Principibus, *hanc postremam voculam ille præterit, quo tota opinio, & integrum odium læsæ libertatis in Pontificem recidat; veritus, ne si ea accusatis legeretur tanquam communis Laicis Principibus, ex judicio prudentum collatis ex adversis inter se actionibus, rationibusque singulorum, ille unicus absolveretur, quem solum damnatum cupiebat. Homini autem, qui non studio ducitur, sed turbido animi motu, mos est accusare non operum effectores ex operum odio, sed opera ex odio effectorum.*

perinde acſi Cæſar vellet admovere manum ad ea, quæ non ſunt Cæſaris, ſed Dei: idcirco Seripandus Pontificem cohortatus eſt ad fortiter reſiſtendum, ſcribendumque Cæſari Diploma, ſimile Diplomati, quod Paulus III. tranſmiſerat Carolo V. anno Chriſti milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quarto contra Spirenſis conventus Decretum. Inſuper hac ſuper re Vicecomes die vigeſima quarta Februarii ad Cardinalem Borromæum literas dabat hujus tenoris: „Minime decet, ut ſummus Pontifex leges ſibi præſcribi permittat a Cæſare, qui hac ratione ſuſpicioni anſam præbet, quod ſeſe rebus unice ad ſanctitatem ſuam pertinentibus ingerere attentet: quapropter Pontifex aliunde Princeps magnanimus haud improvide ageret, ſi hac in occaſione ſuam indignationem Cæſari per diploma ad id idoneum teſtatam faceret; deſuper cum Seripando Cardinale contuli, qui ejusdem mecum opinionis eſt, nam is optat, ut Papa hoc Diploma gravibus tamen, amplisque verbis conceptum conficiat, atque in eo, quod Eccleſiæ reformationem, non autem deformationem petat, clare indicet, ſimulque Cæſarem reprehendat, quod ſuis articulis ea, quæ tamen omnibus evidenter patent,

Sæc. XVI. A.C. 1563.

Sæcul. XVI. A.C 1563.

„petent, in dubium revocare velit: „præcipue vero fugillet Papa Impera„toris Miniſtros, qui ei tam perverſa „ſuggeſſerunt conſilia. Idem quoque „Cardinalis in memoriam revocabat, „quod felicis recordationis Paulus III. „Pontifex ad Carolum V. ejusmodi di„ploma miſerit, in quo eum objurgabat, „quod in comitiis a ſe celebratis quæ„dam contra Sedis Apoſtolicæ dignita„tem, auctoritatemque decreverit: „porro cum poſtmodum compererim, „quod præfatum diploma poſt collo„quia Spiræ habita Anno Domini mil„leſimo quingenteſimo quadrageſimo „quarto fuerit editum, illud hic in ſcri„niis reperi, hinc illud transſcriptum „Veſtræ Eminentiæ tranſmittam: ſi ve„ro Pontifex, decreto hoc Theologo„rum congreſſu hoc conſilium ſequi re„cuſaret, ac proin hujus diplomatis ex„emplar inutile foret, tunc, quod ta„men Deus avertat, contingere poſſet, „ut hiſce conſultationibus finitis pri„mum tunc Papa hoc conſilium exe„qui cogeretur, poſtquam ibidem quic„quam Pontificis minus gratum jam „fuerat deciſum. Inſuper idem Car„dinalis ſe paratum exhibuit, quod i„pſemet, ſi Papa hoc conſilium ample„cti velit, libenter ea, quæ in hoc di„plomate eſſent exprimenda, prævie „con-

„concipere vellet.„ Verum Pontifex ab exerenda indignatione sua prohibebatur literis Delphini Nuntii sui, qui in Cæsaris moderatione, & lenitate plurimum spei reponebat. Sæcul. XVI A.C. 1568.

§. LXX.

Lunensis Comes a Cæsare Oenipontum accitus.

Post hæc Cæsar datis literis Lunensem Comitem Oenipontum venire jussit, ut cum Lotharingio Cardinale conferret, qua ratione hic Orator salvo Principis sui honore Concilio interesse posset: addebat quoque Cardinalis, quod Galli non minori studio, quam Pontifex illius præsentiam exoptarent, contrariis tamen rationibus ad id permoti: illi enim existimabant, quod Comes, qui contendebat cum illis de ordine sedendi, saltem concordaturus esset cum ipsis circa ordinem procedendi, cum recenti mandato ei injunctum fuisset a Rege Catholico, ut conjunctim non modo cum Cæsarianis, sed etiam cum Gallis in emendatione curanda conferat, ac præsertim plurimum Lotharingii Cardinalis auctoritati tribuat. *Pallav. l. 20. c. 5. n. 2. Lett. de Viscont. tom. 1. p. 59.*

§. LXXI.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. LXXI.

Lotharingii Cardinalis relatio coram Legatis facta de suo itinere.

Pallav. n. 4. Lott de Visc. tom. 1. p. 73.

Sicut hoc Lotharingii colloquium cum Lunensi Comite admodum breve fuit, ita res ibidem agitatæ ignorantur: porro paulo post Cardinalis Oeniponte profectus die vigesima septima Februarii Tridentum reversus est, ubi Legatis sui itineris rationem reddens Osio Legato tum ægrotanti hæc narrabat: „quamprimum Oenipontum pervene„ram, Delphinum nuntium mox visum „ibam, qui mihi significabat, in Cæsare „non amplius repertum iri veterem „voluntatem Concilio propitiam: quam„vis adeo magnam exinde laudem si„bi comparasset: de cetero autem in„quiebat, quod hæc illius mutatio cœ„perit ex aliquo tempore, ob animi mo„lestiam & Tridenti, & Romæ ipsi illa„tam: eapropter me Nuntius rogabat, „ut ea præstarem officia, quæ Cardi„nali, & hujusmodi Cardinali digna es„sent, quæve ob ipsius conditiones in„gentem utilitatem caussæ publicæ, ac „Pontificis rebus afferre possent.„

§. LXXII.

Cæsaris querelæ contra Legatos a Lotharingio relatæ.

Ad

Ad hæc Lotharingius se hæc reſpondiſſe narrabat: „nunquam commiſſurus „ſum, ut in me deſideretur, quicquid „purpuræ, qua decoratus ſum, digni- „tas, gratusque erga Pontificem ani- „mus depoſcere videntur, prout has par- „tes ſemper integra fide explere ſtudui: „verum in primo colloquio, ad quod „admiſſus fueram, Cæſar prorupit in „acerbas querelas, præprimis indigna- „tus, quod haud major de ipſo fuiſſet „habita in Concilio ratio, quam de quo- „vis privato haberetur; eoquod Præſi- „des, quamvis in ſcripto, quod miſe- „rat, multa comperiſſent, faſſi, ea digna „fore, ut proponerentur, tot tamen „menſium ſpatio nunquam ad id deve- „nirent, ſpernentes venerandam ejus- „modi Principis, a quo illa proveniе- „bant, dignitatem, nec non eorum, „quos ipſe deputaverat, Oratorum co- „natus, qui officia tam ferventia, to- „tiesque iterata interpoſuerant: præterea „querebatur Cæſar, quod Legati ea „duntaxat ex cauſſa recuſarint alia in „eodem volumine contenta proponere, „eoquod haud decorum Cæſari futu- „rum dicerent, ſi ipſius nomine expo- „nerentur ea, quæ vix auſi fuiſſent hæ- „retici poſtulare: inſuper Cæſar mihi „ſignificabat, ſe hac repulſa, præſer- „tum ob cauſſam a Legatis allegatam

Sæc. XVI. A. C. 1563.

Pallav. l. c.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

"ſummopere fuiſſe commotum, eo po-
"tiſſimum nomine, cum haud credi
"poſſit, quod ea ab illo alio ex fine pe-
"tantur, niſi ut ſui populi ſaluti, votis-
"que, non autem privatis ſuis commo-
"dis ſatisfaceret. Præterea ſe quoque
"ægro ferre animo ajebat Imperator,
"quod Legati ejus Oratoribus alloquii
"copiam denegaſſent, eoquod ea, quæ
"proponere juſſi fuiſſent, ad Pontificiam
"auctoritatem ſpectarent: tandem Cæ-
"ſar, inquiebat Lotharingius, non pa-
"rum exacerbatus pronuntiavit, quod
"nondum quidquam alicujus momenti
"in eo conventu peractum fuerit, Ro-
"manusque Pontifex decipiatur, aut
"ab ipſomet Concilio Tridentino, aut
"ab altero Concilio ſuo, quod Romæ
"habetur, ubi falſo credebatur, quod
"illi, qui abuſus tolli petunt, ſummi
"Pontificis auctoritatem aggredian-
"tur. (*)

§. LXXIII.

(*) Ad hæc obſervat Pallavicinus, quod Lotharingius non tam Cæſaris querelas narraverit, quam propriam ſuam bilem ementito Cæſaris nomine effuderit. *Hæc*, inquit Pallavicinus *a Lotharingio relata ſunt per vividam expreſſionem, & per ſpeciem non aliena ſenſa mere narrantis, ſed ſua firmare ſtudentis ſuperiore alterius auctoritate.*

§. LXXIII.

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

Seripandi Legati responsum, atque apologia ad hasce querelas.

Tum Seripandus Lotharingium interrumpens hæc effatus est: „certe „non adeo mentis inops sum, ut præ„sumerem quidquam reverentiæ, at„que observantiæ tam bene merito, ac „pio Cæsari debitæ prætermittere, ad „quod tum propria mea in illum pro„pensione, tum diserto mandato Pon„tificis impellor: selegi equidem quos„dam articulos ex eo volumine, tan„quam dignos, ut proponerentur, quo„rum aliqui fuere traditi Patribus ad „hoc destinatis, ut ea, quæ spectabant „ad abusus in Ordinis Sacramento, di„scuterent, de ceteris autem data op„portunitate agerent: quod vero ex „his alii articuli fuerint prætermissi, me „potius grates ab eo, quam reprehen„sionem reportaturum speraſſem; quan„doquidem circa Calicis petitionem, cui „Cæsar præprimis insistebat, experi„mento constabat, quantum ea offen„sionis Patribus incussisset, quasi hujus„modi postulata essent fidei injuriosa, „ac Religioni contraria.

Sæc. XVI. A. C. 1563.

§. LXXIV.

Seripandi responsum ad Cæsaris objecta de Pontificis auctoritate.

His Seripandus addebat: „de tertio articulo, in quo ea, quæ ad Pontificiam auctoritatem pertinent, reformari petuntur, certe capere non valeo, quanam unquam ratione, ac decentia postulari valeat, ut subditi Principem reforment, adeoque assuescant cum eo agere tanquam cum subdito, quo modo facile debita reverentia in contemptum, & arrogantiam degenerare posset: præterea eo facinore nihil magis contrarium videtur, tam Hierarchiæ a Christo institutæ, quam cuivis probi regiminis normæ: quapropter iterum affirmo, quod in hujuscemodi rebus Pontifex & Legislator, & lex sibi esse debeat: non autem a quopiam leges recipere teneatur: de cetero si Cæsar cum eo agere velit, tunc in eodem experietur omnem animi propensionem, quemadmodum liquet ex emendatione Romanæ Aulæ, quam jam Pontifex inchoavit, & assidue continuat. Cetera circa hoc postremum caput, quod maxime periculosum erat, Cardinalis Lotharingius Legatorum animos mirifice recreabat, luculenter contestatus, quod

quod Cæsar firmam, atque integram Pontificis auctoritatem tueri vellet, ac paratissimus esset, non modo non immutare Catholicam Religionem, sed nunquam etiam se subtrahere ab obedientia Principis eam moderantis, ac præsertim Pii IV. de quo maximam, optimamque opinionem habebat, adeo ut vix de alio Pontifice major concipi posset; nam iperabat Cæsar, a Papa quodcunque bonum pro Ecclesia procuratum iri, dummodo a suis consiliariis non induceretur in fraudem, quemadmodum Cæsari certo videbatur antea contigisse; nam conjiciebant nonnulli, quod potissimam culpam Ferdinandus tribuerit consiliis duorum insignium Purpuratorum, Moroni, & Cicalæ, quorum agendi ratio Cæsari minus probabatur. Sæc. XVI. A.C. 1563.

§. LXXV.

Lotharingii relatio circa residentiæ caput, & hæc verba: Proponentibus Legatis.

Percepto Seripandi responso Lotharingius Cardinalis transibat ad ea, quæ Cæsar ad illum dixerat de repugnantia, qua Legati sese opposuerant, quo minus Episcoporum jurisdictio, & residentia juris divini declararetur, aut hæc verba, *Proponentibus Legatis* e Bul-

Sæcul. XVI. A C. 1563.

la tollerentur: verum mox ad primum articulum Seripandus repoſuit, quod circa hoc caput omnibus ſatisfieret: circa alterum vero notum ſit, quod decretum in quo hæc verba habentur, communi Patrum conſenſu fuerit confectum, proin rurſus de illis agere haud deceret: præſertim cum hæc verba Synodi libertatem, ut ſpargitur, nequaquam læderent. His ita narratis Lotharingius ſuum cum Legatis colloquium diſſolvit, ea vero, quæ cum Cæſare agitabat, negotia nunquam innotuere, quantumvis hoc arcanum detegendi ſolertia haud levis fuiſſet adhibita, ac Lotharingius ſæpe per integras duas horas Imperatori collocutus fuiſſet: quinimo Galli etiam Præſules, & Theologi, qui eum comitabantur, rem pariter ſecretam tenebant. (*)

„Cum ipſus ego, inquit Vicecomes „in quadam ſua epiſtola, cum Seno„nenſi, & Ebrodunenſi Archiepiſcopo „conferrem, ambo attoniti hærebant, „palam profeſſi, quod ipſi nihil eorum, „quæ circa duodecim articulos fuere „agitata, habuerint compertum: imo „Ebro-

(*) Addit Pallavinus: *etenim ubi cum Superioribus agitur, unicuique curæ eſt, benefacta in lucem evocare verbis, malefacta occultare ſilentio.*

"Ebrodunensis mihi significabat, quod "Germaniæ Theologi cum Lotharingio "Cardinale nequidem collocuti fuerint, "sed solus ille, qui Romanorum Regis "conjugi a confessionibus est, eundem "visum iverit, eidemque librum a se "circa residentiæ quæstionem composi- "tum tradiderit: Lotharingius autem "nonnisi unica vice, dum Jesuitarum "Collegium accesserat, cum Canisio con- "tulit: cum ergo hac de re magis ex- "actam cognitionem haurire percupe- "rem, rem eo deduxi, ut quidam Theo- "logus (*) amicus meus seorsim cum "Theologis, qui Cardinalem comita- "bantur, conferret: porro illi erant, "Abbas Claravallensis, Santonensis Epi- "scopi Theologus, Simon Vigor, & "Dupreus: nihil tamen detegere potui, "cum unaomnes inter se conveniissent, "ut se nihil omnino scire dicerent, at- "que ipsi circa hos articulos adeo non "quicquam contulerint, aut eos ad exa- "men vocaverint, ut illos nequidem "conspexerint. „ Sæcul. XVI. A. C. 1563.

§. LXXVI.

Mantuæ Dux Patrui sui fatis Tridenti præsens.

(*) Hic erat quidem ex Ordine Fratrum Minorum natione Gallus.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Cum ergo Cæsar Italiæ vicinus esset, Mantuæ Dux ejus Gener Oenipontum venire constituit, Imperatorem salutaturus: accessit itaque unacum Ducissa Conjuge sua, quæ tamen illum nonnisi modicis itineribus sequebatur: Dux vero post Cardinalem Lotharingium aliquot diebus (*) Tridentum veniens, ibidem primum Synodi Legatum Patruum suum extremo morbo laborantem offendit, atque illic subsistens exacto triduo tristi decedentis Mantuani Cardinalis spectaculo interfuit.

Pallav. c. 6. num. 1. Viscont. t. 1. Lettr. 7. & 8. p. 59. & 77.

§. LXXVII.

Cardinalis Mantuani obitus, vitæque historia.

Obiit hic Cardinalis die secunda Martii annos natus quinquaginta octo, postquam per triginta sex annos purpuram gestaverat. Natus is erat Anno reparatæ Salutis millesimo quingentesimo quinto ex Francisco Gonzaga hujus nominis secundo, & Elisabetha Estensi Herculis Ferrariæ Ducis Filia, atque expleto decimo quinto ætatis suæ anno cedente Sigismundo Gonzaga Patruo suo Mantuanum Episcopatum, & vigesimo secundo anno Cardinalitiam dignitatem obtinuit, postea vero Tarra-

Pallav. n. 2. Possev. in Gonzag. Ciacon. t. 3. pag. 481. Psal. p. 378. Aubery vie des Card. Spond hoc ann. n. 9. Rayn. ad ann. 1563. num. 56.

(*) Pallavicinus inquit, *horis.*

Tarragonenſi Archiepiſcopatu auctus rexit quoque Fanenſem, & Suanam Eccleſias, ex quibus tamen poſtremam Farneſio Cardinali, qui poſtea Pontifex Paulus III. nominabatur, cedebat: quamdiu autem ejus Nepotes Franciſcus ejusdem nominis tertius, & Guilielmus, qui ſibi invicem in Mantuani Ducatus regimine ſuccedebant, adhuc ſub Curatorum tutela erant, per ſexdecim annos idem Cardinalis eorum ditiones cum ſumma manſuetudine, ac prudentia gubernabat, quin propterea ullo pacto Eccleſiæ ſuæ ſollicitudini deeſſet, labores partitus cum Philippo Arrivabeneo Mantuano Nobili Jeropolitano Epiſcopo, ac Leonardo Marino Genuenſi Patritio Viro ex Ordine Sancti Dominici doctiſſimo, & Laodicenſi Epiſcopo, quorum opera adjutus pro imbuendis Diæceſis ſuæ Parochis Catechismum typis edi curabat: inſuper idem fungebatur Campaniæ, & Marchiæ Anconitanæ Legationibus, necnon circa Annum Domini milleſimum quingenteſimum trigeſimum Legatus ad Carolum V. Cæſarem decernebatur, dum hic pro recipienda corona Cæſarea Bononiam acceſſerat. Denique Pauli III. Julii III. Marcelli II. Pauli IV. & Pii IV. electionem ſuo ſuffragio promoverat. Tandem corpus ejus Mantuæ

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

tuæ ad Eccleſiæ Cathedralis Sacellum Divo Petro ſacrum fuit translatum, ubi hodiedum ſepulcralis illius inſcriptio viſitur.

Ceterum die tertia Martii ſolemnes pro illo celebrabantur exequiæ, quibus omnes Synodi Patres intererant: imo ipſe etiam Mantuæ Dux, & Cæſar Gonzaga ejus Frater, qui Cardinali Patruo ſuo usque ad extremum vitæ halitum adſtiterant, Oenipontum proficiſci differebant, defuncti corpus Mantuam usque comitantes, ubi eidem magnifica prorſus pompa pro more juſta perſolvi curabant.

§. LXXVIII.

Cæſareorum molimina pro Lotharingio Cardinale in primum Synodi Legatum ſubrogando.

Pallav. c. 6. num. 4. Lett. de Viſcont. t. 1. p. 117. & 119.

Poſtea Seripandus hujus Viri obitum ſummo Pontifici nuntiabat, eum rogans, ut alium a Sacro Collegio magis veteranum, qui ſe ſuperior eſſet in Concilio, ſubrogare vellet: Cæſarei vero confeſtim in Lotharingium Cardinalem oculos convertebant, ſpargentes, ſi ea Legatio huic Cardinali committeretur, ſatis factum iri cunctis Principibus, & Nationibus, cum unaomnes plurimum confidentiæ in eum repone-

ponerent, ac proin certa prosperi, glorioſique exitus ſpes Concilio inde affulgeret: idcirco Nuntium ad Cæſarem ablegantes eundem hortabantur, ut ad id Pontificem precibus ſuis ſtimularet, dein autem ceteros quoque Oratores, ut & ipſi concurrerent, precabantur. Sæc. XVI. A.C. 1563.

§. LXXIX.

Moronus, & Navagerus in Synodi Legatos nominati.

Verum jam ſeptima ejusdem Menſis Martii die ſummus Pontifex importunas ejusmodi preces veritus clam habito Patrum Senatu Joannem Moronum, & Bernardum Navagerum ambos Cardinales in Synodi Legatos præſentibus omnibus Purpuratis creabat: ad horum vero electionem præcipue impellebatur, eoquod ambo hi Cardinales prudentia, rerumque experientia præ ceteris eminerent, atque aliunde ſuum erga ſacram Sedem ſtudium teſtatum reddidiſſent. Referunt nonnulli, quod eo tempore, quo Pontifex e cubili ſuo ad hanc electionem proceſſerat, quamvis ſuum propoſitum nemini manifeſtaſſet, Burdeſius tamen Cardinalis rem ſubodoratus de hac re ſermonem inſtituerit, ac Lotharingium Cardinalem eligendum propoſuerit: cum vero Papa hunc ipſum præ ceteris timeret, eoquod

Pallav. n. 4. & 5. Sarpius l. 7. pag. 660. Mem. pour le Conc. de Trente lett. de l'Isle au Roy 8. Mar. pag. 401. Spond. hoc ann. n. 10. Rayn. ibid. nam. 6.

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

eoquod natione Gallus esset, morumque emendationem in Capite, & membris postularet (*) hinc paucis respondit Pontifex: „Lotharingius in Synodo „factionis cujusdam principem agit; „convenit autem, ut ad Concilium mittantur Viri a privato affectu, & partium studio alieni.„ Ad hæc Burdesius responsum parabat: verum Papa citatiori pede per scalas adeo prompte descendit, ut Cardinalis respondere prohiberetur.

§. LXXX.

Osius Legatus petita abeundi venia in Poloniam ad suam Diæcesin reversurus.

Pallav. l. 20. c. 6. n. 6. Sarp. p. 657. Visconti. lett. 1. tom. 1. pag. 121.

Pridie, quam hæc electio fieret, Osius Legatus per literas certior fiebat, quod hæresis per Varmiensem Diæcesin in Polonia altiores radices ageret, quapropter per Vicecomitem Pontifici proposuit,

(*) Sane nec timenda erat ea emendatio, quam Lotharingius petebat, utpote omnibus suspecta, ac a plerisque rejecta: veram autem reformationem sane hic Pontifex non timebat, qui ipsus eam Romæ jam inchoavit, & fincere, atque ardentur desiderabat. Aft nempe hoc nomen *Reformatio in Capite, & membris* est prætextus ad omnes Papam vexandi occasiones accommodus. Vide §. LXXXI.

posuit, quod ejus præsentia in Polonia oppido necessaria foret, ut populus in Sedis Apostolicæ obsequio contineri posset, proin ibidem magis, quam in Synodo Ecclesiæ utilis esset, cum aliunde sibi a suo Capitulo nuntiatum fuisset, quod tumultus, nisi brevi sopirentur, in ejus Diæcesi tantopere invalescerent, ut illis haud ultra remedium opponi valeret, atque mulieri, quæ sub utraque specie communionem sub vitæ suæ finem accepisset, Ecclesiastica sepultura fuerit denegata, & quivis impune tumultuaretur, cum tanta populi offensione, ut necessitas urgeat, absque ulla mora tot succurrendi animabus, quæ omni ferme momento æternæ suæ salutis periculo expositæ ingemiscunt, præcipue cum alium quemcunque eo decernere minus conveniat, quam ipsum hujus gregis Pastorem, ut vero hic majori polleret auctoritate, consultum credebatur, si Legati Apostolici dignitate insigniretur; verum Pontifex longe aliter censebat, quapropter Osius Tridenti persistere cogebatur. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. LXXXI.

Viterbiensis Episcopus Roma Tridentum veniens.

Interea Gualterius Viterbiensis Episcopus Roma redux die quinta Martii *Pallav. l. 20. c. 6. n. 7.*

Triden-

Sæcul. XVI A.C. 1563.

Tridentum venit, atque inter primas curas habuit, ut Lotharingium Cardinalem visum iret, quem tamen mœrore oppressum repererat, accepto nuntio, quod Guisius Dux ejus Frater prope Aureliam graviter sauciatus fuisset a quodam milite, qui se illi collocuturum simulans sclopetum suum in illum exonerabat. Hujus fati dolor tantopere Lotharingii animum occupaverat, ut illis, quæ Viterbiensis Episcopus ei proposuerat, parum attentas aures præberet, quapropter postea suam mentis perturbationem apud Gualterium per alium Virum excusabat.

Lett. de Viscont. t. 1. Lett. 22. pag. 101.

§. LXXXII.

Cardinalis Lotharingius Guisii Ducem Aureliæ fuisse occisum edoctus.

Pallav. c. 6. n. 8. & 9. Visconti pag. 119. Rayz. l. c. n. 50. & 54.

Aliquot diebus postea Lotharingius ejusdem fratris sui mortem compererat, quo nuntio animi sui mœstitia plurimum augebatur, atque is in extremum mœrorem conjiciebatur: mox tamen in genua procumbens, atque inter crebras lacrimas ad Deum conversus dixit: *Domine sontem fratrem in vita reliquisti, & insontem abstulisti.* Non destitit Gualterius eum certum reddere, Pontificem suam omnem auctoritatem

Sæc. XVI. A. C. 1563.

ritatem adhibiturum ad bene meritam ipsius familiam sustinendam. Postea Viterbiensis Episcopus cum Cardinale sæpius collocutus eidem de reformatione, quam Pontifex Romæ exequi statuerat, verba faciens hæc exposuit: „minime expedit, ut Papa tanta legum „severitate rem urgeat: porro magis „consultum est, ut Synodus ejusmodi „decreta condat; inde enim nihil Pon„tificiæ auctoritati derogabitur, dum „semper Papæ integrum erit, eorum „asperitatem mitigare, ac moderari:„ Ceterum Lotharingius vehementer desiderare simulabat, ut Papa Bononiam accederet; sperabat enim, quod illius ad hanc urbem adventu Synodus coarctari posset, quominus cuncta pro suo arbitrio decidere attentet. Denique fidem faciebat Cardinalis, sibi expeditam esse viam, cujus beneficio Concilium intra unius Mensis spatium absolvi posset: eodem quoque tempore Simonettam certiorem reddebat, quod tam ipse, quam Franciæ Præsules nil intentatum sint relicturi, ut Pontifici plene satisfiat. Hæc a Lotharingio eapropter promissa dicuntur, ut Papam induceret, quatenus illum Synodi Legatum nominaret: nondum enim duos alios fuisse designatos compererat.

§. LXXXIII.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. LXXXIII.

Lotharingii postulatum de residentia decreto per Legatos proponendo.

Pallav. c. 7. num. 4.

Insuper Lotharingius, ut decretum de residentia Patrum sententiis exponeretur, a Legatis petebat, subjungens, si id renuerent, se palam facturum, quod Synodus libera non esset. Perceptis hisce minis Legati pollicebantur, se Decretum proposituros, ita tamen, ut declararent, illud non a se, sed a Lotharingio fuisse confectum. Hac pollicitatione ille lætissimus, in eo Legatorum assensum illico Cæsareis aperuit: verum Imperatoris Legati, cum inde ingens inter Patres dissidium excitari intelligerent, ipsimet ceteris primi palam hæc declarabant: „nihil magis a Cæsaris animo „alienum est, quam ea exigere, vel pro„ponere, quæ pacem turbare, ac suf„fragiorum libertatem adimere possent„ eadem quoque Oratores ipsimet significabant Lotharingio, qui Cæsareos a Gallorum partibus recessisse dolebat.

§. LXXXIV.

Lotharingium a Synodi Legatione excludendi rationes ei a Gualterio expositæ.

Insuper Lotharingius in aores effundebatur querelas, eoquod in Synodi Lega-

Legatum non fuisset nominatus, indeque Cardinalitiæ suæ dignitati, ac sui Principis honori injuriam fuisse illatam, parumque ejus obsequia Pontifici præstita fuisse repensa existimabat. Verum Gualterius intellectis Lotharingii querelis, illum adiit, eidem hæc exponens: „Duæ, ni fallor, causſæ Papam præ„pediebant, quo minus te in Synodi Le„gatum eligere potuerit: prima est, ne „tibi noceret apud Reginam Franciæ „Administratricem, quæ te ad Syno„dum miserat, ut illi duntaxat tanquam „ipsius Minister, & Gallorum Præsu„lum Ductor assisteres, non tamen ut „Pontificis vices ageres: altera est, ne „Papa se, & Apostolicam Sedem am„pliori fructu privaret, quem ex Emi„nentiæ vestræ studio a se collectum iri „sperabat, dum tu eam auctoritatem, „fiduciamque apud Gallos, cunctosque „Transalpinos tibi conserves, quam „certe, si fuisses renuntiatus Pontificis „Minister, extemplo perdidisses.„ Verum Lotharingius his excusationibus, quas minus firmas reputavit, minime aquiescebat, sed immoderatius nunc in querelas, nunc in minas erumpere non desistebat: quamvis nunc non minus quam antea ejusmodi motus in irritum caderent.

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

Pallav. l. 20. c. 7. n. 5.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. LXXXV.

Seripandus alter Synodi Præses mortuus.

Pallav. c. 7. num. 6. Lett. Visc. p. 133. 141. Pfal. p. 379. Sarp. l. 7. pag. 666. Rayn. n. 59.

Die decima septima ejusdem Mensis Martii Synodus alterius Legati sui jacturam deplorabat; obiit enim Tridenti post plurium dierum infirmitatem Cardinalis Seripandus annos natus septuaginta, quinque Menses, & undecim dies. Hic Sacram Synaxin sumpserat indutus suis vestibus, genibusque innixus: cum vero in lectum suum reponeretur, latinum sermonem pietate, ac Spiritus sancti unctione plenum habuit, præsentibus quinque Prælatis, necnon Veneti, ac Florentini Oratorum Secretariis præter cunctos ejus Domesticos. Paucis ante obitum suum horis quidam Prælati in ejus cubili stantes dicebant, quod in Congregationibus circa justificationem, & peccatum originale opiniones a communi sensu alienas foviisset: cum ergo horum Præsulum mussitationes Seripandus Cardinalis percepisset, mox illos proprius accedere jussit, ac coram illis fidei confessionem Ecclesiæ sententiis omnino consonam recitavit: postea de piis operibus ac resurrectione mortuorum differens, Legatis ac Lotharingio Cardinali Concilii

cilii res commendabat, cumque plura addere pararet, corporis imbecillitate prohibitus cunctos adstantes, qui in lacrimas effundebantur, revocatis omnibus viribus his Divi Pauli verbis alloquebatur: *quare contristamini, quasi in vobis non sit spes?* His dictis placide exspirabat. Sæc. XVI. A.C. 1562.

§. LXXXVI.

Hujus Cardinalis historia.

Hic idem Cardinalis Anno Christi millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio die sexta Maji patria Neapolitanus Trojæ in Apulia natus erat ex Joanne Ferrando, seu Ferdinando, & Isabella, seu Loysia Galeotta, quos *ex nobili familia* ortos refert Pallavicinus. Acceperat in sacro fonte Hieronymi nomen, ac in omni Christianæ pietatis exercitio educatns, cum ad Religiosam militiam propensum semper haberet animum, Anno salutis nostræ millesimo quingentesimo sexto die vigesima octava Septembris S. Dominici Institutum amplectebatur, altera autem die ab Antonio Fratre suo vi e monasterio extractus, ab eodem ad paternas ædes reducebatur, ut sua prosequeretur studia, quorum juvenis adhuc Magistrum habebat celebrem Pomponatium: cum vero in suo Religiosæ vitæ proposito *Ciacon. in vita Pontif. t. 3. p. 905. Pallav. n. 7. & 8.*

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

constans persisteret, præclara Ægidii Viterbiensis fama accitus Ordinem Fratrum Eremitarum S. Augustini die sexta Maji Anno Christi millesimo quingentesimo septimo, ætatis vero suæ decimo quarto ingressus est, ibidemque summa solertia literis vacans, in Hebraici, Caldaici, Græci, & latini sermonis peritia excelluit, necnon in Philosophicis disciplinis subtilitate, atque in Theologicis profunditate eminuit: tandem in Bononiensi Universitate usque ad Doctoratus lauream ascendens adeo ingentem nominis sui laudem sibi comparabat, ut in Ordinis sui comitiis, quæ Neapoli Anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo nono celebrabantur, Generalis Magister eligeretur, postea vero a Carolo V., cui hujus Viri merita probe erant perspecta, ad Flandros Legatus decernebatur, atque ab eodem Sacellanus, demum vero Archiepiscopus Salernitanus nominabatur, cujus quoque Sedis possessionem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto accepit: cum vero adhuc Ordinis sui Magister Generalis esset, sub Paulo III. Pontifice Tridentino interfuit Concilio, præter ceteros in eo selectus, ut abusus circa Sacras literas deprehensos scripto indicaret. Denique a Pio IV. qui

qui ejus doctrinam, ac pietatem plurimi habebat, ineunte anno Salvatoris nostri milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo purpura decoratus ad Synodum, ut memoravimus, tanquam Legatus decernebatur. Corpus ejus Neapolin translatum in Eccleſia Ordinis ſui ſepultum eſt. Sæcul. XVI. A. C. 1563.

Scripſit is doctiſſimum plane commentarium in Epiſtolas Divi Pauli, necnon in epiſtolas Canonicas, præter Evangelii explicationem per totum verni jejunii tempus: reliquit etiam poſteris quosdam libros de peccato originali, & juſtificatione, ac quæſtiones contra ævi ſui hæreticos, necnon chronologicam Ordinis ſui Synopſin edidit. Porro ejus memoriam Eruditorum plurimi celebrarunt.

Aliquot diebus ante hujus Cardinalis obitum Tridenti inter cujusdam Galli Præſulis, & alterius Hiſpani Epiſcopi domeſticos contentio oriebatur, quæ funeſtum ſortiebatur exitum: quippe ceteri utriusque Nationis famuli ſuos ſocios aut vindicaturi, aut adjuturi confluxerant, quapropter tanta armatorum frequentia concurſum, ut conflictus potius, quam rixa videretur, pluribus aut occiſis, aut vulneratis. Hoc fato permoti Patres, quod ſedulo executioni dabatur, promulgabant edictum,

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

vi cujus nonnisi nominatis quibusdam Oratorum famulis arma deferre permissum: jubebantur autem Magistratus exactum conscribere indicem illorum, quibus hoc privilegium concederetur: hi vero, ne fraus fieri posset, certo signo notabantur. Hoc denique privilegium ob singulares juxta, ac necessarias causas cunctis Lotharingii Cardinalis famulis concedebatur, reliquis autem omnibus, quorum nomina a Magistratibus non fuerant descripta, sub gravissimis pœnis arma erant interdicta: quemadmodum vero efficacissima legum ratio esse soleat Legislatorum exemplum, ita ipsimet Legati præ ceteris sui decreti observationem a suis famulis inchoari voluerunt: hoc igitur pacto tumultus fuere extincti, ac die postera decima sexta Martii Conventus denuo habiti: plurimum autem ad revocandam tranquillitatem conferebat Cæsaris edictum, quo omnes, quicunque in rixa vel altercatione deprehenderentur, Tridento exulare jubebantur.

§. LXXXVII.

Cæsaris literæ ad Papam, & Legatos per Quinqueecclesiensem Episcopum allatæ.

Interea Cætibus licet interruptis nihilominus Synodi negotia continuabantur,

tur, cumque Oeniponto Quinqueeccle- Sæcul. XVI.
sienſis Epiſcopus reverteretur, in Pa- A.C.1563.
trum conventu audiebatur, ſimulque
epiſtola a Cæſare ad Synodi Legatos
data, necnon alterius ad Papam ſcriptæ
exemplar recitabantur.

§. LXXXVIII.

Quatuor Cæſaris poſtulata ad Legatos.

In harum literarum altera Cæſar ſummo *Pallav. c. 8.*
Pontifici quatuor poſtulata propone- *num. 2.*
bat, quorum primum hujus erat tenoris: *Sarp. p. 661.*
„Rumor eſt de diſſolutione, aut ſuſpen-
„ſione Concilii cogitari; ad quod for-
„taſſe impellitur Pontifex a memoratis
„diſſenſionibus: ſed a Cæſare pro ſin-
„gulari ac filiali reverentia illi ſignifica-
„tur, quod Idem hanc agendi ra-
„tionem, ſcilicet diſſolutionem, aut Sy-
„nodi ſuſpenſionem ratam non haberet,
„quia ex utraque eſſet timenda in mul-
„tis deſperatio, in aliis deſpectus, ac
„denique in quamplurimis ingens of-
„fenſio, cum illi Synodum interruptam
„ideo crederent, ut morum emenda-
„tio declinaretur: inſuper ex eo ma- *Pallav. l. 20.*
„gnum diſcrimen immineret, ne re- *c. 8. n. 2.*
„curreretur ad privatas Nationum
„Synodos, quas Religioni ſummopere
„noxias ipſemet Pontifex agnoſceret,

Sæcul. XV. A C 1563.

„quamvis ab omnibus ferme Provinciis „toties fuerint efflagitatæ.

II. In Concilio plena libertas concederetur, qua fas esset Oratoribus, & Episcopis proponere, quidquid ipsi arbitrarentur consentaneum retinendæ Religioni, & obedientiæ Pontifici debitæ: insuper non minus frueretur Synodus ea libertate in dicendis sententiis, quin, quovis sententiam suam libere edicente, ad alios confugere, atque ab iis, quid decidendum sit, expetere necesse sit.

III. „Pontifex sedulo emendationi „incumbat, quam tamen, inquiebat „Cæsar, non peto, ut derogem sive sa„pientiæ, sive probitati singulari Ponti„ficis, sive ejusdem prærogativæ at„que auctoritati, ad quam tuendam pa„ratus sum & Regnum & vitam meam „impendere: ab eo solum illud petens, ut „nunc cum varia fuissent ad me perlata, „quæ animos a Sede Apostolica possent „avertere, meum esse officium existima„rem, in debito erga Sacram Sedem „studio conservare illos, qui facile eo „sub prætextu, quod reformatio negli„gatur, sese a Sedis Apostolicæ obe„dientia subtrahere vellent.

Quarto & postremo capite Cæsar potius suum obsequium, quam petitionem exhibens ajebat: „cum in Histo„riis legatur, quod plurimum sæpe Con-

„Conciliis profuiſſet ſummorum Ponti- Sæcul. XVI.
„ficum, Cæſarumque præſentia; hinc A.C. 1563.
„prompto ſum animo ad cuncta incom-
„moda toleranda, cunctaque negotia
„negligenda, ut tam ſacroſancti ope-
„ris executionem urgere poſſim,
„ad quod quoque Pontificem adhortari
„præſumo, „

§. LXXXIX.

Pontificis reſponſum ad hæc Cæſaris poſtulata.

Die decima octava Martii ſummus *Pallav. n. 4.*
Pontifex Cæſari reſpondit, & qui-
dem circa primum articulum oſtendit,
quod nunquam ad Synodi ſuſpenſionem
animum adjeciſſet, quin imo magno-
rum Principum, qui Concilii interru-
ptioni obſtitiſſent, monitis deferre ſem-
per volupe habuerit. Ad alterum ve-
ro hunc in modum reſpondit, „ deſide-
„ro, ut Concilium libertate, præſertim
„in ferendis ſententiis fruatur: facultas
„autem proponendi præprimis ad Præ-
„ſides devoluta eſt, pro eo, quod fieri
„conſueverat in aliis recte conſtitutis
„conventibus; hinc de eo convenit ea-
„dem Synodus ab initio, & quidem
„ex concordi ſententia, duntaxat uno
„vel altero excepto Præſule: volo
„tamen, ut Legati poſtulationibus Ora-
„torum, ac præſertim Cæſareorum ſa-
„tisfa-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„tisfacerent: si vero in eo deessent, „polliceor, me rebus prospecturum: „mihi tamen displicet exorta fuisse in„ter Patres dissidia de articulis, quos „tamen nec Legati proposuerant, nec „Lutherani oppugnarant.„ Ad tertium repositi Pontifex, quod prior ipse disciplinæ emendationi sedulo incubuerit, jamque reformationis negotium in aula Romana inchoaverit, nulla habita ratione cujuscunque præjudicii, quod inde suæ auctoritati accrescere posset. Postremo ad quartum hæc subjecit Pontifex: „urbis angustiæ, ac Tridentinæ „ditionis sterilitas duabus Aulis adeo „numerosis nutriendis, & capiendis haud „sufficiens est, nec ob propinquos Rhæ„tos, Helvetiosque hæreticos ac Pro„testantes tutum ibi domicilium erit. „Ceterum mihi non licet Roma tam „longinque recedere sine tumultus dis„crimine, propter terrorem classis O„thomanicæ propius accedentis: meus „denique accessus ad Tridentinam ur„bem detrimento foret, utpote qui ad „opprimendam Synodi libertatem ten„dere videretur: nihilominus lubenter „Bononiam accessurus sum ad Cæsa„rem ibidem coronandum, quo fortasse „etiam Synodus sponte se conferet, „ut ibidem disciplinæ leges juncta Cæ„saris opera stabiliri possent: ceterum

„cu-

„curabo, ut cuncta copiosius per no- Sæc. XVI.
„vum Legatum Moronum, quem ad A.C. 1563.
„Synodum decerno, Cæsari exponeren-
„tur.„

§. XC.

Arcanæ Cæsaris literæ ad Papam.

Præter hasce Cæsaris literas, ad quas Papa hoc responsum dederat, idem *Pallav. l. 8.* Imperator adhuc aliam secretam epistolam ad eundem perscripserat, in qua eidem hæc exponebat: „Quamvis San-
„ctitas sua ad supremum Ecclesiæ so-
„lium sit elevata, in memoriam tamen
„suam revocare oporteret humanam
„mortalitatem, adeoque necessitatem
„emendationis maturandæ, antequam
„ab aliquo infortunio cœptum opus præ-
„cideretur: Primo autem loco videtur
„mihi formam excogitandam esse, qua
„Pontificis electio omnino sancte, recte-
„que haberetur, ac potissimum sine ulla
„simoniæ suspicione, siquidem a sano
„capite in membra reliqua sanitas de-
„rivatur.„ Postea Cæsar gradum faciebat ad creationem Cardinalium, & Episcoporum, commemoratis dotibus, quæ in illis requiruntur: hanc in rem monebat, quantum ab eorum opere, exemplo, atque existimatione bonum ac dignitas Ecclesiæ dependerent; quoniam vero ex Episcopis alii a Pontifice

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

fice promovebantur, ac alii nominabantur a Principibus, alii denique ab Ecclesiasticis Collegiis, & Capitulis eligebantur, hinc Cæsar subjungebat, experimento plerumque deprehendi, quod posteriores reliquis minus disciplinæ studiosi existant, adeo, ut dubitari posset de hujusmodi electionum integritate, proin huic malo a summo Pontifice remedium esse opponendum ajebat.

Querebatur postea Cæsar, quod omnia Romanæ deliberationi committerentur, & ibi prius plura in cœtu Pontificis, quam in Tridentina Synodo agitarentur, ac proinde duo exstare Concilia viderentur. Satius ex oppositio esse ajebat, ut Pontifex ab oecumenica Synodo, quam a suo peculiari conventu, consilium caperet, & ex ea leges quoque ad Pontificia comitia, Romanamque emendationem spectantes ipse constitueret.

Dein Imperator summopere necessarium esse ostendebat, ut residentia Episcoporum definiatur, eoquod quæstio id temporis agitata, an nimirum hæc residentia divini juris sit, necnon, locum dederit suspicioni, perinde ac si complures Episcopi ad eam partem propenderent, quam Pontifici gratiorem arbitrarentur. Præterquam suggerebat, quod in tres classes Episcopi dividi

dividi possent, ita, ut eorum alii aspirent ad Purpuram, alii vero pauperes, alii opulentis Ecclesiis dotati, ipsis contenti sint: ubi dubitandum non esse inquiebat, quin postremi sententias suas sincere ac juxta conscientiæ suæ præscriptum dicturi sint, cum interim suspicioni causa suppeteret, an priores eadem integritate mentem suam aperturi essent, cum eis residentia forte molesta foret: quapropter Cæsar rogabat Pontificem, ut ipsus cognosceret, quid sibi fas esset secundum Deum; quamquam enim ipse Pontifici minime abnegaret auctoritatem relaxandæ hujus legis, non tamen alia decernere deberet, nisi quæ Ecclesiæ utilitatem respiciunt. Sæc XVI. A.C 1563.

Avertat Deus, adjiciebat Cæsar, ut mihi caderet in animum in minimo adversari Pontificis auctoritati, ab ipso Christo Domino ei traditæ, qua idem secundum ipsum Christum in terris Ecclesiæ caput existit, hac tamen auctoritate Papa non utatur nisi ad Dei gloriam, fidei incrementum, & Religionis utilitatem. Hanc epistolam Cæsar adjectis singularibus venerationis, atque erga Sacram Sedem obsequii testificationibus absolvit, rursusque Papam invitavit, ut Tridentum peteret.

§. XCI.

Sæc. XVI. A.C. 1563.

§. XCI.

Pontificis responsum ad arcanas hasce literas.

Pontifex hanc in sententiam respondit: „Prudenter a te admoneor „propinqui transitus ab hac vita mor„tali: defixum etiam in eo animum ge„ro, & inter alia, quæ ad terrificum „illud iter ipsus parabam, non infimo „in loco est studium sollicitum refor„mandæ Ecclesiæ, quæ mihi a Christo „commissa est. Merito etiam affirmas, „plurimum interesse Christianæ Reipu„blicæ rectam, atque a simonia alie„nam summi Pontificis electionem: hinc „editæ super eo fuere a superioribus Con„ciliis, ac Pontificibus tam sanctæ pru„dentesque leges, ut nihil superaddi „posse videatur: verum tamen ut abu„sus omnis, qui postea irrepere posset, „eradicetur, promulgatum a me fuit „recens diploma, cujus exemplum ad „te non ita pridem mittebam: libenter „quidem, antequam illud ederem, cum „Synodo communicassem, illudque po„stea ab ea probatum vulgassem: sed „quo minus id facerem, abstinui, quip„pe præteritas dissensiones expertus, „insuper mihi compertum sat erat, æ„gre ibi quidquam confectum iri in tan„tæ molis negotio, a tot Episcopis, quo„rum

„rum cuilibet diversa ineſt ſententia. Sæcul. XVI.
„His propoſitis Pontifex idem quoque A.C. 1563.
„reſpondebat de reliquis Aulæ ſuæ cor-
„rectionibus, quas tamen, ajebat a ſe
„nonniſi auditis plurimorum præſtantis-
„ſimorum hominum ſententiis conſti-
„tutas: his addidit, in animo ſibi non eſ-
„ſe novos Cardinales eligere, ſed, ubi
„ad id inclinaret, ſtudium a ſe impen-
„ſum iri ad eos eligendos iis ornatos
„dotibus, quæ a Cæſare poſtulantur.
„Poſtea hæc ſubjunxit: æquis votis o-
„ptabile eſſet, ut eadem prudentia ac
„circumſpectio adhiberetur in eligen-
„dis Episcopis: huic tamen rei jam
„conſuluit Concilium Decreto ſuo, quod
„ut cuſtodiretur, curabo, adeo, ut ad
„tremendam hanc dignitatem non alii
„aſſumantur, niſi Viri morum integrita-
„te, ac vitæ teſtimonio inſignes.

„De eo, quod ſpectabat ad reſiden-
„tiam, hæc repoſuit Papa, optaſſem,
„ut Synodus eam decerneret, imo apud
„me ſtatui ejus Decretum comprobare,
„ſed ad id uſque temporis plurimum
„fuit decertatum, decretum nihil, pro-
„pter ſententiarum varietatem inter
„Patres: nunc autem in animo habeo,
„ut manſio, ſive declararetur eſſe Le-
„gis humanæ ſive divinæ, ab omnibus
„inviolate ſervaretur, etiam ab iis
„Cardinalibus, quorum adminiſtrationi

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„Ecclesiæ quædam committuntur: „quandoquidem rei necessitatem probe „intelligo, eo præsertim tempore, quo „in omnem fere provinciam hæresis „contagio serpit, & Christi ovili opus est „fuorum Pastorum præsentia.

„Volo insuper, ut integra libertate „Synodus fruatur, neque unquam præ„cepi, ne quid ibi stabiliretur me in„consulto, interdum tamen evenit, ut „in quibusdam magis arduis me Legati „consuluerint, hinc consilium meum nec „potui, nec debui illis denegare: nihil „autem hoc adversatur libertati, quin „imo nec inconveniens, nec insolitum est, „si Synodus ipsa sententiam roget ab „Apostolica Sede, prima Ecclesiæ cathe„dra, & veritatis Magistra, minus ve„ro speciem duplicis Concilii præse„fert, quod Concilium Superiori suo „conjunctum cernatur, sicut nec in ho„mine duo corpora apparent ex eo, „quod membra conjuncta, & obtempe„rantia capiti videantur: nihil ergo „propterea libertati derogatur, nec pa„riter dedecet, si Pontifex, ut reddat „Legatis petitum a se consilium, consu„lat Cardinales eximiæ prudentiæ, ac „doctrinæ Viros, præsertim cum mea „mens non sit, ut mea consilia „Synodum cogerent ad ea amplexanda. „Denique Grates ago Cæsari de obla„ta

„ta per omnem virium conatum de- Sæcul. XVI.
„fensione Pontificiæ auctoritatis, de qua A. C. 1563.
„admodum pie atque etiam secundum
„mentem meam Cæsarea sua Majestas
„monet, sustinendam, custodiendamque
„eam non esse, nisi ad Dei Gloriam, &
„emolumentum Religionis: quod ad-
„juvante Deo semper me præstiturum
„confido.„

§. XCII.

Hoc Pontificis responsum Cæsari non communicatum.

Cum autem Cæsar Pontificem, ut Tridentum veniret, invitasset, ad hoc Pius eadem ferme, quæ in prima sua epistola exposuerat, repetebat. Hæc fuere ambo Pontificis responsa, quæ, ut inquit Pallavicinus, *parata quidem, sed non missa fuere, cum materia nondum satis digesta videretur*, *Pall. c 8. n. 5.*

Quapropter illorum loco Pontifex paucis ad Cæsarem rescripsit, atque commendavit ejusdem pietatem in Pontificem, Sedemque Apostolicam, necnon studium, quo maximam utilitatem christianis gentibus ex correctionibus a se propositis conferre studeret, simul tamen illum rogabat, ut fidem falsis rumoribus tum sparsis denegaret. Dein significabat, responsiones ad singula hujus scripti capita red-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

ditum iri a Morono Cardinale, qui brevi Legatus ad ipsum iturus esset. His addebat, sperare se interim hæc responsa Cæsari grata fore, præcipue vero cum idem certo sit animo, se velle nec suspensionem, nec dissolutionem Synodi a se coactæ, sed potius sibi polliceri tam prosperum hujus Concilii exitum, ut exinde Christiana Respublica maximum colligeret emolumentnm.

§. XCIII.

Franciæ Oratorum postulata de proponendo Reformationis negotio.

Pallav. l. 9. c. 1. & 2.

Postquam Patrum conventus hucusque Mantuani & Seripandi Cardinalium obitu interrupti rursus continuati fuerant, Franciæ Oratores denuo Legatos, ne fidei dogmata discuterent, absterere, eosque ad pertractandum emendationis negotium inducere cæperunt: verum illis responsum, quod non ita cuncti Patres sentirent, quin imo vehementer a Cæsare urgerentur, ut examen absolveretur circa quæstionem de Matrimonii, & Ordinis Sacramento, quapropter disputationibus Theologorum brevi absolutis, Legati ad tollendas Ordinis corruptelas operam converterunt, ut eas generalis Conventus judicio exponerent, statim ac selecti ad illas colligendas Patres munus suum obiis-

sent;

sent: Ceterum obſervat Vicecomes, quod die octava Martii adhuc ex quadam claſſe decem ſuperfuerint Theologi, qui nondum ſuas pronuntiaſſent ſententias: inter illos autem, qui jamjam ſuam proferebant opinionem, nonnulli, atque inter alios præcipue Santonenſis Theologus plura congeſſerint, quibus Pontificis auctoritatem circa diſpenſationes ſupprimere niterentur. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. XCIV.

Cardinalis Lotharingius Patavium, & Venetias profectus.

Interea Lotharingius Cardinalis, cum Congregationes interrumpi cerneret, hac temporis opportunitate uſurus, animi relaxandi, tædiumque diſſipandi gratia iter aggredi conſtituit, priusquam vero diſcederet, ad Franciæ Regem perſcripſit, inter biduum, aut forte triduum diſputationes circa Matrimonium eſſe abſolvendas, Legatosque promiſiſſe, quod poſtea de reformationis negotio agere velint, nihil tamen de Synodo ſperandum, donec Moronus & Navagerus ambo novi Legati eſſent acceſſuri. Inſuper ad Regem tranſmiſerat exemplar epiſtolæ a Cæſare ad Papam ſcriptæ, ſimulque ſignificabat, quod Aloyſii Avilæ, qui novus erat Hiſpaniæ Regis Orator, adventus expe- *Nicol. Pſal. p. 379. Mem. pour le Conc. de Trente Lettr. du Card. de Lorr. au Roy 18. Mar. p. 407.*

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

ctaretur. His denique addidit Lotharingius: hæc tranſmiſi, ut de futuro hujus conventus exitu judicium ferri poſſit, ego equidem meis partibus haud deero, quid tamen de hoc congreſſu ſperare liceat, haud ignoro.

§. XCV.

Franciæ Regis poſtulatum de nubendi licentia Cardinali Borbonio concedenda.

Eadem ferme omnia Lanſacus ad Reginam Adminiſtratricem perſcripſit, præterea ſignificans, quod Theologi conventu habito de Sacerdotum coelibatu egerint, ac propoſuerint, utrum Papa in caſu publicæ, atque urgentis neceſſitatis Sacerdoti legis gratiam facere queat, vi cujus Matrimonium inire ipſi liceat. His præmiſſis Lanſacus addebat, quod ſperandi locus ſit hanc gratiam Borbonio Cardinali conceſſum iri, eoquod Rex id deſiderare videatur (*).

Ageba-

(*) Cum toties in rebus etiam graviſſimis Franciæ Regis nomen audiatur, ac Continuator plura ab eo juſſa, ſancita, vel petita referat, obſervandum eſt, quod idem Rex tum nonniſi duodecim annorum puer fuerit; ex hac autem ætatis imbecillitate judicii infirmi-

tas

Agebatur auten tunc de connubio inter Borbonium Cardinalem Presbyterum, & Guisii Ducis viduam ineundo, sub hoc prætextu, ut inde Catholicorum pars potentior redderetur, ac Guisiorum familia connubiali fœdere cum Borbonia Domo illustrior fieret. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Equidem Gallorum consilium eo abibat, ut hoc negotium in Synodo proponeretur, ibidemque hæc dispensatio peteretur: verum Lotharingius Cardinalis demonstratum ibat, quod Synodo ægre admodum persuaderi posset, quod hæc caussa adeo urgens ac æqua sit, cum Rex adhuc ætate juvenis, duosque fratres vitæ superstites præter plures Catholicos Regii sanguinis Principes haberet, ut proin hæredes ex Borbonii Cardinalis connubio expectare nullatenus necessarium esset, aliunde vero Presbyteri conditio eundem non excluderet a Regni administratione, quam sibi Rege adhuc sub curatoribus constituto deberi contendit, salvo itaque meliori judicio Papam pro hoc favore rogare consultius foret. Equidem pro impetranda legis gratia interpellabatur Pon- *Pallav. l. c. Sarp. p. 660. Mem. de Conc. p. 408.*

tas colligi poterit, ut proin facilis conjectura sit, plurima tum nonnisi ementito Regis nomine a Ministris fuisse attentata.

Sæcul. XVI. A. C. 1563. Pontifex, hic tamen nullatenus hanc rem concedere voluit (*).

§. XCVI.

Viterbiensis Episcopus Lotharingio suum Tridento discessum dissuadere conatus.

Pallav. l. 20. c. 9. n. 3. Vix Episcopus Viterbiensis de Lotharingii Cardinalis discedendi proposito certior erat factus, cum illico eum ab hoc itinere abducere intentus exponeret, quod ex animi ægritudine, quæ in illo comperta esset erga Pontificem & Legatos, sibi quilibet inducturus esset in animum, hujusmodi discessum exinde fuisse profectum, ut adeo in ipso patefie-

(*) Nec mirum, haud enim sibi persuadere potuisset Papa, quod ejusmodi dispensatio sincero animo peteretur a Gallis, qui semper alta voce inclamabant, urgebantque disciplinæ reformationem, ut ergo legi celibatus ab universa Ecclesia per tot sæcula receptæ vulnus infligatur, Gallos postulasse nunquam credidisset Pontifex, præcipue eo tempore, quo veluti novæ hæresis classico Sectatores cuncti Catholicos a veteri Ecclesiæ disciplina, ac fide & præcipue Sacerdotes oblata nubendi libertate avocare studebant, ac æquali furore reformationis obtentu Ecclesiam deformabant.

teficeret animus parum Synodo propitius, cum aliunde timendum esset, ne Concilium ex sua, suorumque profectione illic in sterili, atque ignobili otio languesceret: contra vero si Tridenti persisteret, ita ibi negotia disponi possent, ut ad recentium Legatorum adventum liceret postremam illis manum admovere, Synodumque absolvere. Sæcul. XVI. A. C. 1563.

Verum nulla ratione a concepta sententia dimoveri poterat Lotharingius, qui die vigesima tertia Martii Tridento discessit, comitantibus eum præter potissimos Franciæ Theologos Emborodunensi Archiepiscopo, atque Episcopis Aurelianensi, Ebroicensi, Suessionensi, Melodunensi, & Catalaunensi. His stipatus Patavium venit, ubi Ferrariæ Ducem sibi sanguine junctum invisit, inde vero Venetias contendit, ibidem Paschatis festa celebraturus.

§. XCVII.

Discessus Vicecomitis Lotharingium Cardinalem conventuri.

Eadem die, qua Lotharingius discesserat, ad Gualterium, & Vicecomitem pervenerunt Cardinalis Borromæi literæ, quibus ambo rogabantur, ut Lotharingium eo inducerent, quatenus Papam rogaret, ut Bononiam contenderet, ibidemque Cæsare coronato Syno- *Pallav. l. c. Litt. Visc. tom. 1. litt. 18 p. 19.*

Sæc. XVI. A.C. 1563

dum, si hujus translationis spes affulgeret, eo transferre vellet. Cum autem Lotharingius Cardinalis jamjam abiisset, ac aliunde Pontificis discessum, necnon Synodi translationem (*) parum sibi probari, sat aperte monstrasset, hinc Gualterium Patavium ad eum proficisci haud consultum fore arbitrabatur. Verum Vicecomes non ejusdem erat sententiæ, aliunde vero opportunam Patavium eundi occasionem se nactum esse lætabatur, eoquod ejus Nepos, qui ibidem studiis vacabat, periculose decumberet, hinc ad Lotharingium Cardinalem contendere statuit, hacque de re Borromæum Cardinalem certiorem reddidit. Ergo omni, qua potuit, celeritate iter aggressus eadem, qua Lotharingius Cardinalis, die Patavium venit, tardius tamen, quam ut Nepotem suum adhuc vita superstitem cernere potuisset; hic enim pridie seu die Sabbati jamjam mortalitatem exuerat.

§. XCVII.

(*) Hæc Continuator deprompsit ex Pallavicino, qui tamen rem longe aliter refert, ac præcipue circa Synodi translationem de Lotharingio ait, *quod is de ea cum utroque Præside non semel sermonem habuerit.*

§. XCVIII.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Vicecomitis conatus apud Lotharingium pro Bononiensi itinere a Cæsare, & Papa ineundo.

Sequenti feria secunda Vicecomes Lotharingium Cardinalem præter omnem illius exspectationem visum ibat, eique Borromæi Cardinalis literas tradebat. Postea continuato colloquio præcipuum itineris sui caput exponendi opportunitatem nactus eidem persuadere nitebatur, necesse omnino esse, ut Papa Bononiam veniret: si enim, prosequebatur Vicecomes, Pontifex hoc iter susceperit, Imperator quoque eo contendet, ibidemque ab eo coronabitur, simulque ambo Synodi exitum maturare eo facilius poterunt. Dein Vicecomes ad Cardinalem conversus addebat: „tu solus hoc iter Pontifici „persuadere poteris, eique ingentia pro„ponere commoda, quæ exinde in to„tam Christianam Rempublicam redun„datura sunt: quinimo de propria Pon„tificis utilitate agitur, quippe hac ra„tione antiquam Cæsares coronandi „possessionem confirmabit: aliunde e„tiam id sæpius promiserat Pontifex, „proin in Eminentiæ vestræ gloriam „cedet, quod illum ad exequendam „suam promissionem induxerit, cujus „exi-

Pallav. l. c. Lett. de Visc. p. 175.

Sæc. XVI. A.C. 1563.

„exitum, & promptam executionem qui„dem Cardinalium potiſſimi, omnes„que, quibus Sacræ Sedis honor, ac „emolumentum cordi eſt, ardenter ex„optant.„ Hanc in rem adhuc plura alia ſubjecit Vicecomes, Cardinalis vero Lotharingius ſæpius vultum mutaſſe videbatur.

Altera die rurſus convenerant, ubi ambo ultro citroque ſuas difficultates proponebant: nullum tamen certum reſponſum Vicecomes a Lotharingio Cardinale extorquere poterat, niſi quod hic reponeret, expectandum eſſe Pontificis reſponſum ad Cæſaris literas, ſe vero, quamprimum Tridentum reverſurus eſſet, ſedulo Ferdinandi Cæſaris mentem exploraturum, ſique ſua opera foret neceſſaria, nequaquam ſe ſuis partibus defuturum. Quinimo his addebat: de Bononienſi itinere jamjam ſermonem habui, nec ab illo alienum reperi Cæſarem, ſpe concepta, quod Papa ibidem reformationi ſedulo incumbere vellet: circa poſtremum vero hunc articulum Cardinalis fuſius excurrens hæc effatus eſt, „ipſus „ego hanc emendationem deſidero „tanto ardore, ut nulli omnino labori par„cere paratus ſim, dummodo illa pro„curetur; neceſſaria enim eſt tam in „Capite, quam in minimis membris, præ-

„cipue

„cipue cum jamjam malum tam altas „egerit radices, ut vix ultra toleran- „dum sit. Dudum ego antea existima- „bam, plures in Gallia esse abusus, „quam aliis in locis: sed nunc depre- „hendo etiam in Italia non deesse ejus- „modi corruptelas, quæ facessent ne- „gotium: siquidem ibidem conspi- „ciuntur Ecclesiæ Parochiales, ac be- „neficia, quibus animarum cura est an- „nexa, atque commissa Cardinalibus, „qui nihil aliud respiciunt, nisi ut redi- „tus percipiant, hinc eas desertas re- „linquunt, cura pauperculo alteri Pres- „bytero commissa: inde vero nascun- „tur Ecclesiarum ruinæ, Simoniæ, & „infinita alia mala, in quibus curan- „dis & Principes, & eorum Ministri, „lento pede hucusque progressi sunt, „sperantes, tandem aliquando factum „iri desideratam reformationem: ipsus „quoque hac spe distentus caute, & cir- „cumspecte hucusque egi, sed cum cer- „nerem, jam tandem tempus esse, ut „pro Dei honore libere, & fortiter me „geram, nolo diutius conscientiam „meam gravare, sed quamprimum sen- „tentiam meam dicturus sum, mox „statui hac de re verba facere. Insu- „per cum mea familia pro conserva- „tione Religionis, & cultus divini tam „multa perpessa sit, ut duo etiam Fra-

Sæc. XVI. A.C. 1563.

„tres

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

„tres mei pro tuenda fide vitam amiſe„rint, ego quoque lubenter eodem in „opere vitam ponere paratus ſum: de „cetero non eſt, cur Sanctitas ſua iis „aures adhibeat, qui ipſam a piæ ſuæ „mentis propoſito avertere conantur, ſed „illud apud ſe ſtatuere deberet, hanc ſibi „mercedem apud Deum promerendam „eſſe auferendis abuſibus Eccleſiæ. His „dictis denique ſubjunxit: ad Synodum „adventantibus novis Legatis, quibus „Pontificis mens eſt abunde perſpecta, „abs dubio cognoſci poterit, quo ani„mo Sanctitas ſua ſit pro reforma„tione, ac proin Legati ultra excuſa„tionem dilatæ emendationis obten„dere haud poterunt. (*)

§. XCIX.

Vicecomitis reſponſum ad Cardinalem circa quosdam articulos.

Viſcont. t. 1. p. 187. 188. Pallav. l. 20. c. 9. n. 9.

Ad calcem hujus colloquii Lotharingius Cardinalis manifeſte prodidit, ſuam

(*) Quam nequiter Continuator hæc tam ex ſuo cerebro, quam ex Sarpii (quem tamen allegare auſus non eſt) mendaciis conſarcinaverit, haud manifeſtius deprehendi poteſt, niſi dum Continuatoris dicta cum Pallavicino & Sarpio conferantur, ad quos, cum prolixius excurrere neceſſe foret, Lectorem remittimus.

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

ſuam indignationem inde oriri, quod in Synodi Legatum nominatus non fuerit; imo hunc ſuum dolorem verbis oppido mordacibus exerebat. Itaque ad tot querelas totque monita Vicecomes ad Cardinalem converſus reſpondit: "Mirum ſane mihi videtur, quod tu de "mente Pontificis certior fieri velis, prius- „quam ipſum ad Bononienſe iter indu- „xeris; cum tamen Papæ conſilia ex "literis, quas tibi oſtendi, ſatis clare "liqueant; in illis quippe aperte ſignifi- „catum noſti, quod Pontifex Bononiam „contendere paratiſſimus ſit, ſi Cæſar „quoque idem conſilium arripuerit, ibi- „demque Synodus transferatur (*) ut "hac unione reſtaurata rebus finis ci- "tius imponi, & Synodus cum Religio- "nis emolumento abſolvi poſſit; fruſtra "igitur major requiritur explicatio, cum „ea omnia luculenter ex præfatis lite- „ris pateant. Circa reformationem, „jam dudum potuiſſes rectam, efficacem- „que

(*) Rurſus nec Pallavicinus nec Vicecomes de hac Synodi translatione, vel de Bononienſi itinere, quod Pontifici Cardinalis perſuaderet, ullam mentionem faciunt, nec id verosimile eſt, cum Papa toties Cæſari declaraſſet, quod nec ad Synodi ſuſpenſionem, nec ad translationem unquam animum adjecerit Vide §. LXXXIX. & XCII.

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

"que Pii IV. voluntatem de reparanda "disciplina Ecclesiastica conspicere, cum "ille in dies & severis constitutionibus, "& earum executionibus in Aula Ro-"mana sedulo suam operam impende-"rit: quinimo ipsus ego, qui tecum lo-"quor, in Synodo hanc rem urgere "jussus sum: præprimis vero memo-"ria retineas velim verba sapientissimi "Purpurati a Turrecremata in Synodo "Basileensi circa reformationem pro-"lata, nimirum abusus, non usus esse "tollendos; exinde autem inferas, quod "quamvis pia Pontificis reformationem "exoptatam perficiendi voluntas non-"dum plene fuerit effectui data, id ne-"quaquam ex sinceri animi sui defectu "fuerit exortum, sed exinde factum, quia "haud decebat ordinem hucusque a Le-"gatis servatum interrumpere; cum ab "illis constitutum esset, ut unacum dog-"matum articulis etiam reformationis ca-"pita stabilirentur, proin expeditis dogma-"tum argumentis etiam reliqua circa "reformationem statuerentur: insuper "si plures reformationis articuli, quos "jamjam Legati elaborarunt, promulgati "essent, haud evidenter appareret, quod "Pontifex pia, ac sincera foverit consi-"lia, indeque omnibus Principibus, eo-"rumque subditis plene satisfactum fo-"ret.„ Cum vero Lotharingius de no-

vis

vis Legatis mentionem ingessisset, ad hoc Vicecomes reposuit: „cum novi "Legati Cardinale Mantuano vix fatis "functo jam fuerint nominati, prout tibi "ipsi in comperto habetur, certe nullus "suspicandi locus supereſt, quod Papa "ad hosce eligendos aliorum consiliis, "aut sollicitationibus fuerit adactus; "quapropter tibi haud persuadere pote- "ris, quod Pontifex animum minus pro- "pensum, ac benevolum, quem semper "hucusque testatus est, erga te foveat.„ Finito hoc colloquio Vicecomes parcius Lotharingium Cardinalem invisebat, & demum post decem dierum moram Patavio discessit Tridentum reversus: Lotharingius vero iter suum Venetias versus prosequi intentus erat. Sæcul. XVI. A. C. 1563.

§. C.

Pontificis querelæ apud Hispaniæ Regem contra hujus Nationis Episcopos.

Interea crebræ Tridenti habebantur congregationes, in quibus Hispani severitatem inter & moderationem media via incedere nitebantur: sub idem vero tempus Lunensis Comes ex Cæsaris aula ad Martinum Gastellum, quem a secretis habuit, perscribens eidem exemplar transmisit illius epistolæ, qua Cæsar significabat, sibi

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

nuntiatum esse, quod Papa de Hispanis Præsulibus quereretur, & quamquam ipse sibi persuaderet, id oriri ex notitia prava ingesta Pontifici, non autem ex modica reverentia in iis Præsulibus deprehensa in Apostolicam Sedem, nihilominus jusserit, ut Lunensis Comes, quamprimum Tridentum advenerit, in hosce Prælatos vigilem haberet oculum, efficeretque, ut res ita procederent, ne Pontifici ad querelas ansa præberetur. Hæc epistola Episcopo Salmanticensi, & aliis, qui obsequentiores Pontifici fuerant, pergrata accidit.

§. CI.

Conventus quorumdam in Granatensis Archiepiscopi ædibus circa Papæ auctoritatem habitus.

Pallav n. 11. Sarp. p. 665.

Verum hæc epistola nullatenus frangere poterat duritiem Granatensis Archiepiscopi, aliorumque, qui pari sensu cum eo afficiebantur: nihil tamen sua oppositione amplius efficere poterant, nisi ut epistolam impetrarent a Lunensi comite, qua circa eorum agendi rationem fusius purgarentur, *clypeum præsertim conscientiæ*, inquit Pallavicinus, *attollentes splendidum simul ac validum, ad quem omnis auctoritas moderata subsistit.*

Cæsa-

Sæc. XVI. A.C. 1563.

Cæsarei vero, quorum princeps erat Dracovitius Quinqueeccleſienſis Epiſcopus Prælatos Hiſpanos ad conventum in Granatenſis Archipræſulis Palatio habendum invitabant, eo ſine, ut Hiſpanos ad rurſus petendum calicis uſum pertraheret, ſimulque de Pontificis poteſtate conferret, cum Cæſar hac de re nonniſi conſultis Hiſpanis agi datis literis juſſiſſet. Ergo apud Granatenſem Archiepiſcopum conveniunt, ubi Dracovitius, quæ exponenda occurrebant, propoſuit, cunctaque rationibus, quotquot poterat, corraſis ſtabilire ſategit. Huic Archiepiſcopus ſuorum ſociorum nomine ita reſpondit: „ſupervacaneum eſt, quod Cæſar "nobis hæc teſtimonia opponat: nos "enim Florentinam Synodum recipimus, "potius igitur hæc erga Gallos adhi"benda, qui nonniſi Baſileenſem ſuum "conventum adoptant.„ Soluto itaque hoc conventu Sebaſtianus Epiſcopus Paccenſis ex Hiſpanis Romanæ Curiæ faventibus unus hac occaſione uſus Guerrerum hortabatur, ut ipſe, aliique ſibi addicti in eam Sententiam perſcriberent ad Pontificem, ſuam mentem explicantes in agnoſcenda ſuprema illius auctoritate. Aſt Guerrerus Archiepiſcopus Granatenſis hoc monitum flocci pendens reſpondit, id opus non

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

esse, ac satis fore, ut Pontifex, si de sententiis eorum hac in re prolatis edoctus fuerit, ipsos ejus auctoritati minime adversari cognoverit: cum non oporteret ignavam hanc Italorum adulationem imitari, dicentium, *nobis quod nostrum est, ille det, & nos dabimus, quod suum est.* (*) Tum in querelas prorupit, quod dicerentur Episcopi respectu Summi Pontificis, esse tanquam Vicarii Pontificis, adeoque illos amoveri posse Superioris arbitratu, ad quod Pattensis Episcopus reposuit: id dictum non esse, sed solum licere Summo Pontifici cum Episcopis concurrere in propriis ipsorum Ecclesiis.

Verum hac in re suam quisque sententiam tuebatur, atque disputatio acrius fuisset accensa, nisi Paccensis Episcopus prior silentium sibimet imposuisset, ne Granatensis Archiepiscopi animum magis irritaret.

§. CII.

Pax cum Calvinistis a Galliarum Rege sancita.

Pallav. l. 20. c. 10. n. 1. Rayn. ann. tom. 21. hoc ann. n. 55.

Ferventibus hisce disputationibus, quibus Synodi Patres agitabantur, Galliarum Rex pacem cum Calvinistis redemit

(*) Hæc rursus Continuator depravatas adduxit ex Pallavicino.

demit conditionibus Franciæ Regno indigniſſimis. (*) quippe inter alias Rex hiſce hæreticis publice ſuam ſectam profitendi, ac conventus agendi libertatem conceſſit, declaravitque, quod illos tanquam fideles ac probos ſubditos reciperet, ac quicquid in priori bello geſtum fuiſſet, ex pia erga eos voluntate proceſſiſſet. (**) Sæcul. XVI. A.C.1563.

Hæc pax inſciis Guiſiis, imo iis etiam graviter exinde læſis inita fuit, incaſſum querentibus Clericis, qui fidei veritatem exinde acerbe oppreſſam cognoverant: cum igitur ejusmodi concordiæ articuli vehementer Lotharingii Cardinalis, qui ex eadem Guiſiorum familia deſcenderat, animum offenderent, hinc Gualterius captata exinde occaſione illum ab immodico Gallorum ſtudio dimovere, eumque firmius ſummo Pontifici, ac Curiæ Romanæ addicere, totis viribus nitebatur, hancque in rem gravibus verbis hortabatur Senonenſem Archiepiſcopum, ut & ipſe Cardinalem ſuum amicum ad ſuas par-

(*) Addit Pallavicinus, *& Religioni ſummè perniciosis.*

(**) Ceteras haſce conditiones, quas Continuator referre fors erubuit, vide ſis apud Sarpium lib. 7. fol. mihi 1199. edit. Lipſienſis & 1690.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

tes pertrahere ſtuderet: verum ambo oleum operamque perdiderunt.

§. CIII.

Melitenſis Orator Tridentum adventans.

Sub idem ferme tempus Tridentum venerat Melitenſis Orator, ubi circa loci prærogativam quædam rurſus contentio oriebatur.

§. CIV.

Reſponſum Pontificis ad Hiſpaniæ Regis mandata.

Pallav. c. 10. num. 3. Vertot. hiſt. de Malte tom. 3. l. 12. pag. 415.

Cum exigua hæc altercatio fieret, interea ſummus Pontifex Ludovico Avilæ ſupremo Alcantaræ Commendatori, qui a Philippo Hiſpaniæ Rege ad Papam decretus erat, reſpondit: hujus autem mandata ſequentis erant tenoris: Pontifici ſedulo exponeret ea omnia, quæ Rex in Synodi favorem egiſſet, ac quod plurimum Hiſpanæ Nationis intereſſet, ut nihil ibidem auctoritati Regiæ, aut ſubditorum commodo noxium decidatur: Rex vero Eccleſiaſticorum morem emendari, ac plurimos abuſus non ſine Religionis dedecore irrepentes tolli percuperet, ſimulque peteret, ut in deciſionibus hæc clauſula *proponentibus Legatis* deleretur, de cetero autem Rex Catholi-

cus

cus ſpondebat, quod omnino prohiberet, ne quicquam contra juſtam & legitimam ſummi Pontificis Sanctæque Sedis auctoritatem attentetur. (*) Sæcl. XVI. A.C. 1563.

§. CV.

Hujus clauſulæ: proponentibus Legatis, *æquitas a Pontifice vindicata.*

Ad hæc Pontifex in publico Patrum conſeſſu die vigeſima octava Martii hunc in modum reſpondit: „Synodum nunquam inchoaſſem, niſi Regis Catholici patrocinio ſuffultus fuiſſem, qui ſe Concilii Protectorem, ac „Sacræ Sedis, ejusque auctoritatis „defenſorem futurum ſpoponderat: „cum autem ante hanc diem Oratorum „nullus advenerit, haud mirum videbitur Majeſtati veſtræ, quod Hiſpaniæ Epiſcopi hucusque Sedis Apoſtolicæ jura defendere neglexerint; quippe Piſcarius Marchio Tridentum vix „pedem intulerat, Lunenſis vero Comes nonniſi ipſius expectatione Patres „fatigabat, cum tamen, ſi Hiſpanæ „Nationis Orator Sacræ Sedi propenſus, ac muneris ſui partes adimplere „ſtudioſus adfuiſſet, certe Hiſpaniæ *Pallav. l. c. Sarp. l. 7. pag. 667.*

(*) Quantum diverſa ab iis, quæ Continuator refert, mandata Rex Catholicus dederit, Lector ex ipſo Pallavicino haurire poterit lib. 20. cap. 10. num. 5.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„Præſules tot diſputationes, tantosque „tumultus excitare minime auſi fuiſſent.

Poſtea ad quasdam horum Præſulum querelas reſpondens, ad illam quoque clauſulam, quam Comes Avila ſupprimi petebat, tranſiens inquiebat: „Hæc verba, *proponentibus Legatis*, ap„poſita fuere ab ipſa Synodo, me ne„conſcio quidem: comprobata tamen „ſunt conſenſu generalis conventus, ac „poſtea primæ Seſſionis ſuffragio fir„mata, duobus tantummodo repugnan„tibus Prælatis: reapſe tamen ſi hu„jusmodi forma ſervata fuiſſet, nequa„quam exortæ eſſent contentiones per„quam noxiæ, ob quæſtiones non a Le„gatis, ſed ab Epiſcopis propoſitas, & „ab aliis ideo toleratas, ne in quibus„dam ea licentia, quam aliqui appel„lant libertatem, labefactari diceretur. „De cetero valde dubius hæreo, an om„nes illi, qui pro ſuo arbitrio cuncta „proponendi libertatem ſibi concedi „tam avide poſtulant, mature mala „exinde oritura ponderaverint; quam„vis enim ex his non deſint viri pru„dentes, atque eruditi, adſunt tamen „alii, in quibus ejusmodi dotes deſide„rantur, ab his vero maximum immi„net periculum, niſi remedium oppo„natur: attamen mihi forte exinde pa„rum timendum, cum auctoritas mea

Divi-

„Divinæ promiſſioni innitatur: quo- Sæcul. XVI.
„circa hæc non adeo me ſollicitum red- A.C. 1563.
„dunt, plus vero Principibus timendum
„erit ob mala, quæ in illos redundare
„poſſunt: ſi enim Hiſpaniæ Epiſcopis
„immodica tribuitur libertas, forte Re-
„giam ſuam Majeſtatem præprimis pœ-
„nitentia ſubibit, eoquod hi plura privile-
„gia hucusque conceſſa, ac Regi ſummo-
„pere proficua revocari poſtulaturi ſint.„

Circa reſidentiam Papa reſpondit, hanc magis a ſe, quam a quopiam alio deſiderari, adeoque jam fuiſſe denuntiatum etiam Cardinalibus Eccleſias obtinentibus, ut ad eas ſe conferrent. *Pallav. n. 18. & 19.*

Quod attinet concedendum Calicis uſum, ad hoc repoſuit Pontifex, quod mentem ſuam deſuper explicare hucusque ſemper diſtulerit, eoquod funeſta prævideret mala, quibus ſeſe Principes exponerent, ſi certa daretur repulſa: ſi vero concederetur hic uſus, rurſus majora emergerent incommoda. Denique ſuum reſponſum abſolvit his verbis: nunc vero unice penes Regiam ſuam Majeſtatem repoſitum eſt, ut Synodo promptum, proſperumque exitum procuret, ſique aliquando me ab ejusmodi curis exemptum videro, omnem a me ſatisfactionem Majeſtas veſtra expectare poterit.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

LIBER CLXIV.

PIUS IV. PONTIF. MAXIMUS, FERD. I. OCC. IMP.

§. I.

Cardinalis Moroni, novi ad Synodum Legati, necnon Lunensis Comitis adventus ad Tridentinam urbem.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Pallav. hist. Conc. Trid. l. 20. c. 11. n. 1. & 2. Nicol. Psal. act. Conc. Trid. p. 380. Spond. hoc ann. n. 33. Sarp. l. 7. pag. 671. Visconti t. 1. pag. 205.

Tandem die decima Aprilis pridie ad festum Paschatis, Moronus Cardinalis Tridentum venit. Adventantem exceperant, eique obviam prodierant veteres Legati, Oratores ac Synodi Patres, quos ipse etiam Madrutius Cardinalis non ita pridem Tridentum reversus comitabatur. Postquam igitur Moronus ad Sanctæ Crucis Ecclesiam urbi sat vicinam advenerat, equo descendens Templum ingressus est, ac mutata veste Cardinalitiam purpuram induit, muloque vectus usque ad Urbis portas processit, ubi inter sacros Hymnos solemni ritu decantatos a Cle-

ro

ro excipiebatur: itaque civitatem ingressus, ac Pontificio habitu insignis sub umbella Ecclesiam S. Vigilii toto populo festive acclamante accessit, ubi etiam Hymno Ambrosiano decantato omnibus adstantibus bene precabatur, Diaconus vero ejus nomine centum annorum, totidemque quadragenarum indulgentias promulgabat. Peractis hisce solemniis Cardinalis Moronus ad suum Palatium pedes incedebat, iisdem Nobilibus eum comitantibus: altero autem die Paschatis festo rem Divinam solemni ritu peregit, eamdemque noxarum veniam indulsit. Sæcul. XVI. A.C.1563.

Altera die Lunensis Comes Regis Catholici Orator pariter Tridentinam urbem solemni pompa ingrediebatur, quem præprimis Franciæ Oratores visum ibant, & quidem Lansacus verba faciens, eidem hæc exponebat: „mihi „a Rege Domino meo, atque a Regina „Regni Administratrice in mandatis da„tum, ut omnia deinceps agenda Emi„nentiæ vestræ communicarem; cum „nil aliud ab illis exigatur, nisi quod „vel maxime in Religionis utilitatem „cedit: si vero quid speciale Regem „Franciæ concernens ipse exponere vel„let, nos operam nostram conferemus „eo prorsus studio, ac affectu, quem ar„ctum inter utrumque Regem fœdus,

ac

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„ac perfectæ amicitiæ vinculum de„poscere videntur.„ Ad hæc respondit Comes, quod ferme eadem sibi injuncta forent, ac proin nil eorum prætermissurus esset, quibus piæ illorum voluntati satisfacere possit.

§. II.

Moroni Cardinalis colloquium cum Principum Oratoribus.

Pallav c. 11. n. 3. & 4. Visc. p. 211.

Sub idem tempus Moronum Cardinalem omnes Principum Oratores, cunctarumque Nationum Episcopi salutatum venerant: inter eos autem Galli solidæ reformationis necessitatem eidem exponebant, eum rogantes, ut triginta quatuor illos articulos exponere vellet. Ad primam petitionem, quæ Hispanis æque ac Gallis erat communis, reposuit Cardinalis, quod eorum desideria jam dudum præveniisset Pontifex, hujusque rei executionem ipsimet brevi conspecturi essent: ad alterum vero caput declarabat, quod, priusquam de hoc negotio ageretur, Cæsaris consilium esset expetendum, ut omnibus satisfaciendi ratio communi suffragio excogitari valeat: his addebat Cardinalis: „rupta omni mora ad „Imperatorem contendere jubeor, brevi „rediturus.„ Hoc responso Galli, cete-

rique

rique sat contenti eundem ad accelerandum iter hortabantur. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. III.

Cardinalis Moronus in quadam Congregatione receptus.

Feria tertia post Paschatis Dominicam die decima tertia Mensis Aprilis pro recipiendo Cardinale Morono generalis habebatur Congregatio, in qua recitato diplomate, vi cujus nominabatur Synodi Legatus, idem orationem habuit, pluribusque mala, quibus tot Christianorum Provinciæ agitantur, deplorabat, ad quorum levamen a summo Pontifice, cujus dignitatem plurimum extulit, præsentem Synodum fuisse convocatam asserebat, & postea de semetipso loquens, Patribus una congregatis testatum reddere nitebatur, quod quamvis duobus illis Legatis nuper defunctis in tam arduo munere succedere non mereretur, eos tamen in sincera Synodi utilitatem promovendi voluntate æquare contenderet, postea rogabat Patres, ut sua solertia, pacis studio, ac Zelo non minus scientia illustrato, quam charitate accenso ipsum juvare vellent.

Pallav. n. 6. Sarp. l. 7. pag. 672. Pfal. p. 380. Spond. ad hunc ann. num. 23. Visconti t. 12 pag. 213. Rayn. hoc ann. n. 52.

Hac oratione magnum sibi conciliabat honorem, simulque tam amplæ pollicitationis executio avide exspectabatur.

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

batur. Sequenti die decima sexta Aprilis Lunensis Comes Moronum, quem visum ibat, vehementer sollicitabat, ut hanc clausulam: *Legatis proponentibus* veluti Concilii libertati adversam supprimere vellet, quam in rem disertis verbis eidem declarabat, quod hæc verba deleri Cæsar, necnon Lusitaniæ & Franciæ Reges peterent, omnesque sperarent, quod ipse ceteris prior hanc suppressionem persuadere niteretur.

Verum Cardinalis hæc reposuit: „cum hæc clausula in Sessione fuerit „decreta, si nunc supprimeretur, non „modo decisiones hucusque factæ in dubium revocari possent, quod tamen „Rex nullatenus admittit, sed etiam „eædem juxta illorum, qui novitatum studiosi sunt, arbitrium omnino everti valerent: aliunde vero nil „nisi perturbationes, ac tumultus in Synodo suscitarentur, si ad quævis absona, quæ Patribus proponere lubet, „recipienda Synodum cogere, cuivis „permitteretur. Denique haud percipere valeo, qua ratione hæc Regis „petitio conciliari possit cum ampla pollicitatione, qua se Sacram Sedem propugnaturum promittebat, cum tamen „ejus auctoritati hoc pacto grave vulnus infligere machinaretur.„ Ad hæc Orator respondit: mei muneris est

Regis

Regis, ac Principis mei jussa exequi, nec ea prætergredi mihi integrum relinquitur: mox tamen subjunxit Cardinalis, quod ejusmodi mandata interpretari licitum sit, præcipue cum haud præsumi valeat, quod Rex rem Concilii honori tantopere noxiam petere velit. Tandem utrinque conventum, de hac clausula interim minime agendum, donec Cardinalis cum Cæsare hac super re contulisset: Comes tamen altera die coram Lusitano Oratore asserebat, quod omnium Oratorum cura eo intenta esse deberet, ut hæc clausula deleretur. Ceterum cum Moronus Cardinalis pridie Oenipontum discessisset, pluresque alii Præsules abessent, propositum est, Sessionem, quæ ad diem vigesimam secundam Aprilis erat indicta, esse prorogandam, ac primum eam die trigesima Mensis Junii habendam: verum huic dilationi Lotharingius Cardinalis paulo ante redux obluctabatur, ostendens, haud consultum fore, ut certa dies præfigatur, ne forte argumentis nondum plene discussis Sessio nequidem die tertia Junii celebrari queat, unde fieri posset, ut tunc, si post præstitutum diem rursus Sessionem prorogare oporteret, magis adhuc exasperarentur eorum animi, qui ob toties repetitas dilationes aliunde jam contra Synodum

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Sæcul. XVI. A.C 1563.

dum quererentur. Sequebantur Patres Lotharingii consilium, simulque decretum, ut die vigesima Maji primum discuteretur, quænam dies futuræ Sessioni esset præfigenda.

§. IV.

Petri Soto Dominicani obitus.

Pallav. l. 20. c. 13. n. 1.

Pridie, quam cuncta hæc in Patrum conventu decernebantur, die vigesima Aprilis Petrus Soto, seu Sotus ex Ordine Fratrum Prædicatorum Theologus percelebris Tridenti supremum diem clausit, cujus jacturam omnes Patres ob raram pietatem, atque eruditionem communi luctu deplorabant. Natus is erat Cordubæ in Hispania ex nobilibus Parentibus: anno autem Christi millesimo quingentesimo decimo nono juvenis adhuc institutum S. Dominici amplexus tantam nominis sui famam sibi comparabat, ut ad moderandam Caroli V. Cæsaris conscientiam seligeretur, quem etiam comitabatur in Germaniam, ubi ab eodem hæresis ibidem impune grassantis progressus edoctus, ut amplius hæreses impugnandi spatium nancisceretur, Aulam relinquendi veniam petiit, obtinuitque. Eodem tempore ad preces Cardinalis Ottonis Truchsesii Episcopi Augustani Dilinganæ in Suevia Universitatis

sitatis studia restaurabat, suamque operam ad obeundum Professoris munus ipsemet obtulit, ac reipsa Theologiam publice tradidit usque ad Annum Domini millesimum quingentesimum quinquagesimum tertium; nam hoc anno Philippus Hispaniæ Princeps, ac postea secundus hujus nominis Rex, qui Mariæ Anglorum Reginæ desponsatus erat, ad Religionem Catholicam in Oxonienſi, & Cantabrigienſi Universitatibus restaurandam eundem Petrum Sotum, aliosque duos ejusdem sacri Ordinis Theologos selegerat: cum vero Maria Regina anno salutis nostræ millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo vivis eriperetur, ob funestam illius mortem hi Theologi bene cæpta prosequi præpediebantur: quapropter Sotus Dilingam reversus ibidem usque ad annum a Christi nativitate millesimum quingentesimum sexagesimum primum substitit, tum vero Pii IV. jussu ad Synodum Tridentinam contendit, ubi rara eruditionis suæ specimina edidit. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. V.

Epistola circa residentiam a Soto triduo ante obitum ad summum Pontificem perscripta.

Pallav. l. c. Vie de D. Barth. des Martyrs. l. 2. c. 10. Visc. p. 245.

Triduo ante obitum suum Sotus epistolam alieno chirographo, proprio

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

tamen ſigillo munitam ad ſummum Pontificem tranſmittendam exarrabat hujus tenoris:

„Beatiſſime Pater! Proxime ad Di„vini Judicis tribunal vocandus, atque „erga Sanctitatis veſtræ honorem zelo „nunquam intermorituro accenſus haud „temere mihi perſuadeo, Sanctitatem „veſtram non ægre laturam, ſi in po„ſtremis hiſce vitæ meæ momentis fi„liali libertate eandem adhorter, atque „exponam, quod nunc, cum jam antea „meam ſententiam circa Epiſcoporum „reſidentiam declaraverim, aperte de„nuntiem, rem pietate, ac virtute di„gnam fieri, ſi Sanctitas ſua eo rem de„ducat, ut ſacroſancta Synodus non „modo, cujusnam juris ſit reſidentia „Præſulum, aliorumque Eccleſiæ Mi„niſtrorum diſertis verbis definiat, ſed „inſuper id, quod ſemel definitum eſt, „tamSanctitas veſtra,quam ceteri omnes „Prælati fide nunquam violanda ſer„vent: Ut vero mentem meam adhuc „clarius explicem, optarem, ut Cardi„nales deinceps nullos alios Epiſcopa„tus poſſiderent, niſi ſaltem in ſuis Dioe„ceſibus permanere parati ſint. Hæc „ſunt poſtrema mea vota, ac veſtri hu„millimi, & fideliſſimi ſervi verba: ſi„cut enim Sanctitati veſtræ diuturnam, „ac feliciſſimam vitam apprecor, ita „pari-

Echard. de Script. Ordt FF. Præd. Rayuald. hoc ann. n. 71.

„pariter mihi persuasum habeo, quod a- Sæcul. XVI.
„liquando, dum Deo placuerit præ- A.C. 1563.
„sentem vitam cum æterna commuta-
„re, in illa postrema, atque tremenda
„hora, cui me proximum cerno, ingens
„animæ suæ solatium percipiat, si
„rem, quam fieri supplico, effectui da-
„tam recordabitur &c. (*)

Hæc epistola quantocius ad Papam transmittebatur, cum autem illam Ludovicus Losus hujus Patris Theologus descriptam teneret, brevi ea publici juris facta est.

§. VI.

Navagerus Cardinalis Legatus ad Synodum delatus.

Die vigesima octava, seu vigesima nona ejusdem Mensis Cardinalis Navagerus novus Synodi Legatus Tridentum venit: cum autem non nisi die trige- *Pallav. c. 13. n. 2. Sarp. l. 7. p. 677. Spond. hoc ann. n. 23. Visconti. let. 27. p. 249.*

(*) Studiose autem Continuator in hac epistola prætermisit ea verba, quæ a doctissimo hoc Viro adjecta refert Pallavicinus: Scripserat enim, *a se vivente, ac moriente affirmari, Summum Pontificem cunctis Conciliis Superiorem esse, nec ab illis ulla ratione judicari posse: opportunum a se censeri, ut id pariter aperte defineretur; cum contrarium in seditiones, bella, & schismata manifesto tenderet.*

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

trigesima adventurus crederetur, nemine eidem obviam procedente urbem sine omni pompa ingressus est.

§. VII.

Summa articulorum Cæsari a Cardinale Morono proponendorum.

Pallav. n. 4. & 5.

Sub idem tempus Cardinalis Moronus Oeniponti serio de Synodi rebus cum Cæsare agebat, juxta illa mandata, quæ Roma receperat: hic itaque speciatim exponere studebat, quod Synodi diuturnitas Diœcesibus summopere noxia foret, atque Principibus, populisque ingrata accideret, insuper Moronus ad media, quibus huic malo obviari posset, transiens inter alia proposuit, nil magis opportunum fore, nisi ut Imperator juncta cum Pontifice opera suis Oratoribus præciperet, quatenus in omnibus Synodi Legatos juvarent. „ Inde enim, prosequebatur Car„dinalis, fiet, ut novæ disputationes „circa dogmata in Synodo haud ultra „moveantur, sed potius ad solos hære„ticorum errores impugnandos opera „convertatur: præterea factu optimum „puto, si emendationis articuli de comu„ni consensu proponerentur, nec liceret „cuilibet nova scripta in medium proferre: „cum sic eveniret, ut non eadem res sæ„pius in quæstionem rediret: ad hæc uti„lissi-

„lissimum mihi videtur, si secundum pri-
„mæ sessionis decretum concordi ob-
„servantia custodiatur, adeo, ut a Le-
„gatis solis id proponeretur, quod op-
„portunum erit, & a Principibus exo-
„ptatur: porro ea morum emendatio,
„quæ ad aulam Romanam, ac Magi-
„stratus spectat, acceptetur, quo pacto
„illam statuisset Pontifex, qui rigido, in-
„tentoque animo illam adornat: nec
„etiam in disputationem illic addu-
„cantur ea, quæ perpauci callent, ne-
„que Principes, eorumque Ministri pri-
„vatos Præsulum conventus cogant, sed
„potius singulis libertatem suæ con-
„scientiæ relinquant, quemadmodum
„id a Pontifice factum. Demum ipsi
„quoque Principes boni consulerent ra-
„tionem aliquam, quæ excogitetur ad
„rescindendam in sententiis explicandis
„prolixitatem.

§. VIII.

Cæsareorum consilium de suffragiis per Nationes ferendis a Legato rejectum.

Ad cunctas hasce rationes Cæsaris Mi- *Pallav. c. 13.*
nistri hæc responderunt: „ Cum *n. 7. & 8.*
„caussa potissima Synodi longius pro-
„tractæ sit tum negotiorum, tum Præ-
„sulum suas sententias pronuntiantium

Sæc. XVI. A.C. 1563.

„multitudo, hinc duo media adhiberi „possunt, quorum primum est, ne „disceptaretur de iis, quæ in sacris li„teris, & Conciliis decisa habentur, „neque ab hæreticis oppugnantur: al„terum autem eo vergit, ut viri docti, „ac pii ex quavis natione seligerentur, „qui singulorum sententias proponerent, „præcipue cum ea sit mens Cæsaris, „idque usurpatum fuerit in variis Sy„nodis antiquis, ac recentioribus, cum „id pariter in conventibus Laicorum fie„ret, atque hoc etiam pacto plurimæ „quæstiones eodem tempore discuti pos„sent a diversis cœtibus, adeo, ut cui„libet privato fas foret significare de„lectis hisce Patribus ea, quæ sibi in „mentem venirent de propositis arti„culis, ut postea ab ipsis hoc modo dis„cussa, ac digesta ad generalem con„ventum referrentur. Ex utroque hoc „consilio primum placuit Cardinali Mo„rono: „ alterum vero minime proban„dum censuit, ideo universim respon„dit: „hoc remedium a Cæsare propos„tum jam alio tempore executioni „datum fuit, imo deinceps quoque u„surpabitur, quotiescunque congruere „videbitur: quippe sub Paulo III. ex „qualibet Natione seligebantur Episcopi, „qui librorum prohibitorum indicem „conficerent: insuper adhucdum Lega„ti

„ti Congregationes particulares inſti- Sæcul. XVI.
„tuebant, quæ, dum opus erat, ſuam A.C. 1563.
„poteſtatem ab univerſo Patrum Con-
„ventu accipiebant.

§. IX.

Papæ ſententia de ſuſpenſione, & libertate Concilii.

Circa alium articulum Cardinalis Mo- *Pallav. n. 9 & 10.*
ronus jubebatur, certum reddere Cæſarem, quod Pontifex Synodi ſuſpenſionem permittere nollet, quamvis ad eam a ſummis Principibus ſollicitaretur, cum Papa ſibi firmum, fixumque haberet, in hoc propoſito perſiſtere unice ex boni publici ſtudio, non autem ex metu mali, quod ipſi ex propriis Nationum Synodis imminere poſſet: Ex altera parte Moronus hæc exponere juſſus erat: „non eſt, cur quispiam „ſuſpicetur, a Papa ſuſpenſionem ideo „exoptari, ut morum correctionem evi„tet, hanc enim idem ipſemet unice „optat, adeo, ut etiam tunc, ſi quovis „infortunio Synodus diſſolveretur, ani„mo ſuo ſtatuerit, ut, ubicunque poſſet, „plenæ emendationis negotium perfi„ceret, prout id jam experimento pro„bavit per complura diplomata, quæ „promulgavit, quorumve exempla jam „miſſa ſunt ad Cæſaream Majeſtatem

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„ſuam, quæ ſolius mali, non autem boni „conſcia videtur.

Ceterum ad illud de Synodi libertate Pontifex hæc ſignificari præcepit: „Libertas hæc tam religioſe fuit obſervata, ut Patribus permitteretur ſententiam etiam licentius promere: inſuper libenter Legati quemlibet Epiſcoporum, etiam privatim de agitatis „argumentis differentem excipiunt, ac „deſignant etiam peculiares cœtus juxta Concilii voluntatem: præterea res, „antequam proponuntur, in conſilium „cum Oratoribus adducuntur, ac deciſiones ex ipſorum ſententia ſæpe reformantur: ſi vero ratione quadam dici „poſſet, quod in Concilio libertas lædatur, id mandatis per quosdam Principes miſſis ad ſuarum Provinciarum „Epiſcopos, eſt tribuendum; ideo peto, ut huic incommodo conſulatur.

§. X.

Cæſareorum reſponſa ad Pontificis reprehenſionem.

Pallav. n. 11. & 12.

Ad hæc Cæſaris Miniſtri hunc in modum reſpondebant: „Cæſar a conſcientia ſua non redarguitur, perinde „acſi ulla unquam paucis illis Concilii „Patribus ſibi addictis dediſſet manda„ta, per quæ ipſorum libertas minue„retur: quid vero reliqui Principes „feciſſent,

„feciſſent, ipſi ſatis compertum non eſt: „ſi vero id accidiſſet, oportet Legatos „conqueri de ipſis Oratoribus, ac ejus„modi Principibus, ubi id opus videbi„tur, interim Cæſar ſpondet, ſe impe„raturum ſuis Oratoribus, ut in eo ſtu„dia Legatorum adjuvent: ipſe autem „parato eſt animo ad ſuam etiam o„peram per ſe ipſum impendendam, u„bi hoc a ſe flagitaretur: hinc ſperat, „Pontificem pariter integram liberta„tem conceſſurum Præſulibus Pontifi„ciæ ditionis, aliisque, quorum neceſſi„tatibus Cæſar ſubvenire intendit, „ His perceptis Moronus Cæſari propter obſequioſam hanc pollicitationem grates rependens ajebat, ſperare ſe, quod exemplum Cæſaris, ejusque auctoritas maximam vim ſit habitura, ut quivis in ſuo officio contineri poſſet. Sæc. XVI. A. C. 1563.

§. XI.

Pontifex Legatorum ad ſe recurſum excuſans.

In iisdem mandatis Pontifex diluebat illam accuſationem, qua crimini datum, quod Synodi Præſides in omni re Pontificis judicium exquirerent, proin cuncta ad ejus ſententiam decide*Pallav. l. c.*
rentur: dicebat igitur Pontifex: „ſi Mi„niſtris omnibus conſuetum eſt, ſuum „Principem de rebus gerendis edocere,

Sæcul. XVI. A.C. 1563. „multo magis id obſervandum venit „Legatis erga Caput Eccleſiæ in rebus „Religionis, cum ſemper in more poſi„tum fuerit, ut ſummus Pontifex de „gravioribus cauſſis certior fieret: hæc „autem agendi ratio non adimit liber„tatem, quandoquidem Decreta nonniſi „pro majori ſuffragiorum numero fir„mantur: in veteribus quoque Conci„liis uti in Chalcedonenſi, & Conſtan„tinopolitano, non ſolum fuit permis„ſum, ut res cum ſummo Pontifice com„municarentur, ſed inſuper pronuntia„tæ Papæ ſententiæ a Patribus ſubſcri„beretur, nec minus veteres illi, ac re„ligioſi Imperatores conſuevere ſuis „ſubditis imperare, ut fidem ſequeren„tur, quam Damaſus, Agatho, aliique „Romani Pontifices tradebant: porro „tantum in præſentia non poſtulat Pon„tifex, nec ejus Legati; ſed unice vo„lunt, ut juxta majorem Patrum nu„merum Sanctiones condantur.

§. XII.

Reſponſum Cæſaris ad haſce Papæ rationes.

Pallav. n. 14. Verum Imperator ad haſce Pontificis rationes hæc in reſponſis dabat: „quamvis auctoritas conſtituendi in Ec„cleſia Decreta Fidei, & emendationis, „in Romano Pontifice præcipue tan„quam

„quam in capite reſideat: ab ipſo ta- Sæc XVI.
„men in membra quoque ea derivatur: A C 1563.
„idcirco conſuetudo ferebat, ut maxi-
„mæ controverſiæ, etiam in Romanis
„Conciliis deciſæ, iterum ad Oecume-
„nica remittantur: porro his attendens
„nequaquam mihi arrogo poteſtatem
„ea de re quicquam definiendi, nec vo-
„lo, ſicuti dici ſolet, in cœlum os po-
„nere: ſi vero Legatus meum judicium
„hac in re percipere cupit, illud hujus-
„modi eſt: ſi quid novi negotii accidit
„in Concilio præter ea, quæ in convo-
„cationis diplomate leguntur expreſſa,
„tum de eo conſulendus eſt Pontifex,
„ſed aliæ res jam prævisæ, de quibus
„credendum eſt ampliſſima mandata
„fuiſſe ab ipſo Pontifice tradita Lega-
„tis, poterunt in eorum, & tot præ-
„ſtantiſſimorum Patrum judicio reponi:
„ſecus enim timendum, ne exclame-
„tur, haberi Concilium non Tridenti,
„ſed Romæ, nec ibidem Patrum, ſed
„illorum decreta promulgari, quæ a Ta-
„bellariis Romanis Tridentum afferun-
„tur.„

§. XIII.

Moroni Legati reſponſum ad Cæſarem.

Ad hæc rurſus Cardinalis Moronus Cæſari hunc in modum repoſuit: *Pallav. n. 15.*

„Fieri

Sæcul. XVI A. C. 1563.

„Fieri non potuit, ut res tam multæ, „& a tot, ac tam variis ingeniis pen„dentes prævideretur, nisi generatim, „atque obscuro sane modo, porro cum „Decreta res particulares ibidem de„finitas concernant, necessariæ viden„tur novæ illæ, peculiaresque commu„nicationes: de cetero singuli Prin„cipes proportione sua necessitatem il„lam experiuntur in arduis negotiis, „quæ per illorum Ministros in Provin„ciis remotioribus agitantur: ex ejus„modi autem consultationibus nullate„nus adimitur sententiam proferendi, „ac decernendi libertas, quæ nunquam „a Pontifice præpedita fuit: cum au„tem quæstio de residentia non fuit de„cisa, id non Pontificis interdicto, sed „Patrum discordiæ tribuendum„

§. XIV.

Alius mandati articulus circa clausulam: Proponentibus Legatis.

Pallav. c. 14. n. 1.

In iisdem mandatis alius articulus adhuc diutius discutiebatur, concernebatque clausulam hanc: *Legatis proponentibus:* Itaque Pontifex hac de re ea, quæ sequuntur, exponi jubebat: „Hæ voces solemniter a Patribus fir„matæ fuere tanta omnium concordia, ut „nunc, si jam revocarentur, infringere„tur auctoritas Concilii, & irrisionis „argu-

„argumentum præberetur hæreticis, Sæcul. XVI.
„perinde acſi aditus panderetur, ut A.C. 1563.
„nulla quæſtio unquam decidi poſ-
„ſet: ceterum ablata etiam hac clauſu-
„la idcirco nec magis liberum evadet
„Concilium, ſed econtrario majoribus
„tumultibus, & confuſioni fiet obno-
„xium: vera ſiquidem, ſalubrisque li-
„bertas ordini, ac regulæ non adverſa-
„tur: porro hunc ordinem in cunctis
„Synodis fuiſſe conſtat, imo etiam in
„omnibus Collegiis ſervatur, adeo, ut
„hujusmodi exemplum, ſi Principibus
„hujus clauſulæ ſuppreſſio concedere-
„tur, ingenti detrimento foret cunctis
„conventibus Eccleſiaſticis, ac Laicis,
„adeoque totius humani generis gu-
„bernationi obeſſet: inſuper etiamſi pro-
„ponendi libertas oratoribus concede-
„retur, in rem Principum nihil confer-
„ret, cum ex voluntate Pontificis præ-
„ſto forent Legati ad cuncta ipſorum
„poſtulata ſuo tempore proponenda.„

§. XV.

Cæſaris reſponſum ad hunc articulum.

Ceterum reſponſio Cæſaris fuit hu- *Pallav. c. 14.*
jusmodi: „certum eſt, quod prima- *n. 1.*
„ria proponendi facultas penes Ponti-
„ficem, ac Præſides reſideat, videtur
„tamen, poſt hos etiam ceteris ſua pro-
„feren-

Sæcul. XVI. A. C. 1563

„ferendi licentiam esse concedendam: „nolo autem nunc subtiliorem disputa„tionem hac super re instituere, sed „quoniam Synodus ea verba posuerat, „reverenter eadem accipio, nec recu„sabunt mei Oratores ad Legatos ea „deferre mandata, quæ illis commissu„rus sum nomine meo proponenda: in„super iidem omnia, quæ Præsides ex „adverso opponent, lubenter excipient, „& consilium ipsis pergratum erit: in„terim id fiat salvo omni meo jure, & „reservata mihi hac potestate, ut tunc, „ubi recusarent Legati res a me pro„positas ad Concilium referre, & in sua „ipsi sententia persisterent, fas mihi „sit easdem per meos administros pro„ponere, cum id mihi tanquam prima„rio Ecclesiæ Advocato licitum erit: „quoniam vero intelligebam, id Ponti„fici minime displicere, hinc optarem, „ut apertis verbis id declararetur.„ Tum Legatus promissum confirmabat, subjungens tamen, quod opus non sit novo Concilii Decreto circa hanc rem, cum absque illo ejus observatio, quæ solum Cæsarem tangit, haberetur, & ea nova declaratio tam de re, quam modo, quo fieret, plurimum contentionis, perturbationis, & cunctationis afferre posset.

§. XVI.

§. XVI.

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

Papæ responsum ad reformationis articulum a Cæsare propositum.

Succedebat sermo tangens reformationem capitis, quod æque, ac membra emendari Cæsar postulabat: ad hunc itaque articulum Moronus Cardinalis hæc respondere a Papa jubebatur; „Paratus est Pontifex ad libenter excipienda Cæsaris consilia, sed non potest „de hoc agi in Synodo, quin simul agatur de Pontificia auctoritate, quod „ab animo Cæsaris longe aberit: nam „nunquam in more positum comperitur, a Concilio Pontifici normam præscribi, præsertim vero dum hic ad semetipsum reformandum præsto est, idque reipsa perficit. Ceterum fas non „est Concilio, legem Pontifici præscribere, quando omnis Concilii sanctio „eatenus vim legis obtinet, quatenus a „confirmatione Pontificis illam vim accipit, porro sicuti magnam absurditatem redoleret, si imperii subditi vellent Imperatori legem imponere: ita „multo minus inest Laicis Principibus „potestas, vi cujus legem dare Pontifici „possent: quinimo Ecclesiæ mos constans „fuit, ut Pontifices suas constitutiones comprobante Concilio ederent, Imperatores vero illis subscriberent, &

Pallav. n. 6.

„exe-

Sæc. XVI. A.C. 1563.

„exequendas curarent: ideo obſtringi„tur Cæſar, tanquam Advocatus, ac „propugnator Eccleſiæ, ut illius capiti „patrocinetur, nec ſe conjungat illis, „qui eidem adverſantur; neque par eſt, „ut Principes emendationis, ac Reli„gionis obtentu ſtudeant in Concilio „mercaturam exercere.„ His verbis indicabat Papa Pontificiæ auctoritatis diminutionem ab illis tentatum iri ob rationes politicas, ſive ut ad ſe eam traherent, ſive ut gratificarentur hæreticis.

§. XVII.

Cæſaris reſponſio ad omnes hujus mandati Pontificii articulos.

Pallav. n. 7. Ad hujusmodi caput Ferdinandus Imperator his verbis reſpondit: „Ea „res eſt inter ceteras maximi ponderis: „dubitari enim non poteſt, quod emen„datione opus ſit non ſolum membris „Eccleſiæ univerſalis, quæ jam a Sy„nodo incepta fuerat, ſed etiam Capi„ti, quod eſt Eccleſia Romana, & ipſius „Epiſcopus: non autem eſt mens mea „per ea verba viventem notare Pontifi„cem, quem maximi æſtimo, prout u„niverſum hominum genus eundem o„mnimodis veneratur: ideo generatim „loqui volo: De cetero extra contro„verſiam ponitur, plurimos abuſus in„ductos

„ductos fuisse per Pontifices, qui dispen- Sæcul. XVI.
„sationes prodigebant, nec minus in- A.C. 1563.
„ducebatur delictorum impunitas, im-
„munitatum frequentia, sacerdotiorum
„multitudo, & pecuniæ cupiditas, qui
„abusus suppeditaverant magna ex par-
„te ansam recentium hæresum incre-
„mentis: hinc arbitror, nec Pontificem
„pro sua sinceritate, ac probitate id in-
„ficiaturum: hæc si ita sint, manum
„nequaquam, ut jam præmiseram, ad-
„movendam censeo emendationi in i-
„pso Pontifice, nec pariter in iis, quæ
„spectant ad ipsius temporariam pote-
„statem, ejusque Ecclesiæ administra-
„tionem; nam hæc ipsi cum Cardina-
„lium senatu relinquenda venit, inte-
„rim reformatio instituí debet circa
„alia negotia ad Ecclesiasticum regi-
„men pertinentia, quæ ab Aula Ro-
„mana in reliquum Ecclesiæ Corpus
„influunt: Variant equidem sententiæ
„de Concilii auctoritate, hinc par mihi
„non est, super iis argumentis in ar-
„duam cum Pontifice disputationem
„congredi, sed solum ex debita filii
„erga Patrem reverentia, & amore mo-
„neo, tametsi Pontifex ad id stricto ju-
„re non obstringeretur, Christianarum
„tamen gentium conditio ejusmodi
„nunc est, ut teneatur Pontifex seipsum
„vincere, rerumque necessitati ex par-

Sæcul. XVI. A.C.1563.

„te indulgere: dubitandum enim non „eſt, per faciliorem, majorisque aucto„ritatis rationem poſſe opus illud perfici „a tot præſtantiſſimis, ac ſanctiſſimis „omnium nationum Præſulibus, in quos „nulla infidelitatis, aut ſocordiæ ſuſpi„cio cadere poteſt; cum tamen id i„pſum Romæ a nonnullis Cardinalibus, „& Prælatis, Pontificem adjuvantibus „fieri haud valeret; nam melius a plu„ribus aliena cauſſa agitur, quam pro„pria ab uno, paucisve, & inſuper id „quod omnium intereſt, ab omnibus „comprobari debet. Ceterum cum mi„hi oſtenſæ fuerint ſanctiſſimæ Leges, „a Pontifice circa ſuam Aulam latæ, „plurimum id profuturum cenſeo, ſi „cum Synodo communicarentur, ut per „auctoritatem ipſius, cui tot Princi„pum Oratores adſunt, tuto quaſi mu„nimine obſiſteretur molitionibus, quæ „ab illorum miniſtris adhiberi conſue„verant adverſus Sacroſanctam illam „emendationem, cum ſic graviſſimæ „querelæ cohiberentur, quibus difficul„ter alibi quam in Concilio apte con„ſuli poſſet.„

§. XVIII.

Vox Caput *ex Cæſaris ſcripto Legati juſſu deleta, ejusque reſponſum ad reliqua.*

Porro

Porro Moronus Cardinalis, cum ex Cæsare intelligeret, quod circa summi Pontificis Personam nulla emendatio peteretur, hac declarationis opportunitate usus postulabat, ut e scripto Cæsaris sibi tradito eraderetur vox illa, *in Capite*, ne id, si forte scriptum illud in manus hæreticorum deveniret, in pejorem partem traheretur. Annuit Imperator, unde hujus vocis loco alia verba fuere subrogata: Ad reliqua vero sic respondit Cardinalis: „de cunctis corruptelis a Cæsarea Majestate „sua enumeratis decretæ jam sunt, & „in posterum decernentur in Concilio „idoneæ emendationes: duo tamen a „reformationis negotio excipiuntur, electio Pontificis, & Cardinalium creatio, porro id ipsum fit ob varia atque oppositа nationum ultramontanarum studia: hinc non licet de his „agere in Synodo sine periculo aut gravis dissidii, aut alterius forte incommodi magis noxii: si vero Cæsarea Majestas in Comitiorum diplomate clausulas aliquas desideraret, Pontifex illius rationes lubentissime audiet: quin „imo antea quidem omissurus fuisset „idem diploma Concilio proponere, ut „illud simpliciter comprobaretur, quin „tamen expenderetur, nisi veritus esset, „ne ab exigua rei peritia, & a contra-

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

Pallav. n. 8.

Sæcul. XVI. A.C. 1568.

„riis animorum affectionibus dissensio, „ac mora crearentur: de cetero, cum „a Pontifice derivetur in Patres refor„mandi potestas, æquum non est, ut ipsi „postea velint ex sua ipsorum auctori„tate in disputationem adducere ea, „quæ per summam curam, ac maturi„tatem ab eodem Pontifice statuta „fuerant. „

§. XIX.

De Cardinalium creatione, & electione Episcoporum.

Pallav. n. 10. & 11.

Tum ad Cardinalium electionem procedebant mandata, in quibus Pontifex hæc exposuit: „Fieri nequit, ut „eorum numerus restringatur, quem„admodum Cæsaris epistola proponit: „etenim cum illorum dignitati perpe„tuitas debeatur, nec par sit, Pontifi„cem obstringi, ut iis tantummodo con„siliariis, ac Ministris uteretur, qui „sub ejus Prædecessore rerum summam „moderabantur, hinc eidem fas esse „videtur novos creare: præterquam „quod ad id etiam sæpe Papa compel„latur & Principum deprecationibus, „& Præsulum meritis: Ceterum in a„nimo nunc Pontifex non habet, a„lios ad eum ordinem assumere: si ta„men hoc ageret, ipse, quos oporteret, „seligeret, & præsto esset ad conficien-

„dum

„dum diploma de conditionibus huic „dignitati neceſſariis.„ Huic articulo nil opponebatur, poſt eum vero propoſitum de Epiſcopis eligendis ſermo erat in hoc ſcripto, ubi rogabatur Cæſar, ut eandem ipſe rationem de iis haberet, qui ad ipſius nominationem promoverentur. Hanc in rem Cæſar prolixam diſſertationem exhibuit, recenſitis conditionibus, quibus ex hominum prudentum ac Religioſorum ſententia opus haberet is, qui ſacras Infulas ſuſciperet; denique Imperator differebat de nimia licentia, quæ in Clericorum collegia irrepſerat ex eo, quod eorum complures Epiſcoporum poteſtati ſubtraherentur. His Legatus repoſuit, ea omnia in Synodo expenſum iri, jamque ab eadem in ſuis decretis de reformatione proſpectum eſſe. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. XX.

Articulus de reſidentia propoſitus.

Poſtea ſummus Pontifex circa articulum de reſidentia ſubjungi præcepit, quod hæc quæſtio, ſi reſidentia juris divini foret, haud inutilis crederetur, ac maluiſſet Pontifex, ut nunquam hæc controverſia fuiſſet excitata, dum tamen ea jamjam agitari cæpta eſt, æqui, bonique ſe conſulturum promittebat Papa, ut reſidentia declararetur neceſſaria *Pallav. n. 12.*

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

ceſſaria, inſuper ſpondebat, ſe curaturum, ut hæc lex ab ipſis etiam Cardinalibus obſervetur: ad hæc repoſuit Cæſar: „Tametſi fatius forte fuiſſet ab initio „quæſtionem illam prætermitti, nunc „tamen eo deventum eſt, ut nefas eſſe „videatur ipſam diſſimulare, cum præ„ter decreti promulgationem aliud non „deſit: id vero neceſſarium cenſetur, „ut, cujuscunque ſit juris ſive divini, „ſive humani, intelligant Epiſcopi, ſe ad „reſidendum obſtringi, de quo, ſi nihil „decerneretur, fortaſſe dubitarent.„ Ad hæc breviter Legatus operam ejusmodi a ſe ſponderi reſpondit.

§. XXI.

Papæ excuſatio de ſua a Tridentino Concilio abſentia.

Denique poſtremus hujus mandati articulus complectebatur rationes, ob quas ſummus Pontifex Tridentum venire præpediebatur, quamvis Cæſar illum eo ire invitaſſet: porro hæ rationes ad ſequentia capita redigebantur, ac primo cauſſabatur ſuam ſenectutem, ac ſanitatem minus firmam. II. Obtendebat Papa rigidam Tridentini aeris inclementiam: III. dicebat, quod locus omnis a Concilio occupetur, adeoque capax haud foret duplicis aulæ tam amplæ. IV. Prætexebat indignita-

gnitatem, qua Pontifex, & Cæsar, ille Ecclesiæ, hic Imperii Caput in loco morarentur, ubi ingens est agendi libertas. V. Allegabat pericula propter Germanorum hæreticorum propinquitatem, & propter fœdera, quæ cum ipsis iniit Princeps Condæus, Gallorum Hugonottarum Dux in Galliis. VI. Pontificem retinebat necessitas, qua tunc Roma urgebatur, ut propinquum sibi Pontificem haberet ob Turcicam classem, utpote quæ exscensionem minitabatur: ob sequentes vero rationes Pontifex Cæsari auctor erat, ut potius Bononiam veniret, eoquod posset Cæsar sine armorum apparatu, & cum exiguo sumptu eo venire per suam ditionem, si Mantuam usque iter haberet, quoniam vero Pontifex eidem obtulisset, quod Bononiæ æque ac ipse dominaretur, hinc timendum Cæsari non esset Germaniæ caussa, cum ibi relinqueret filium suum, quem Romanorum Regem jam electum omnes Germani amore, ac studio prosequuntur: Insuper inquiebat Pontifex, quod Cæsar hoc iter posset peragere cum Germanorum lætitia, eoquod illud susciperet emendationis gratia tantopere ab illis efflagitatæ, quæ reipsa perficeretur, translato in eam urbem Concilio. Postremo Pontifex datis hisce mandatis hæc subjunxit: „ec-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„quidem apud me ſtatueram, quod in „Eccleſia reformanda nec ſanguinem „nec privatorum utilitatem ſpectare ve„lim, ubi tamen agitur de lædenda „ſacræ Sedis auctoritate, eandem ut„pote non ab hominibus ſolum, ſed a „Deo mihi tributam, labefactari nun„quam permittam, cum idipſum non „ſine gravi noxa concedere valerem.

His peractis Cæſar ad Moronum Legatum circa Pontificis acceſſum ad Tridentinam urbem hæc reſcripſit: „Quamquam ampliſſima bona ex San„ctitatis ſuæ acceſſu ad Concilium ſpe„rari poſſent, percepta tamen, quæ oc„currit difficultate, illam ſtimulare de„ſiſto: de ſuo autem Bononiam adven„tu, ſi duntaxat ad meam coronatio„nem eo pergeret, ac id temporum con„ditio permiſerit, neutiquam hoc iter „recuſabo, ne deſim meo muneri, inci„tatus majorum meorum exemplo, & „debito gratæ ſubmiſſionis, ac obſer„vantiæ ſtudio erga eum Pontificem, „cujus paternæ benevolentiæ argumen„ta tam præclara obtinui: cum vero „illic univerſalis Eccleſia reformanda „eſſet, atque arduum, ac diuturnum o„pus illud exiſteret, levi manu, ac feſti„nanter pertractari haud poterit, cum „tamen ne brevi quidem temporis ſpa„tio mihi liceat Germaniæ terga ver„tere,

„tere, multis ibi occultis molitionibus „ferveſcentibus, quæ niſi celeriter ex- „tinquerentur, univerſum Imperium op- „primere potuiſſent: nec ſatis eſt Ro- „manorum Regis præſentia, eoquod ſe- „dandis Hungariæ tumultibus ipſemet „diſtentus ſit, ac ſemper in more poſi- „tum fuerit, ut majoris momenti ne- „gotia de rebus Imperii ad ipſum Cæ- „ſarem deferrentur.„ Sæcul. XVI. A C. 1563.

§. XXII.

Secretum Legati colloquium cum Cæſare.

Hæc Ferdinandum inter, & Legatum præſentibus Cæſareis Miniſtris hucusque fuere agitata, evoluto autem quodam temporis ſpatio Moronus cum eodem Imperatore ſecretum habebat colloquium, in quo multis præmiſſis, ac dilucidatis quæſtionibus tandem in ſequentes articulos utrinque conventum. *Pallav. cap. 15. n. 1.*

§. XXIII.

Articuli Cæſaris, & Legati conſenſu ſtabiliti.

I. Cunctis Synodi Patribus plena relinquatur libertas in ferendis ſententiis. II. Digreſſiones vagæ, & ad rem non pertinentes præcidantur. III. Patres teneantur ad ſuas opiniones mo- *Pallav. n. 3.*

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

deſte proponendas, quod pariter Cæſar ſuis Præſulibus injunxiſſe affirmabat. IV. Pontifex relinquat Concilio, ſicut promiſerat, integram ad res decidendas libertatem. V. Serio reformationis decreta perficiantur. VI. Quæſtio de reſidentia, an, vel non ſit de jure divino, decidatur. VII. Cum antea Synodi nonniſi unicus a ſecretis eſſet, nunc duo uſque ad Concilii exitum nominarentur, & hic recens adjunctus Pontificis, & Legatorum auctoritate eligatur. VIII. Proſpiciatur Epiſcoporum electioni, atque immunitati, qua Collegia ſe ab eorundem Ordinariis exempta contendunt. IX. Cæſar Bononiam ad ſuſcipiendam a Pontifice coronam Imperialem petat, ſi id negotiorum gravitas permittit.

§. XXIV.

Alii articuli inter Cæſarem, & Legatum controverſi.

Pallav. c. 15. n. 4. 5. 6. & 7.

Præter omnes hoſce articulos ſcripto traditos inſuper utrinque conventum, quod Imperator, ſi forte Romana Sedes vacaret extante Concilio, & idem in vivis ageret, impenderet omnes vires ſuas, ut ſacrum Collegium ſemper antiquum creandi novi Pontificis jus retineret. Ceterum tria adhuc erant capita, circa quæ tunc nondum mutuus

mutuus erat consensus, quorum primum erat, an in conventibus per Nationes suffragia ferrentur? Alterum autem concernebat clausulam *Legatis proponentibus*, circa quam Cæsar declarationem fieri petebat. Tertio denique quærebatur, an reformationis diploma a Papa conficiendum Synodi judicio subjiceretur? Circa hosce tres articulos Moronus nihil cum Cæsare concluserat, sed die duodecima Maji Oeniponto discessit, Moteram tamen veniens, hac super re literas ad eundem Imperatorem dedit, illum hortatus, ut tria hæc capita urgere nollet: suam vero epistolam Moronus ad Delphinum Nuntium dirigebat, ad primum articulum respondens, decreta a Synodi Præsidibus sancita immutari haud posse, nec æquum videri, quod unus, aut alter ex Anglis, & Hibernis, qui in hoc Concilio sunt, auctoritatem obtineant triginta Gallorum, aut Hispanorum Præsulum auctoritati parem, memoratis nequidem Italis: His addebat: „non est „in Principum, quin ne ipsius qui„dem Romani Pontificis potestate, in „Synodos Patribus invitis novum mo„rem inducere: si vero per Nationes „suffragia fuere data in Constantiensi „Synodo, id ideo factum, quia tum in „Ecclesia Pontifex non erat: Conci-

„lium

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Sæcul. XVI. A.C.1563.

„cilium vero Basileense nequaquam hunc „morem sequi voluit, præterea incon„grue dicitur, quod hac opinandi ra„tione res citius expediri possent; quippe „certum constat ex adverso, quod solum „tantæ novitatis exemplum longe diu„turnius tempus sibi vendicaret, quam „inde ex re confecta utilitatis hauriri „valeret, nec sufficit, quod affirmet „Cæsar, rem a se reponi in Pontificis, „Legatorum, & quorumdam aliorum „judicio: nam solus rumor, quo hu„jusce modi consilium a Cæsare foveri „spargeretur, jam sufficiens esset ad gra„ves turbas ciendas.

Ad alterum articulum ita respondit: „hæc clausula absque Concilii de„decore, & violatis Principum juribus „immutari nequit, si vero Oratoribus „proponendi facultas concederetur, qua „ratione Episcopis denegari posset? „exinde autem ingens oriretur pertur„batio. Denique ad tertium ac postre„mum caput rescripsit Moronus: par „non est, ut Pontifex aliorum judicio „subderet id, quod ipse mature, & de „sententia præclarissimorum hominum „stabilierat; præsertim cum Patres „Concilii nullam, aut exiguam ha„beant experientiam de opere illo non „minus arduo, quam singulari, cum „nunquam ea de re actum fuisset in „Syno-

„Synodis nisi præsente Pontifice, nec „id innovari posset sine gravi Sedis „Apostolicæ detrimento, si vero Cæ„sarea Majestas, per eam Constitutio„nem obstaculis, quæ Principes con„tra abusus injiciebant, haud satis con„suli existimet, atque opportunum ar„bitretur, ut res Concilio proponere„tur, tunc penes Cæsaream Majesta„tem erit, declarare ea, quæ ad hosce „Principes spectant, quorum omnium „certe ratio habebitur: hæc autem „Cæsareæ suæ Majestati serio perpen„denda proponeret, rogaretque, ne le„gationem hanc suo successu frustrare„tur, sed potius suæ pietatis, suique „erga Sedem Apostolicam affectus, at„que in communem utilitatem studii „specimina ederet, a quibus unice pro„sper Synodi exitus dependeret.„ Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. XXV.

Cæsaris responsum ad Moroni Cardinalis literas.

Altera die decima tertia Maji Imperator perlecta hac epistola ad Moronum hæc perscripsit: „Per Nationes „suffragia esse danda non alio ex fine „proposui, nisi quia tu ipsemet a me „consilium petieras de modo longiores „quæstiones, ac disputationes decli„nandi: de cetero mihi minime per- *Pallav. l. 15. num. 8.*

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„ſuaſum eſt, unum, aut alterum ex „Anglis æqualem obtenturos auctori„tatem ſeu triginta Præſulum ex aliis re„gionibus parem; ſed potius cenſeo, „ut ea, quæ ſelecti Patres digeſſerant, „in Synodo poſtea referantur, ut pro „majori ſuffragiorum numero cuncta „aut comprobentur, aut rejiciantur: „hæc autem omnia a me ſunt propoſita „duntaxat ut conſilium ſuggeram, non „autem ut mandatum imponam. Ce„terum earum vocum, *Proponentibus* „*Legatis*, diſertam quidem declaratio„nem fieri exoptabam; ſed ut animum „meum Legato obſtrictum patefaciam, „contentus ero, dummodo mihi con„cedatur facultas communicandi Præ„ſidibus mea poſtulata, quæ ipſus in „utilitatem ditionis meæ fore arbitror, „ut Præſidum ſententiis auditis per „ipſosmet ea proponantur, ſi vero, quod „futurum minime ſpero, illi hoc facere „recuſarent, poſſent ea uti facultate „mei Oratores, quod pariter ceteris „Principibus conceſſum iri confido.„

Hoc Cæſaris reſponſum eadem die decima tertia Menſis Decembris Nuntio Delphino redditum ad Moronum Legatum tunc Moteræ prope Oenipontum adhuc hærentem transmiſſum eſt, quo accepto Cardinalis ingenti lætitia affectus

fectus pro reſponſo tam obſequioſis verbis concepto grates rependit. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. XXVI.

Navagerus Legatus reformationem urgere a Lanſaco importune ſollicitatus.

Quamvis præcipuus Synodi Præſes nondum Tridentum reverſus eſſet, nihilominus Galli morum emendationem importunius petebant; nam Lanſacus Navagero hæc expoſuit: cum tanquam Regis Orator Romæ degerem, compertum mihi erat, quod Pontifex tam bene animatus ſit ad Eccleſiam reformandam, ut in Gallias regreſſus, regnum univerſum eo nuntio exhilararem: nunc vero contriſtor ex animo, quod cernere cogar, tam lente rem progredi, ideo, dum Veſtra Eminentia ad munus illud obeundum miſſa fuerat, ipſam rogavi, ut dignaretur celeriter opitulari tantæ neceſſitati tantisque votis Chriſtianæ Reipublicæ, ac potiſſimum Galliæ Regni calamitatibus. Ad hæc legatus reſpoſuit Lanſaco, eum ſic alloquens, nunquam a te tam vehementer commendari poterit hujusmodi negotium, ut non impenſius jam antea illud a Pontifice fuerit commendatum, præteritæ autem cunctationis certam ratio- *Pallav. c. 16. n. 3. l. 20.*

„tio-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„tionem reddere nequeo; quippe non „adeo pridem adveni, ac rerum ge„ſtarum ignarus ſum, de iis autem, „quæ poſtea agentur, me vadem con„ſtituo, quam primum Collega meus „Cardinalis Moronus reverſus fuerit: „interim autem a ſelectis Patribus ar„gumenta præparabuntur.

§. XXVII.

Muſottus Secretarius Roma Tridentum reverſus.

Pallav. n. 6. Viſconti lett. 29. pag. 273. Sarp. l. 7. pag. 680. Spond. hoc ann. n. 28.

Interea Philippus Muſottus Roma die quarta Maji reverſus eſt; illuc enim eum Lotharingius Cardinalis ablegabat, poſtquam ei nuntiatum fuerat, quod a Papa crederetur Anteſignanus illorum, qui ejus auctoritati adverſantur. Huic Secretario Pontifex literas tradebat deferendas, in quibus ſignificabat, quod perſuaſus ſit de pia Lotharingii voluntate, gratumque habeat, quod ſepoſitis Ordinis, & reſidentiæ materiis de emendatione ageretur. Hæc epiſtola cum ingenti voluptate a Gallis percepta per ipſum Cardinalem Simonettæ Legato communicabatur, ut juncta cum eo opera de opportunis mediis conſultaret: verum Cardinalis, cum oppoſita haberet Pontificis mandata, rem usque ad Moroni reditum diſtulit.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Reginæ Scotiæ epistola in Patrum conventu prælecta.

Lotharingius hac mora offensus libertatem pariter adimi querebatur, innuens, haud difficulter deprehendi posse, quod Roma expectarentur jussa de singulis, & minimis quibusve negotiis, ac sola Romana aula, non autem Concilium judicaret, & decideret. Hic ergo cardinalis ut tandem placaretur, die decima Maji etiam non exspectato Moroni adventu Congregatio habebatur, in qua recitata fuit Reginæ Scotiæ Epistola, quam Lotharingius Cardinalis exhibebat. In ea Regina declarabat, quod se Concilio submitteret, ac perpetuam Sedi Apostolicæ obedientiam polliceretur: demum se excusabat, quod ex suis Præsulibus nullum ad Synodum Tridentinam mittere potuerit. Recitatis hisce literis Lotharingius Cardinalis Scotiæ Reginam amplis elogiis honorabat, ac præcipue suum Religionis studium deprædicabat, fusiusque vexationes, quas sibi inde accerserat, enarrabat. Ad hæc pari eloquentia Promotor Synodi nomine respondit, adeo, ut tota hæc Congregatio partim in commendanda, & partim *Pallav. l. 16. num. 7.*

Sæc. XVI. A. C. 1563.

tim excusanda Scotiæ Regina absumeretur.

§. XXIX.

In Patrum conventu actum de Corruptelis in Ordinis administratione irrepentibus.

Pallav. l. 20. c. 16. n. 8. Psal. p. 381.

Die undecima ejusdem Mensis rursus alia habebatur congregatio, in qua de abusibus circa Sacramentum Ordinis irrepentibus agebatur, quam in rem quatuor conficiebantur capita, quæ vix proposita tantis controversiis erant obnoxia, ut hac super re nihil decideretur: porro Cardinalis Lotharingius hanc dissensionem edoctus quatuor alios proponebat articulos, quos tamen proponere ægre permittebatur.

§. XXX.

Lotharingii Cardinalis Oratio circa hoc argumentum.

Pallav. n. 9. Psalm. l. c. Lit. Legat. ad Borrom. 13. & 14. Maji apud Pallav. l. c.

Lotharingius hunc in modum perorabat, & primo loco dicebat rite statuendum, quænam sint hauriendæ notitiæ de Episcopis promovendis, quasve dotes tam in ipsis, quam in aliis minoris notæ ministris Dominus Deus postulet: porro ad id varia Scripturæ electa proponebat Cardinalis, ac postea electionem Episcoporum tunc a Romano Pontifice usurpatam, improbabat tan-

tanquam minus perfectam, simulque criminabatur nominationem Principum, & Capitulorum, tanquam pernicioſam, plerumque absque consilio habitam, nec infrequentet utilitatis gratia factam. Verumtamen perhonorificam Caroli V., & Philippi Regis mentionem fecit, eosque ab his defectibus immunes declaravit, addidit tamen, adeo cordatos Principes, prout hi ambo essent, ægre admodum posse reperiri: Scotorum demum Reginæ Nepti suæ non pepercit, ita effatus: „si vetantur mulieres in Ec„clesia loqui, quanto magis prohibentur „Præfectos Ecclesiæ ad dignitates de„stinare? quinimo Lotharingius nec se ob reverentiam in suum Regem cohibuit, ne pronuntiaret, se, tametsi veterem Regis consiliarium, & ab eo summis beneficiis affectum, a conscientia tamen compelli, ut fateretur, in Episcopatuum distributione plurimum in Galliis erratum fuisse, nec sibi probari ajebat habitam a populo electionem, sed exquirendam esse formam quamdam, quæ, quantum fieri posset, ad normam a Christo, & Apostolis traditam accederet: his dictis quatuor capitum, seu Canonum, quos ipse excogitaverat, summam proposuit, ac postremo acriter invectus est in Episcopos ex mero titulo electos, præsertim

Sæc. XVI. A.C. 1563.

Sæcul. XVI. A.C. 1563. cum interdum duo Episcopi, ac duo Patriarchæ ejusdem civitatis constituantur, uti sunt Patriarchæ Constantinopolis, aliarumque Urbium in Græcia, quamvis enim eorum alter esset schismaticus, confirmationis tamen, Ordinumque collationem ab illo exercitam ratam haberi inquiebat, adeo, ut tunc, cum græciam reconciliatum iri spes sit, contingere posset, quatenus duo ejusdem Ecclesiæ Sponsi Concilio interlint. His addidit: „Episcopi titulares, per„inde ac alii, jurejurando se obstrin„gunt in sua consecratione, ut populo „sibi commisso Verbum Dei annun„tient, sed in hoc Spiritui sancto men„tiuntur, quippe se id nunquam præsti„turos probe agnoscunt: proin censeo, „aut illos sacris Ordinibus initiandos „non esse, aut mittendos ad suas Diœ„ceses, quamvis infidelibus Principi„bus subjectas, cum Episcoporum sit, „paratum animum gerere ad Marty„rium pro suo grege tolerandum, quem„admodum egerant Episcopi Redempto„ris ætati propinquiores; idcirco hu„jusmodi Episcoporum umbras ab Ec„clesia esse removendas arbitror.„

§. XXXI.

Lotharingius contra Cardinales Episcopos declamans.

Postea

Sæcul XVI. A. C. 1563.

Pallar. n. 11. Sarp. p. 681. Pſal. p. 387.

Poſtea ceterorum Patrum nonnulli ſuas proferebant ſententias, quibus perceptis Lotharingius Cardinalis ſuum ſermonem his verbis proſecutus eſt: „Videtur abſurdiſſimum eſſe, Car„dinalibus Diaconis Epiſcopatum com„mitti, abominandum ſiquidem eſt, „ut is Epiſcopatum obtineat, qui Epi„ſcopus eſſe non vult, nec minus diſſo„num eſt, tametſi magis tolerandum, „Eccleſias commendationis titulo tradi „Cardinalibus Presbyteris, qui tamen „illic reſidere debent: ceterum præſto „ſum ad Archiepiſcopatum Rhemen„ſem dimittendum, ita tamen, ut tunc, „ſi Cardinali fas non ſit Epiſcopatum „retinere, libentius purpureum pileum „deponerem, ut Eccleſiæ meæ deſer„virem.„ Poſtea idem hinc arrepto argumento de Cardinalibus diſſerens, cenſuit, non ante vigeſimum ſeptimum ætatis annum eos eſſe creandos, aut ſaltem nonniſi ætate Diacono præſcripta: inſuper oportere ajebat Epiſcopos conſecrari, & eos potiſſimum, qui interſunt Synodo, cum hæreticis gravi eſſet offenſioni, quod in cauſſis Religionis ii judicent, qui poteſtatem imponendi manus non habent, & pene ſunt laici; eapropter Decretum dendum eſſe voluit, ut ii aut quanto-

Sæcul. XVI A C 1563.

cius consecrentur, aut Episcopatu priventur, aut certe jure suffragii in Synodo careant. Postea de dispensationibus agens, inquiebat: „in Ecclesia „per quingentos annos ignotæ fuerunt „legum veniæ, ac postea tamen nequi„ter usurpatæ: hinc consultius fore exi„stimo, si per quinque, aut duos an„nos ab illis abstineatur:„ Hanc in rem protulit Lotharingius congregationem a Paulo III. contra hasce dispensationes erectam, cujus acta dein per typos vulgata fuere. Denique sermonem suum absolvit, dicens quatuor Ordinum minorum functiones constitutas initio fuisse optimo consilio, adeoque eas esse repetendas. Præterea de pluribus corruptelis cum tanta verborum contentione differebat, ut hujus conventus, licet longius protraheretur, tempus ferme solus insumeret.

§. XXXII.

Granatensis Archiepiscopi oratio circa idem argumentum.

Pallav. c. 16. num. 12.

Absoluta Lotharingii Cardinalis declamatione Granatensis Archiepiscopus ferme in eandem sententiam perorabat, atque ex verbis, quæ Lotharingius de Cardinalibus proferebat, occasionem aucupatus, etiam ipse hæc edicere non dubitabat: „Dum agebatur

„tur de Sacramento Ordinis, Synodus- Sæcul. XVI.
„que potestatem in omnem terrenam A.C. 1563.
„potentiam obtinebat, excepto sum-
„mo Pontifice, qui tanquam numen quod-
„dam in terris est, & omnia Synodi De-
„creta censeri possunt ab ipso Pontifice
„confecta, utpote ab illo confirmanda,
„tum consentaneum mihi videbatur,
„ut de Cardinalibus, eorumque condi-
„tionibus, & electionibus ageretur:
„nec enim, eoquod hæ procedant a
„Pontifice, idcirco in Concilio reticen-
„das censeo, cum alias silentio quoque
„essent prætereundi Episcopi, qui pa-
„riter eliguntur a Pontifice. Postea I.
improbabat, ab iis, quorum erat assi-
stere Romano Pontifici, illum eligi,
II. redarguebat, quod committatur Car-
dinalibus cura Ecclesiarum cum tanto
salutis ipsorum, ac Religionis discri-
mine: si tamen illis vellent frui Ec-
clesiis, ut ex titulo, non ex commen-
datione illas susciperent, monebat. III.
Asserebat, rationi dissentaneum esse,
ut ii, qui in Diœcesibus remotis præ-
sident, simul Romæ perpetuo degant,
porro hæc a se proponi ajebat, non
quod inde commodum sibi speraret,
sed cum id ad Dei Gloriam pertinere
existimaret, ut una saltem vox audi-
retur, quæ id Concilio exponeret: in-
super damnabat usum Episcoporum ti-

Sæcul. XVI. A.C. 1563

tularium, quos Ecclesia primæva ignoravit: his dictis plurimum invectus est in immunitates, ac retentiones, vulgo *Reservationes*, quas Apostolica Sedes concedebat, cum tamen hæc vocabula, ut ipse affirmavit, Ecclesiæ veteri essent ignota. Dein offensum se nonnunquam graviter fuisse testabatur, cum consideraret, leges esse temporarias, immunitates vero, ac reservationes, quæ sunt legum vulnera, esse perpetuas; tandem concluſit, quod potuerit alias existimari tempus opportunum immunitatibus, ac ejusmodi privilegiis, nunc vero tempus adsit restituendi Episcopis, quod illorum est.

§. XXXIII.

Lancianensis Archiepiscopi sententia de contumacia absentium Germaniæ Episcoporum.

Pallav. n. 7. Rayn. n. 91.

Die decima septima Maji Lancianensis Archiepiscopus ansam præbuit novæ disputationi, quæ Legatis non levem inferebat molestiam; quippe hic Præsul, cum sententiam suam circa tertium Canonem de abusibus promeret, palam effatus est, Episcopos obstringi, ut per se ipsos conferrent Sacros Ordines, cum tunc, si ipsimet exacte suo munere fungerentur, Ecclesia reformaretur, eoquod tum ipsimet reside-

residerent, gregemque suum pascerent: at e contrario ab Episcopis Germaniæ, & in primis a S. R. J. Electoribus suas Episcopatuum Infulas quasi contemni inquiebat: his prolatis conversus ad Drascovizium Quinqueecclesiensem Episcopum, hæc subjunxit: *Te alloquor, Reverendissime Domine, tanquam Oratorem Cæsaris, quænam est ratio, cur Episcopi Germaniæ, ac præcipue Septemviri ad Synodum non conveniant, negligentes, deponentesque e memoria jusjurandum ab ipsis hac de re in ipsorum electione editum: si frenis, si stapedibus aureis utuntur, si cum tanta pompa, tantoque comitatu obequitant, si Principes & Ecclesiastici, & laici sunt, cuncta hæc obtinent, quæ sunt Episcopi, & tamen nolunt interesse Concilio: si præpedirentur, oporteret procuratores ab ipsis mitti, sicut effectum est ab Archiepiscopo Salisburgensi, & ab Episcopo Eistatensi, ac Basileensi, quo pacto aliqua ex parte suo muneri satisfacerent.*

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. XXXIV.

Quinqueecclesiensis Episcopi rationes, ob non ablegatos a Germanis ad Synodum Procuratores.

Inde Lancianensis Archipræsul a nemine interpellatus ad reliqua argumenti capita progrediebatur: absoluta autem *Pallav. l. c.*

Sæc. XVI. A.C. 1563.

autem ejus oratione Quinqueccleſienſis Epiſcopus verba faciens ita effatus eſt: „Tametſi Ferdinandi tanquam Cæ„ſaris Orator non ſim, ejusdem tamen „tanquam Hungariæ Regis vices obeo: „quapropter dum Lancianenſis Archi„epiſcopus me aggreſſus eſt, a reſponſo „abſtinere haud valeo: itaque aſſero, „cauſſam, cur Epiſcopi Germaniæ Sy„nodum non accedant, eſſe cuivis no„tam, cum ſubſit periculum, ne ipſis „abeuntibus hæretici ditiones, ac Diæ„ceſes eorundem occupent: cauſſa vero, „qua detinentur, ne ſuos Procurato„res ablegent, eſt hæc, quod hi ibidem, „quaſi ſtatuæ, aut pictæ tabulæ po„ſtremum locum occupent, eisque mox „ora obſtruantur: cum autem ſub Pau„li III. Pontificatu Præſulum Germa„nicorum Procuratoribus præſtitum „fuerit jus Suffragii, & etiam ſub re„gnante hoc Pontifice ſemel eo jure uſus fuiſſet Procurator Salisburgenſis Epiſcopi, plane ignoro, quo pacto, & qua de cauſſa hoc ipſis poſtea interdictum fuerit. Idem Epiſcopus id quidem pluribus proſequebatur, ſemper tamen intra debitæ modeſtiæ limites ſe continuit.

§. XXXV.

Simonettæ Cardinalis reſponſum huic Epiſcopo datum.

Ad

Ad hujus Episcopi sermonem Simonetta Cardinalis hæc reposuit: „Diploma Pauli III. nunquam in usu fuit, „nisi quantum spectabat ad jus consiliarii, quantum vero ad cetera ejusdem revocatio postea est subsecuta: „equidem anno priori semel fuit latum „Judicis suffragium a Procuratore Archiepiscopi Salisburgensis, sed id ex „errore permissum, dum vero hic Procurator illius revocationem postea „cognovit, non amplius id ab eo tentatum est:„ ceterum Simonetta noluit absque necessitate mentionem facere duorum Diplomatum, quibus memorati Pontifices non tam irrita fecerant concessa jam privilegia, quam diserte interdixerant Procuratoribus utrumque juris in dicenda sententia genus, etiamsi illud ipsis deberetur: cum id odiosam speciem præsetulisset, acsi Episcopis ipsorum jura tollerentur, violata communi lege. Sæcul. XVI. A. C. 1563.

§. XXXVI.

Episcoporum Titularium causa a Philadelphiæ Episcopo propugnata.

Subsequentibus postea diebus Leonardus Allerus, Episcopus Philadelphiæ, Eistatensis Suffraganeus, ubi locum dicendi tenuit, primo acerbe questus est, tam male fuisse habitos *Pallav. c. 17. num. 9.*

in

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

in Patrum ſententiis Epiſcopos Titulares, qualis ipſe eſſet, acſi in conferendis Ordinibus, aliisque functionibus ipſi Epiſcoporum munia non exercerent. His adjecit, quod nunquam ſibi, dum pergeret ad Synodum a Pio IV. convocatam, atque adminiſtratam ab hujusmodi Legatis, & ex iis tam præclaris Patribus conflatam, in mentem venerit, ſe ab illis tanquam membrum inutile haberi.

§. XXXVII.

Moronus Cardinalis Oeniponto Tridentum reverſus.

Pallav. n. 11. Cum interea hæ congregationes haberentur, Moronus Cardinalis die decima ſeptima Maji Oeniponto Tridentum venit, eademque die cuncta, quæ cum Cæſare transegiſſet, ad Cardinalem Borromæum perſcripſit, addiditque, quod potiſſimum ſuæ legationis emolumentum fuerit optima opinio, quam Ferdinandus Cæſar de ſummo Pontifice, ejusque ſincera mente concepiſſet.

§. XXXVIII.

Seſſio ad decimam quintam Junii diem prorogata.

Pallav. n. 12. Sequenti die decima nona ejusdem Menſis habito conventu Patres deliberabant, qua demum die Seſſio celebra-

lebraretur: cum autem res ibidem proponendæ nondum satis essent discussæ, ac pro illis plene perficiendis nullum certum tempus præfigi posset, unanimi suffragio sancitum, rem esse differendam ad decimam quintam Junii, in qua certa proximæ Sessionis dies statueretur, spe concepta, quod tum omnia articulorum examina penitus absoluta forent, ac pace inter Patres revocata Oratores quoque suarum petitionum asperitatem moderaturi essent. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. XXXIX.

Hispaniæ Orator in quodam Patrum conventu exceptus.

Die vigesima prima Maji Lunensis Comes Hispaniæ Orator ad Synodum admittebatur, qui utroque Cæsaris Oratore stipatus, atque ad Patrum consessum introductus Regis sui literas die vigesima Octobris anno priori datas una cum plena agendi facultate exhibuit, ubi perlectis hisce literis Orator hunc in modum perorabat: „Etsi mihi ut tali „Oratori, hic & alias, & in hoc con„sessu locus debeatur, qui primus est post „Imperatoris Romani Oratorum Sedes, „prout ante omnia testificor, ac „protestor: verum cum hic locus, & „ea caussa, de qua agitur, tempusque „etiam ipsum, & Respublica sit hujus„modi *Pallav. l. 11. cap. 1. n. 1. Pjal. p. 389. Mem. pour le Conc. de Trente pag. 438.*

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„modi, ut humanis ullis contentioni-
„bus Sanctiſſimus hic divinarum re-
„rum, & ſalutis publicæ curſus non
„impediri debeat, atque ſit maxime
„conſentaneum, ut ii ipſi, qui ad ju-
„vandum, ſuſcipiendum, & præſtandum
„hoc communis cauſſæ conſilium ad-
„ſint, primum diligentiſſime curent,
„dentque operam, ne quam afferant
„contentionis, diſcordiæ, & feceſſionis
„ullis hominibus vel minimam cauſſam:
„cum hæc ita ſint, quod ad locum,
„Sedemque attinet, accipio, quod da-
„tur, eoque in præſentias & quo ad-
„erit commodum, utar, ita tamen, ut
„omnes intelligant, velle me prout
„id ſedulo prædico, ac proteſtor, ne
„quod hæc mea moderatio, & ſaluta-
„rium hujus ſacri oecumenici Conven-
„tus deliberationum, a me habita ra-
„tio, præjudicium ullum, ulla ratione
„dignitati, Majeſtati, & juri Principis
„mei Philippi Regis Catholici, poſte-
„risve ejus afferat, neve attuliſſe videa-
„tur, quominus & hoc, & alio quovis
„tempore, ac loco, quavis cauſſa, jus
„id ſuum integrum, ſalvumque ſit: quas
„ob res jus id, Domini mei Philippi
„Regis Catholici, poſterorumve ejus
„nomine, juſtiſſimam, veriſſimamque
„intentionem, ut omnibus Regibus loco,
„& honore omni præferatur, & ad has,

„&

„& alias omnes cauſſas, omnia loca, „tempora, reſervatam eſſe volo, ac re- „ſervo, ut ſemper ea jura, eamque in- „tentionem, & perſequi, & tueri per- „inde poſſint, ac ſi hoc tempore, & „hoc loco debitus mihi, ut tali Oratori „locus, quem dixi, datus fuerit. Sæcul. XVI. A. C. 1563.

Poſtea Orator ab Antonio Covarruvia, Granatenſis Cancellariæ Auditore, hujusmodi conteſtationem recitari juſſit, ſtans ante Legatos eo toto tempore, tametſi reliqui ſuis in locis conſiderent, ne ſedem antea accepiſſe videretur, quam ſibi ab omni detrimento cautum eſſet ea ſolemni actione.

§. XL.

Ferrerii Reſponſum ad conteſtationem Hiſpani Oratoris.

Perlecta hac conteſtatione, Lunenſis Comes ſeorſim ab aliis Oratoribus conſedit, e regione Legatorum, ad ſiniſtram partem Crucis argenteæ, quæ erecta ſtabat in medio Conventus, prope menſam illius, qui a Secretis erat: mox vero nulla interjecta mora Ferrerius contrariam hujuſce ſententiæ conteſtationem habuit, ita perorans: „ſi nos „hodie in hac Sancta Synodo alio loco „ſederemus, quam ſemper Majores no- „ſtri, & noviſſime in Concilio Conſtan- „tienſi, & ultimo Lateranenſi, qui pri- „mi

Pallav. n. 2. Pſalm. l. c. Mem. l. c. pag. 437.

Sæcul. XVI A. C. 1563.

„mi post Imperatoris, & ante omnes „ceterorum Regum Oratores sederunt, „si etiam novus hic locus, in quo nunc „extra ordinem Oratorum sedere inci„pit Clarissimus Catholicæ Majestatis „Orator, Illustris Comes a Luna, posset „nobis, aut aliis Oratoribus esse dam„no: vos certe Patres Sanctissimi, qui „Ecclesiam universalem repræsentatis, „nobili vestro officio, & majorum exem„plo nos omnes ad antiquum ordinem „revocaretis, aut saltem denuntiatione „Evangelica nobiscum ageretis, cum „autem taceatis, neque etiam huic „novitati intercedant clarissimi Cæsa„reæ Majestatis Oratores, quibuscum „caussa nostra non potest non esse com„munis, nos, qui hodie in ordine Ora„torum, & proximi Cæsareæ Majesta„tis Oratori, pristinam possessionem Regi „nostro conservamus, fretique fide, ami„citia, & affinitate maximi, & poten„tissimi Philippi Regis Catholici in Ca„rolum fratrem, pupillum Regem Chri„stianissimum, postulamus tantum a „vobis, ut hodiernum dictum, & fa„ctum illustris Comitis a Luna ita in„terpretemini, ne quod inde præjudi„cium fieri possit antiquissimæ præro„gativæ, & perpetuæ possessioni Regis „Christianissimi, idque in acta vestra „referri jubeatis.

§. XLI.

§. XLI.

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

Cujusdam Hiſpani Doctoris oratio nomine Comitis Lunenſis pronuntiata.

Poſtquam Ferrerius hanc ſuam petitionem interpoſuerat, mox Petrus Fontidonius Salmanticenſis Epiſcopus (*) in Hiſpaniæ Regis laudes prolixa admodum oratione excurrebat, in qua præter alia ita perorabat. Cum Synodus jamjam ad finem vergeret, Majeſtas Catholica in hoc extremo Concilii decurſu Oratorem miſit, ut denuntiaret ſe paratam ad agendas illas partes, quas Marcianus Imperator in Concilio Chalcedonenſi Regibus dixit eſſe ſuſtinendas, ut ſcilicet veritatem per ſacrum Concilium inventam tuerentur, tumultibus obviam irent exorientibus, atque exortos coercerent: cupit igitur Rex ad felicem exitum perducere illam Sanctam Synodum, quam Carolus V. Imperator ejus Paternaſcentem fovit, & ut adoleſceret, ſummo ſtudio elaboravit, cujus cauſſa bella difficillima, & periculoſiſſima ſuſcepit, eamque etiam Ferdi-

Pallav. c. 1. num. 8. Mem. l. c. Lett. de Lanſac. 16. Maji pag. 438. Sarp. l. 3. pag. 687. Spond. hoc ann. n. 28.

(*) Is duntaxat Salmanticenſis Epiſcopi Theologus erat.

Sæcul XVI. A.C. 1563.

„Ferdinandus Imperator ejus Patruus „sustentat, nec minus Rex meus nul„lum officium, quod a Catholico Prin„cipe sperari posset, prætermisit, nam „Prælatos Hispanos misit Tridentum, „Doctores præterea omni literarum, & „virtutis genere præstantes, ac Reli„gionem in Hispania conservavit: In„super hæresin, per utrasque Pyrenæo„rum montium fauces ex vicinis Pro„vinciis in Hispaniam irruere conan„tem, propulsavit, atque ad extremos „Indos navigare conantem repressit, „quo omni studio commigrare cupie„bat, ut in ipsis Indorum animis na„scentis Religionis radices infigeret, „hinc hujus Principis industria viget „in Hispania Religio, fides, & doctri„næ puritas, ut afflicta Mater Eccle„sia, cum reliquas Provincias erroribus „æstuantes mæsto lustrat animo, suas mi„serias consoletur, dum oculos in Hispa„niam convertit, quam sibi portum, „sacram ancoram, & perfugium calami„tatum intuetur.„ His dictis hic Theologus ad vota decurrens, utinam, inquit, hanc Catholici Regis severitatem in coercendis hæreticis Principes omnes, & Respublicæ Christianæ fuissent imitatæ, utique & ipsi Patres a celebrandi Concilii sollicitudine, & Ecclesia a tantis calamitatibus liberati fuissent. Rex meus

meus non alio fine Mariam Angliæ Reginam uxorem duxit, quam ut illam insulam ad Ecclesiæ sinum reduceret: Postea idem commemorabat auxilia recens missa Regi Galliæ, quorum ope, tametsi illæ copiæ exiguæ essent, quibus Religio accerrime propugnabatur, victoria ad Catholicos inclinavit: progressus autem inde ad ea, quæ Rex a Patribus exspectat, dicebat, postulare Regem a Concilio, ut stabiliat doctrinam Religionis, & morum reformationem: insuper laudabat Patres, quod sanandis doctrinæ simul, atque morum vulneribus operam darent; licet non defuissent, qui ipsos prorsus a doctrina ad sanandos mores traducere conati essent: porro suum Regem arbitrari inquiebat, quod Patres examinent piam fortasse magis, quam circumspectam sententiam illorum, qui multa Christianæ Religionis hostibus permittenda putant, ut indulgentia victi ad Ecclesiæ sinum revertantur: ex adverso invectus in eos, qui Protestantium imbecillitati aliquid ad illos reducendos condonandum existimant, dicebat, cum iis hominibus agi, quos nulla pietas, nulla flectere possit misericordia: ideo hortatus est Patres Regis nomine, ut sic illorum saluti, Ecclesiæque Majestati consulant, ut omnia ex hujus potius

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Sæcul. XVI. A.C.1563.

dignitate, quam ex illorum libidine gerere videantur; cum Eccleſia ſemper ea gravitate, atque conſtantia uſa fuerit, ut multa ſuis hoſtibus, quæ honeſte concedi potuiſſent, ad infringendam illorum pertinaciam ſæpiſſime denegaverit. Tandem a ſuo Rege optari ajebat, ut infructuoſas quæſtiones omittant. His dictis concluſit his verbis: cum hoc tantum Concilium, tanta Patrum frequentia coactum ſit, ad opus adeo præclarum, cujusmodi eſt remedium adferre tot malis, quæ Chriſtianam Rempublicam perturbant, ſi re infecta diſcederetur, poſteritas in neminem alium, quam in Patres culpam conjiciet, atque ipſis, quibus tanta affuit ſanandæ Eccleſiæ facultas, voluntatem defuiſſe mirabitur.

§. XLII.

Synodi reſponſum ad Lunenſem Comitem, & Hiſpani Doctoris orationem.

Pallav. l. 21. cap. 1. n. 4. Sarp. p. 985.

Finita hac oratione, Lunenſis Comes pro more tantiſper receſſit, ut de reſponſo, quod ſibi daretur, deliberandi libertatem Patribus relinqueret, & poſtea cum Hieronymus Ragazzonus Venetus, Epiſcopus Famaguſtanus hanc reſponſionem concinnaverat, ac Comes a Patribus accitus redierat, idem Epiſcopus

Scæcul. XVI. A.C. 1561.

ſcopus ſermonem ſuum ita exorſus eſt: „In magno dolore, quem Patres ex „communibus miſeriis capiunt, con„ſolationem eisdem attulit commemo„rata Regis Catholici pietas, atque „illud inprimis gratum ipſis accidit, quod „idem ea, quæ ſanxerunt, defenſurum „ſe pollicitus ſit: porro cum idipſum „Cæſarem, aliosque Reges, & Princi„pes Chriſtianos facturos exploratum no„bis ſit, hinc incitamur, ut operam demus, „quatenus noſtræ actiones tot, ac tan„torum Principum ſtudiis reſpondeant, „prout id & noſtra ſponte, & Pontificis „cohortatione jam diu fecimus, nil „enim magis curamus, nec quid magis „ſolliciti pertractamus, quam morum, & „diſciplinæ emendationem, & Doctrinæ „Catholicæ explicationem: Itaque Regi „quam maximas gratias agimus, quod „ſingulare in Catholicam fidem ſtudium „exhibuerit, ac adeo piam in ſanctam „Synodum voluntatem profiteatur, atque „ejusmodi Oratorem Lunenſem Comi„tem miſerit, cujus præſentia commu„ni cauſſæ, & adjumentum, & orna„mentum adferet.„

§. XLIII.

Gallorum error de loci prærogativa per Papam contra eos deciſa.

Sæcul. XVI. A C. 1563.

Pallav. l. c.

Interea Galli falso suspicabantur, quod summus Pontifex controversiam de loci prærogativa in Hispanorum favorem decidisset, hinc ultra modum indignationem suam exerebant, & ipsemet Lansacus per specialem Nuntium Reginæ Administratrici hæc significabat: „Orator Hispanus Regis sui mandata mihi ostendit, in quibus a Philippo Gallis cedere prohibetur, quin tamen propterea cum eis amicitiam violet: insuper Romæ mandatum a Papa fuit editum, quod, prout fertur, Legati quidem receperunt, sed illud effectui dare, aut divulgare noluerunt: attamen id fuisse factum, haud probatur, illud tamen certum videtur, quod Præsides ad Cardinalem Borromæum arcanis notis epistolam scribentes eidem significarint, quod hanc litem componere desperarent, & consilium desuper accipiendi necessitas urgeat, necnon varia utrinque incommoda oriri possint, quapropter Papam rogabant, ut ipsemet hanc causam decideret, nec illam ipsorum judicio relinqueret.„

§. XLIV.

Papæ epistola ad suos Legatos in favorem Hispaniæ Regis.

Acce-

Acceptis hiſce literis ſummus Pontifex die octava Maji ſuis Legatis hunc in modum reſcribere ſtatuit: „Regi „Catholico mirum videtur, ab Orato„re ſuo locum aliquem in ſeſſionibus, „& in Conventibus tam diu non con„cedi, unde inſtanter petit, ut vel ad„mittatur, vel omnino rejiciatur: aſt „rationi conſentaneum cenſeo, ut ra„tio de tanto Principe habeatur, ali„quo invento moderamine, cui acquie„ſceret, ita ut nullum detrimentum cauſ„ſæ partium inferatur, ſive jus, ſeu poſ„ſeſſionem ſpectaret. Ceterum honeſtus „mihi, & congruens videtur locus ille „tertius, quem vobis ſignifico in exem„plari ad vos miſſo, nec mihi perſua„dere poſſum, merito Gallos de eo con„queri poſſe: ideo hæc mea eſt mens, „ad quam exequendam utimini mode„ratis rationibus, quas idoneas puta„veritis ad opus, quoad fieri poteſt, quie„te conficiendum: ſed quocunque alio „eventu ſinatis conteſtari quemlibet, & „quod ipſi liberet, peragere, dummodo „ea juſſio opere compleatur.

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

Pallav. l. 21. c. 1. n. 6.

§. XLV.

Borromæi Cardinalis literæ hanc in rem ad Legatos & ſpeciatim ad Moronum perſcriptæ.

Sæc. XVI. A. C. 1563.

Præter hanc Pontificis epistolam alia exstat a Borromæo Cardinale arcanis itidem notis ad Legatos perscripta, in qua iisdem hæc exponebat:

Ep. Borr. ad Legat. 12. Maji apud Pall. l. 1. n. 7.

„petit Pontifex, ut mandatum illud „occultetur, donec adsit tempus illius „exequendi, & tunc id improviso „fiat: si vero Galli non acquiescerent, „sed vellent contestari, aut etiam a „Synodo discedere, ea omnia potius „permittenda sunt, quam ut injunctum „opus omittatur.

Hæ literæ omnibus Legatis erant communes, aliæ tamen ab eodem Cardinale jussu Pontificis Avunculi sui ad Moronum Legatum exarratæ fuerunt, quibus tanquam rem admodum secretam hæc significabat Borromæus: „Avila, & Vargas ambo apud Pontifi„cem Hispaniæ Regis Oratores eidem „schedulam tradiderunt ab ipsis subscri„ptam, atque utriusque sigillo muni„tam, qua Regis nomine pollice„bantur, Regem arma semper sumptu„rum, objecturumque vires, ditiones, „& seipsum, ad propugnandam, an„gendamque Pontificis, sanctæ Sedis, „& Catholicæ fidei auctoritatem, id „vero tibi signficari, jubet Pontifex, ut „intelligas, non absque prævalida ratio„ne eum adductum esse ut Hispaniæ Re„gi satisfaceret: „Hæ literæ per specialem tabel-

tabellarium missæ pervenerant ad Legatos die duodecima Maji: cum vero ea, quæ Borromæus significabat, arcanis notis conscripta essent, eapropter Moroni reditum expectare oportebat, ut occultæ hæ notæ explicari possent: cum autem aliquis ea, quæ in hisce literis contenta erant, Lansaco subobscure significaret, hic in furias agebatur, postquam tamen totius rei veritatem plenius edocebatur, iram suam posuit. Sæcul. XVI A.C. 1563.

§. XLVI.

Vicecomitis colloquium Taurini cum Ferrariensi Cardinale.

Interea Vicecomes Ferrariensem Cardinalem accedere jubebatur, ut circa Synodi negotia juxta Pontificis voluntatem serio cum eodem conferret, quapropter Taurinum, quo Cardinalem venturum sperabat, die undecima Maji contendit: ubi in primo colloquio Ferrariensis Cardinalis Vicecomiti sponderat, se protinus Lotharingium Cardinalem accessurum, illumque eo inducturum, ut celeri itinere in Gallias reverteretur, ibique sollicitudinem suam impenderet, ut Synodus ad Ecclesiæ gloriam, & fidelium utilitatem brevi absolveretur. (*) *Pallav. l. 2. n. 1. Visconti to. 1 letr. 32. p. 283. & tom. 2. p. 5. Sarp. l. 8. p. 886.*

§. XLVII.

(*) Addit Pallavicinus hæc verba: *ut affirmat*

Sæcul. XVI. A.C 1563.

§. XLVII.

Colloquium Lotharingii Cardinalis cum Ferrarienſi.

Viſconti to. 2 lett. 37. p. 11.

Poſtea ſermo habebatur de reſidentia, ubi Vicecomes Ferrarienſi Cardinali Lotharingii conſilia, ac ſententias aperiebat, ſimulque eidem ſuggerebat, qua ratione utendum, ut Lotharingius prohiberetur, ne ſalva veritate in privatis ſuis opinionibus nimiam pertinaciam oſtenderet, ſed potius quicquam ab eis remitteret: aliquot vero poſt diebus Lotharingius Cardinalis Ferrariam ingreſſus eſt, quo ſub idem tempus Ferrarienſis venerat.

§. XLVIII.

Ferrarienſis Lotharingium Cardinalem valde exacerbatum contra Moronum expertus.

Mox ambo invicem conferre cæperant: aſt Ferrarienſis Cardinalis Lotharingium contra Papæ Miniſtros & præcipue adverſus Moronum Cardinalem valde commotum experiebatur, eoquod hic Oeniponto Tridentum reverſus Lotharingio de rebus cum Cæſare

firmat Suavis, qui ſuam hiſtoriam componit idolis, quæ concepit, non rebus, quas comperit.

Sæcul. XVI. A. C 1563.

sare agitatis nihil communicasset, quapropter coram Ferrariensi hæc in verba prorupit: „ quamvis studiose res celaretur, de omnibus tamen notitiam habeo, nec quicquam Cæsar mihi occultavit: „ porro ut Lotharingius verbis hisce fidem adstrueret, Ferrariensi scriptum exhibuit, in quo summa Cæsarei responsi Morono dati continebatur, atque Ferrariæ Duci inscripta erat. Postea ad quæstionem de residentia transiens affirmabat Lotharingius: „ tametsi antea ipsus censuerim, hanc „quæstionem nullatenus esse decidendam, mutata tamen rerum vicissitudine, atque hoc articulo acriter discusso, ut decretum hac super re fiat, „omnino necessarium arbitror. „ His dictis haud obscure indicabat, quod Cæsar ejusdem quoque sententiæ esset, atque haud temere credendum, decisionem absque magna aliorum repugnantia obtineri posse, ut proin illam urgere omnino necessarium foret. Ad hæc Vicecomes „ qui huic colloquio intererat, Lotharingio demonstrare nitebatur, quod obstacula omni expectatione longe majora occurrerent, licet Lotharingius nimia facilitate sibi omnium suffragiorum consensum polliceretur: Verum quamvis plurimas rationes Vicecomes proponeret, ac summa verborum efficacia

Pallav. l. 21. c. 2. n. 2. Visconti to. 2 lett. 37. p. 11.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

cia de Romanæ Curiæ desiderio loqueretur, nunquam tamen Lotharingium Cardinalem a sua sententia dimovere poterat, sed incassum omnem operam impendit. Postea Lotharingius die vigesima septima ejusdem Mensis Majî Ferraria discessit, Tridentum reversurus, quem etiam Vicecomes comitabatur, ubi ambo simul Tridentum venerant.

§. XLIX.

Ormanettus cum Papæ jussis ad Bavariæ Ducem ablegatus.

Pallav. c. 2. n. 10. Sarp. l. 8. p. 691.

Eodem tempore, quo uterque advenerat, sancitum erat, ut Nicolaus Ormanettus Veronensis Cardinalis Navageri familiaris ad Bavariæ Ducem mitteretur, qui eidem Synodi nomine significaret. quod calicis usus, prout hic Dux petiisset, ejus subditis concedi haud posset. Itaque Ormanettus Tridento proficiscitur unacum Legatorum mandatis, quorum summa hæc erat: „Equidem Bavariæ Dux, ejusque di„tiones semper in fide catholica persti„terunt, sed nupero jejunii verni tem„pore quidam hujus Nationis Primores, „ac turbidi ingenii homines illic obstre„perunt petentes, ut usus calicis, aliæ„que res novæ, quæ in Augustana Con„fessione continentur, concederentur:

Verum

„Verum Dux ad eam perturbationem „ſopiendam in publicis Ordinum comi- „tiis ſpopondit, ſe aut impetraturum „pro ſuis ſubditis calicem ante S. Joan- „nis Baptiſtæ feſtum, aut proſpecturum „alio modo conſervandæ fidei catholi- „cæ absque ſtrepitu, & tumultu: cum „ergo dies præſtitutus inſtet, ac dubi- „tetur, nequid novum, ac pernicio- „ſum contingeret, eo miſimus Orma- „nettum cum literis noſtris, ac di- „plomate, a Pontifice ad Ducem per- „ſcripto. „ Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Inſuper idem Ormanettus Bavariæ Ducem monere jubebatur, ut idem exemplum peteret a pietate, ac prudentia Cæſaris, qui easdem difficultates, morasque perpeſſus, ab omni novo molimine ſe ſuis in provinciis continuiſſet: ſi vero popularis impetus ritum illum de communione ſub utraque ſpecie ſibi per vim, propriamque auctoritatem vendicare velit, tunc oporteret, ut ſaltem Dux longe abeſſet ab omni conſenſu non ſine auctoritatis ſuæ impendio: cum alias arrogantiæ, & contumaciæ ſuorum ſubditorum fautor crederetur, anſamque præberet ſeditionis contra Eccleſiam, imo etiam ſuppeditaret occaſionem ſeditioſis, ut diſſeminarent, quod petitio eorum fuerit rationi conſentanea, æque ac

ceteræ

Sæc. XVI. A.C. 1563.

cetera omnia, quæ quoad varia Augustanæ Confessionis capita postulabant, ut proin ex concessione illa non tranquillitas populis, sed pervicacia turbatoribus, perversio in Religione, adeoque pariter in profano regimine procuraretur.

Ormanettus itaque, cum esset tam doctrina, quam rerum gerendarum dexteritate excellens, cum tanta sapientia hoc negotio defunctus est, ut Dux polliceretur, quod ad testandum suum erga Sacram Sedem obsequium nullum non movere velit lapidem, ut tamdiu, quamdiu poterit, subditos suos in officio contineret spe fretus, quod Patres tandem rerum necessitati cedere velint, quamvis Synodus antea nihil indulgere, prudenter decrevisset. Hoc Ducis responsum datum erat Monachii die decima quinta Junii, postquam Ormanettus inde Tridentum jamjam reversus erat.

§. L.

Briagi Præsidis adventus Tridentum.

Pallav. c. 3. 2. 1.
Viscont. to. 2. lett. 38. p. 23.
lett. 38. p. 27. & 29.
Sarp. l. 8. p. 990.

Exeunte Mense Majo Renatus Briagus Præses Tridentum venit, a Carolo IX. ad Cæsarem ablegatus, ac Tridentum pertransire jussus, ut Regis literas Synodo traderet, Regnique Gallici

lici ſtatum, & rationes, ob quas pacem cum Calviniſtis iniiſſet, in quadam congregatione Patribus exponeret: quamprimum ergo Briagus advenit, mox Legatos inviſit, eisque demandata ſibi negotia expoſuit: cum vero Patres, ne Rex Concilium ad quamdam Germaniæ urbem transferri poſtularet, pertimeſcerent, ac de ejusmodi urbe tranſigendi poteſtatem fuiſſe ab eo datam ſuſpicarentur, hinc Legati Briagum rogabant, ut ipſis Regis literas communicaret, priusquam illæ in Conventu prælegerentur, ne poſtea congruum deſuper reſponſum dare, ipſis haud ultra integrum eſſet. Annuit eorum votis Briagus, verum in hiſce literis ea, quæ poſtulari verebantur, contenta non reperiebant.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. LI.

Oiſelius pro Synodi translatione ad Hiſpaniæ Regem miſſus.

Nec tamen vana erat Legatorum ſuſpicio; quippe Galliarum Rex jam exeunte Menſe Aprili Alegrium Romam, & Oiſelium ad Philippum II. decreverat, ut ejusmodi translationem procurarent; eapropter Oiſelius omni ſtudio Hiſpaniæ Regi perſuadere nitebatur, quod Synodus Tridenti celebrata in pluribus Chriſtiani Orbis Regnis tan-

Pallav. c. 3. n. 2. Rayn. hoc ann. n. 79.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

tanquam Oecumenica non haberetur, proin ad tollenda Ecclesiæ mala, atque ad sopiendos præcipue Gallici Regni tumultus idonea non esset. Quinimo Oiselius etiam declarabat, quod tunc, si aliud Concilium forte in Germania non celebraretur, Galliarum Rex Synodum Nationalem cogere vellet.

§. LII.

Hispaniæ Regis responsum ad Oiselii sollicitationes.

Hispaniæ Rex Gallo hanc in sententiam respondit: „Dubitari non po„test, Tridentinum Concilium esse le„gitimum, & Oecumenicum, cum sit „a Romano Pontifice convocatum, & „per solemnes Ecclesiæ ritus firmatum, „nec illi obest aliquarum nationum ab„sentia: Oecumenicum enim Conci„lium constituitur convocationis au„ctoritate, & solemni promulgationis „forma, non vero præsentia omnium „Præsulum, eorumque, qui jus inter„veniendi obtinent: porro quod objecta„tur huic Concilio a transfugis ab Ec„clesia, id quoque objici posset cunctis „veteribus Conciliis Oecumenicis, in „quibus semper defuerant nonnulli ex „iis, qui convenire poterant, ac debe„bant: ut proin, si exceptio illa admit„teretur, Synodorum omnium auctori„tas

„tas everteretur: porro id est, quod ab hæreticis omni ætate intendebatur: „etenim postquam jurisdictionem Apostolicæ Sedis, Principumque Catholicorum excusserant, nitebantur etiam „Conciliorum potestatem abjicere, & „immunem ab omni tribunali libertatem sibi constituere: hinc non parum ea mihi proponi admiror, potissimum autem a Rege Christianissimo, „ad quem tamen potius spectaret defensio auctoritatis Conciliorum, si imitari vellet Majores suos: Insuper de „translatione nequidem cogitandum est, „cum Sedes Tridentina tuta, commoda, & opportuna videatur, electaque „sit cum universali comprobatione, loci vero mutatio ob difficultates, & „obstacula, quæ in convocandis iterum Patribus intervenirent, potius in „dissolutionem, quam Synodi translationem tenderet, ut proin fieret eorum „jactura fructuum, quos a Concilio „sperare licuisset universæ Christianæ „Reipublicæ, ac potissimum Galliæ: „insuper urbes, quæ proponuntur, eæ „sunt, quæ sine dubio nec Romano Pontifici, nec multis Principibus, ac „Præsulibus probarentur, nec immerito, quia multa præviderent incommoda, discrimina, aliasque rationes, „hinc id ab hæreticis intenditur, qui

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Sæcul. XVI. A C. 1563.

„non, ut Concilium celebretur, sed ut „omnino dissipetur, optant.

§. LIII.

Ejusdem Regis responsum ad Gallorum minas de Nationali Concilio in Francia convocando.

Porro, prosequebatur Philippus, „ad „id, quod de propria Nationis Gal„licanæ Synodo comminatio fiat, pla„ne affirmo, quod mihi tanquam Regi „Catholico illam comprobare non licitum „sit, nec abstinere possim, quin Regi chri„stianissimo id proponam, quod mihi oc„currit in negotio tanti momenti ad a„nimarum, ac ditionum salutem: igi„tur cum jam extet Synodus Oecume„nica, & reipsa argumenta Religionis „ibidem agitentur, si proprium unius „nationis Concilium celebraretur ad „Galliam reformandam, res hæc omni„no nova foret, quæ ad apertam ten„deret scissionem in Ecclesia, cujus „auctoritas læderetur, & exinde tam „universale totius generis Christiani, „quam peculiare Gallicæ nationis exi„tium promoveretur: usurpatæ quidem „fuerunt nonnunquam ab Ecclesia Sy„nodi propriæ nationum, sed id factum, „quia tunc Conciliorum Oecumenico„rum convocatio obtineri non valuit; „ubi

„ubi vero hæc reipsa habebantur, sem- Sæcul. XVI.
„per negotia Religionis commissa ipsis A.C. 1563.
„fuerunt: si tamen etiam id vim non
„haberet, conspiciuntur peculiares caus-
„sæ, ob quas hujusmodi Synodus tunc
„in Gallia non expedit, cum cernatur
„ea tempestate Regnum illud ita divi-
„sum, eaque Religionis dissidia sint a-
„ptiora ad exacerbandos eorum ani-
„mos, quam ad pacem, & tranquilli-
„tatem in regno restituendam, præci-
„pue cum ibidem tot factiones, atque
„inimicitiæ foveantur, ambæque par-
„tes inter se dimicent: præterea si in
„eo nationis Concilio catholica sanci-
„rentur decreta, ea certe non habe-
„rent eam auctoritatem apud obsequen-
„tes Ecclesiæ Filios, qualem obtinerent,
„si ederentur ab Oecumenica Synodo:
„imo ipsi etiam hæretici sese illis sub-
„jicere recusarent: spes igitur unica
„in Oecumenico Concilio Tridentino
„est collocanda, idcirco moneo, ac ro-
„go Regem christianissimum, & Regi-
„nam ejus Matrem, ut ipsi una cum
„reliquis Christianis Principibus omnem
„suam operam convertant ad eam Sy-
„nodum sustinendam, ac promovendam
„Sedis Apostoliæ auctoritatem.

Cum hujus responsi notitia Tridentum eo tempore, quo Briagus advenerat, nondum perveniisset, hinc

Sæcul. XVI A.C. 1563.

idem Præſes ſtudioſe coram Patribus nullam mentionem fecerat de ea translatione, quam duntaxat, ſi Hiſpaniæ Rex ad Gallorum ſententiam reſponſurus eſſet, proponere juſſus erat.

§. LIV.

Caroli IX. literæ a Birago Patribus traditæ.

Pall. c. 3. n. 5. Sarp. p. 680. Mem. pour le Concil de Trente p. 414 & 415.

Die ſecunda Junii Biragus ad conventum admiſſus, ibidem Caroli IX. epiſtolam Chanoncæi die decima quarta Aprilis datam exhibuit: porro in ea Rex hæc exponebat. „. Secreto Dei judicio ex omnibus remediis, quæ ad „ſopiendos tumultus circa Religionem „in Regno meo excitatos adhibui, nil „inde aliud evenit, quam crudelitates, „homicidia, deprædationes, urbium de„vaſtationes, Templorum, ædiumque „ſacrarum ruinæ, Principum cædes, „Procerum, ac Belliducum clades, tot„que aliæ calamitates, ac miſeriæ, ut „proin haud ægre judicare poſſim, quod „ad ſanandos homines, qui nonniſi ra„tionum, ac argumentorum vi ſe flecti „ſinunt, armorum remedia minime ſint „adhibenda: eapropter ad pacem cum „Hugonottis ineundam compulſus ſum, „nec id a me factum, ut novam ſectam „in Regno meo ſtabiliri permitterem, „ſed ut poſitis armis, omnique animo„rum

„rum contentione, ac odiis tandem „ceſſantibus omnes meos ſubditos ad „generalem in eadem fide unionem „cum minori repugnantia revocare va„leam, quem favorem expecto a Dei „miſericordia, & ſeria morum emenda„tione, quam per Concilium obtinen„dam ſpero, nam id ipſum univerſalis „Chriſtianæ Reipublicæ ſtatus a Pa„trum pietate depoſcit: cum autem „multa habeam, quæ præfatis Synodi „Patribus exponam, hinc Renatum Bi„ragum Præſidem ſupremi Conſilii, quod „ultra Montes, ſeu Taurini inſtitui, ad „vos ablego, ut hic meus Deputa„tus oretenus vobis omnia proponat: „eapropter vos rogo, ut illum benigne „excipiatis, atque omnibus, quæ nomi„ne meo exponet, fidem adhibere veli„tis.„

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. LV.

Biragi Præſidis oratio ad Synodum.

Perlecta hac epiſtola Biragus oratio- *Pallav. l. c.*
nem habuit, in qua ſigillatim enar- *Viſconti to. 2*
rabat diſſenſiones, bella, & calamitates, *lett. 39. p. 27.*
quæ Franciam præcipue poſt Conne- *Sarpius l. c.*
ſtabilis captivitatem, & tragicam Gui-
ſii Ducis mortem exagitant: poſtea am-
bos hoſce Principes, veluti duo Re-
gis brachia exſtitiſſe referens ab iniqui-

Sæc. XVI. A.C. 1563.

tate vindicare nitebatur pacem, quam Rex, & Regina ejus Mater cum hæreticis iniissent: insuper persuadere voluit, ex hac concordia in Catholicos quoque magna redundare commoda, cum aliunde nec Rex, nec ejus Senatus novam Religionem introducere unquam intenderit, sed unice ambas partes ad veterem fidem per media ab ejus Majoribus usitata pacifice revocare studuerit, persuasus, quod duplicis Religionis libertas diu in uno, eodemque Regno conservari nequeat. His addidit: „hoc obtinere Rex sperat a singulari „Dei favore, & ope Concilii, quod omni „tempore ad sananda ejusmodi mala, „quæ tum Christianam Rempublicam „affligebant, tanquam remedium utili„ter fuit adhibitum: rogo itaque vos cun„ctos Synodi Patres, ut piam Regis mei „voluntatem (*) per accuratam mo„rum emendationem adjuvare ve„litis, atque Ecclesiæ primævam „integritatem restaurare, necnon diffi„dia in Religione emergentia compe„nere studeatis: de cetero fidem facio „quod

(*) Quis credat, hæc sincero animo fuisse dicta: qua enim ratione Rex morum emendationem, opemque implorare poterat ab ea Synodo, quam transferre, quod idem fuisset, ac dissolvere, machinabatur? §. LII.

„quod Rex, & Regina in fide Catholi- Sæc. XVI.
„ca, atque in obedientia Sedis Apoſto- A.C. 1563.
„licæ conſtanter vivere, ac mori o-
„ptent: viciſſim vero tota Francia a
„veſtra pietate, ac prudentia expectat,
„ut hujus rei calamitates miſerati quan-
„tocius remedium applicare, & proſpe-
„ro exitu Concilium abſolvere velitis.„

Diu de reſponſo ad hanc orationem & Caroli IX. epiſtolam reddendo deliberatum, cum par eſſet nec hunc Deputatum, nec ejus Principem offendere, aliunde autem nefas videretur, pacem a Gallis cum hæreticis recens concluſam approbare, aut excuſare: hinc Synodi Præſides conſultius judicarunt, paucis reſpondere, quod res ab hoc Deputato propoſitæ tanti momenti eſſent, ut maturioris deliberationis ſpatium omnino neceſſarium foret, ac proin opportuno tempore Patrum ſententia hac ſuper re eidem aperiretur: Ceterum Præſides de vaga hac reſponſione danda prius conſilium habebant cum Lotharingio, & Madrutio Cardinalibus eccleſiaſticis Cæſareæ Majeſtatis ſuæ Oratoribus, necnon cum Presmislienſi, & Auguſtenſi Epiſcopis, quorum primus Poloniæ, atque alter Sabaudiæ Legatus erat.

Sæcul. XVI. A.C. 1536.

§. LVI.

Responsum Synodi ad Biragi sermonem.

Pallav. l. 21. c. 3. n. 8.

Hoc responsum Biragum, & ceteros Franciæ Oratores adeo commovebat, ut illud potius responsionis repulsam esse censerent: ut ergo illos placarent Patres, aliquo post tempore aliud responsum hujus tenoris reddebant: „Summopere lætata est Synodus „quibusdam abhinc mensibus ob victo„riam, quam Deus concessit Regi chri„stianissimo adversus veræ Religionis „hostes, ideo divinæ miserationi publi„cas grates egit; postea autem cum „paucos ante dies, prius per publicam „famam, & dein per Biragum Præsi„dem Regis nomine perciperet causas, „quibus adductus Rex fuerat ad arma „deponenda, merito illata in Religionis, „ac Regni perturbatores, tantundem „mæroris in Patres incidit, eoquod sum„mis, & æquissimis votis expetiissent, „ut Regi licuisset in fide catholica „tuenda persistere, nec se coactum cer„neret ad cogitandum de pace, ante„quam Ecclesiæ hostes ex animo ad „Deum a se indigne desertum rediis„sent: jam vero, quando res ad tam „infaustam conditionem devenerunt „cum extremo proborum omnium dolo„ris

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„ris ſenſu, divina Clementia fervidis, aſ-
„ſiduisque precibus exoranda eſt, ut pa-
„cis conſilia proſperiorem eventum,
„quam antea belli artes, conſequeren-
„tur: ſiquidem nullum regnum in ſe
„diviſum diu conſiſtere poteſt, nec Rex
„unicus populis, qui Religionem uni-
„cam non amplectuntur, imperare va-
„let: verumtamen accepta Regis chri-
„ſtianiſſimi legatione, per maximam vo-
„luptatem a Patribus fuit perceptum,
„quod Pariſiis nobiliſſima in urbe ſum-
„ma conſtantia, ſummumque conſer-
„vandæ, propugnandæque veræ Reli-
„gionis ſtudium efferbuerit: quamdiu e-
„nim urbs illa, Galliæ Metropolis, clariſſi-
„maque diſciplinarum omnium ſedes
„perſiſtet haud taminata, ab ipſa tan-
„quam a capite catholicam doctrinam
„in ſubjectas provincias diffuſum iri,
„ſperare licebit: interim vero Synodus,
„ut ſui muneris partes expleat, ad-
„monet, ac rogat per viſcera JEſu
„Chriſti chriſtianiſſimam Reginam, ut
„id, quod ipſa pollicebatur, exequi, ac
„ſollicitudinem omnem, omnemque
„ſuam operam eo impendere velit, ut
„tenellus Regis animus imbuatur, ac
„firmetur veræ pietatis cultu, atque o-
„bedientia in Apoſtolicam Sedem, ea-
„que divina indoles, quam in puero ad-
„mirantur omnes, una cum ætate creſ-

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

„cat, proculque semper ab omni conta-
„gione pestilentis doctrinæ remotus sit,
„ut tandem uberrimos fructus, at-
„que utilitates Majorum suorum glo-
„riæ, & Christianorum omnium expe-
„ctationi pares reddere valeat: nec mi-
„nus eadem Synodus illam rogat, ut
„auctoritate sua, quæ maximi in Re-
„gno debet esse ponderis, apud omnes
„Franciæ Ordines omnem adhibeat co-
„natum, quatenus hæretici concilia-
„tis animis ad unitatem Ecclesiæ re-
„vocentur. Ceterum quacunque in
„re Synodo licuerit Reginæ studium
„ad Religionem restituendam juvare,
„nunquam passura est, ut quidquam in-
„dustriæ, ac pietatis suæ desiderari
„possit: ideo præter communem Ec-
„clesiæ universæ correctionem, tem-
„porum conditioni consentaneam, suam
„quoque operam navabit, ut ea præ-
„scribantur, quæ ex afflatu Sancti Spi-
„ritus ad Gallicarum Ecclesiarum utili-
„tatem conferre cognoverit.„

§. LVII.

Hoc responsum approbatum, & acceptatum

Pallav. c. 3. n. 10.

Priusquam hæc responsio in usum deduceretur, eadem in Congregatione die septimo Junii habita prælegebatur præsentibus cunctis Patribus, quibus

quibus ea, quæ ipsis minus probarentut, corrigendi libertas dabatur, ubi quilibet suam mentem edicebat, prout unusquisque aut æquitatis amore, aut præconceptæ opinionis impetu regebatur: nonnulla tamen mutabantur, ac de Reginæ Administratricis zelo erga veram Religionem modestior sermo inspergebatur, minusque asperis verbis perstringebatur pax, quam Franciæ Rex cum Regni sui hæreticis pro ditionis tranquillitate se inire fuisse coactum sibi persuaserat: itaque factis hisce mutationibus, ac levibus additionibus responsio promulgabatur (*). Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. LVIII.

(*) Equidem Continuator hac super re Pallavicinum, & illum quidem unicum allegat, hic tamen de factis ejusmodi mutationibus, aut asperitatis moderatione, seu pacis initæ excusatione ne verbum quidem habet: nihil autem circa hæc mutatum fuisse potius ex his ejusdem Pallavicini verbis colligi potest, *oportuit*, inquit ille, *ut aliqua certa responsio excogitaretur, idque summa habita ratione, dum varii Patres, & præsertim Hispani denuntiabant Legatis, se obstituros, si vel unica apponeretur syllaba, quæ consensionem ullam de recenti concordia præseferret.*

Postea

Sæcul. XVI
A.C.1563.

§. LVIII.

Patrum ſententiæ circa abuſus in Congregationibus propoſitæ.

Pallav. l.4. n.1.2. & ſeq.

In eadem Congregatione die ſeptimo Junii, necnon in aliis pridie, ac poſtera die celebratis diſcutiebantur Canones contra abuſus, aliasque materias jam propoſitas, ac primo quidem Facchinettus expoſuit, ſibi probatum iri, ut Epiſcopi cum ſuis Canonicis communi menſa uterentur. Hæc ſententia quidem ſummopere commendata fuit, adeo tamen difficilis executionis credebatur, ut nullum deſuper decretum fuiſſet conditum. Minus gratanter excipiebatur ſententia Martini Cordubenſis, Epiſcopi Dertuſenſis, qui ſuaſit, ut cunctæ ſummum etiam Pontificem eligendi formulæ hucusque conſuetæ rejicerentur; inſuper affirmabat, ſibi optimam normam videri, qua Epiſcopi ſuum ſibi ſucceſſorem eligerent, ſicuti Petrus, prout ajebat ille, ſanctum Clementem elegerat. Aſt vero com-

Poſtea addit idem Pallavicinus: *Sententia comprobatæ reſponſionis non diſcrepavit a priori, ſed ſolum quaſi in compendium redacta eſt, & quædam voces, quæ ibi recentem pacem deteſtabantur, mitigatæ.*

complurium plausu exceptum est, quod idem Episcopus postea proposuit, dicens: „in omnium ore primævæ Ecclesiæ e„mendatio versatur, sed ut fidus cor„dis interpres oris sonus ostendatur, „oporteret illam ab Episcopis in usum „deduci: ideo non impleant domos ar„gento, nec ornent suos parietes sum„ptuosa suppellectili serico, auroque „contexta, sed quidquid pretiosum est, „ad pedes Apostolorum projiciatur. Idipsum asseruit Alexander Sfortia Parmensis Antistes. Credebatur tamen, quod ambo hi Episcopi his dictis luxum, & fastum Cardinalis Lotharingii suggillare voluerint. Huic Sententiæ accessit etiam Antonius Augustinus, subjungens, satius esse, ut omnes Episcopi rigido examini subjiciantur, atque ii, qui indigni, aut minus idonei comperti fuerint, exauctorentur: Melchior vero Avosmedianus, Episcopus Guadicensis, acrius invectus est in Episcopos Titulares, atque in acerbas voces prorupit, inquiens, illos arte mali dæmonis, & Præsulum socordia in Ecclesiam inductos fuisse, hinc non modo in posterum id prohibendum, sed jam promotos Monasteriis ad agendam pœnitentiam includendos.

Sæc. XVI. A.C. 1563.

His

Sæcul. XV. A. C. 1563.

His addidit: (*) „dignitati Epi„scopali annexum est, tanquam res „omnino propria, ut habeat locum, „& Diæcesin: Episcopus enim & Ec„clesia invicem respondet, sicuti ma„ritus, & uxor, quorum unum sine al„tero esse non potest: ideo quin ali„quis sibimetipsi repugnet, nullam „potest adstruere caussam creandi „Episcopos titulares.„ Postea affirma„bat eorum ordinationem esse *figmentum humanum*, ejusque apud antiquos nullum cerni vestigium, nam si Episcopus olim Episcopatu exutus esset, aut Episcopatui renuntiasset, id sic acceptum est, quasi non amplius esset Episcopus, sicuti is, cui uxor deest, non est amplius maritus: itaque legi ajebat apud antiquissimos Canonum Doctores, invalidas esse ordinationes habitas ab eo, qui Episcopatui renuntiavit: proin ejusmodi Episcopi titulares eligantur juxta ipsam Christi ac Apostolorum institutionem: porro idem Præsul, ne illorum, qui inter Synodi Patres erant Episcopi absque Diæcesi, invidiam sibi accerseret, adjecit, eorum nonnullos dari, qui meritis insignes

(*) Observes velim, hoc additum non a Pallavicino, quem solum Continuator allegat, fuisse relatum, sed a mendaci Sarpio.

gnes forent, iisque Episcopatus cum Clero, & populo conferendus esset. Sæcul. XVI. A C 1563.

§. LIX.

Opinionum dissensio inter Patres circa Sacramentum Ordinis.

Hæc libertas, qua quivis pro arbitrio suo tumultuatim obvia quæque proponebat, nonnihil molesta Legatis acciderat: majorem tamen ipsis sollicitudinem incutiebat opinionum diversitas, qua tres celebriores Nationes circa doctrinam de Sacramento Ordinis inter se scindebantur, cum Galli quamcunque vocem rejicerent, quæ summi Pontificis prærogativam supra Concilium indicaret, aut Florentinam Synodum comprobaret, vel officeret Basileensi: econtra Hispani Concilium Florentinum asserebant legitimum ac Pontificis supra concilia auctoritatem propugnabant, iidem tamen petebant, ut aperte definiretur, quod Episcoporum institutio, eorumque jurisdictio sit juris Divini, tametsi a Romano Pontifice dependeret: porro Itali fere universi, & pauci etiam ex memoratis duabus nationibus, aliisque, sententiam magis propitiam Pontifici in singulis capitibus tuebantur. *Pallav. l. 2. c. 4. n. 5. & 8.*

Hæc opinionum varietas mox aliam procreabat, dum quæstio movebatur circa

Sæc. XVI. A.C. 1563.

circa concipiendos Canones de summi Pontificis auctoritate.

§. LX.

Variæ opiniones circa Canones de auctoritate Pontificis.

EX Patribus contendebant nonnulli, quod summo Pontifici tanta tribueretur potestas, quanta inerat Divo Petro: „quænam enim alia, inquiebant „Romanæ Curiæ fautores, est illa sancti „Petri auctoritas, quæ non itidem in„venitur in summo Pontifice? ipsi enim „data est omnes Christi oves pascendi „potestas:„ verum hæc vox *omnis* videtur indicare sensum, prout Scholæ loquuntur, distributivum, non autem collectivum, adeo, ut significet quamlibet oviculam, nec totum gregem in uno congregatum. Insuper cum definire placuisset, quod soli Episcopi *Sedis Apostolicæ* auctoritate instituti, sint legitimi, postrema hæc verba itidem dubio, atque obscuro sensui obnoxia videbantur, cum olim Patriarchæ Orientales iisdem uterentur, præcipue illi, qui iis præerant Ecclesiis, quarum Episcopi ab Apostolis erant instituti. Proponebatur etiam, Canoni, qui de summorum Pontificum auctoritate ageret, addenda esse hæc verba: *Pastores Universalis Ecclesiæ*, cum illa desumpta essent ex

ex Concilio Lugdunensi, imo etiam a Basileensi conventu allegata, quorum utrumque Galli recipiunt: his autem verbis *oves Christi* dicebant subrogandam esse vocem collectivam: *gregem Domini*, prout Pius IV. Pontifex datis ad Legatos suos literis significabat, eoquod Innocentius IV. illis usus fuisset, ut exprimeret, *Divum Petrum accepisse a Christo Domino plenitudinem potestatis.* Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. LXI.

Præsulum Gallorum cavillationes circa hunc Canonem de auctoritate Pontificis.

Franciæ Præsules aliam proferebant Canonis normam, juxta quam illos, qui Sedis Apostolicæ auctoritate assumpti sunt, pro legitimis Episcopis habendos contendebant, quin tamen ulla fieret restrictio ad illos, qui auctoritate summi Pontificis fuerunt approbati: caussabantur enim Galli, hujusmodi voces magis proprias esse, cum decedente etiam Pontifice semper Sedes Apostolica subsistat: addebant, sibi quoque videri, quod per solam mentionem de Romani Pontificis auctoritate a veri Episcopi conditione excludantur Timotheus, a Paulo creatus, & Polycarpus a Joanne constitutus, atque hodiedum tot Episcopi Græciæ; non tamen *Pallav. c. 4. num. 13.*

Sæcul. XVI. A.C.1563

men se recusare, inquiebant, ut etiam definiretur veros esse Episcopos, qui a Romano Pontifice assumuntur: quod vero ad ipsum Pontificem spectat, volebant, ut appellaretur *Rector*, non *Ecclesiæ universalis*, sed *Ecclesiæ Catholicæ*: quæ vox tametsi videretur idem valere, a compluribus tamen tanquam dubia repudiabatur, eoquod nomen *Catholici* aptum etiam esset ad significandum *fidelem*, adeoque omnis Fidelium Episcopus dici quodammodo possit Episcopus Ecclesiæ Catholicæ. Nec his iidem erant contenti, insuper subjungere audebant, ejusmodi vocem in Conciliis non esse novam, cum in quinta Synodo generali collat. 5. dum adducuntur loca quædam ex operibus S. Augustini desumpta, transferrentur illinc voces, quæ sequuntur: *Augustinus Episcopus Ecclesiæ Catholicæ dixit:* porro ad id confirmandum notarunt, legi in S. Cypriano, quod is, cum in Ecclesiæ sinum quosdam, qui hæretici fuerant, reciperet, non solum præceperit, ut Cornelium esse Pastorem Ecclesiæ Catholicæ confiterentur, sed & adderent *id est Universalis*, nam ille sanctus Martyr existimabat, a posteriori vocabulo aufferri æquivocationem prioris: cum idcirco Romanus Pontifex videretur in Synodo Lugdunensi vocatus *universalis*, existimabatur

mabatur tamen, quod posset moderamen fieri, si diceretur, quod Papa *totius Ecclesiæ Catholicæ* Pastor existat. Sæcul. XVI. A.C 1563.

Denique circa has voces: *assumpti auctoritate Sedis Apostolicæ*, addendum proponebatur, *quæ auctoritas residet in Romano Pontifice:* porro utramque hujusmodi variationem obtineri posse ex parte Gallorum, Fuscararius non desperabat: verum hic Præsul Gallos in consilium haud vocabat, unde Lotharingius Cardinalis melius perspecto illorum genio declarabat, in hoc puncto nihil boni a Gallis sperandum.

§. LXII.

Legati hanc clausulam proponentibus Legatis *aut tollere, aut explicare a Papa jussi.*

Itaque Synodi Patres edocti hanc Gallorum declarationem, cujus præcipuus Architectus credebatur Lotharingius Cardinalis, die decima quinta Junii conventum cogebant, ut tandem in eo præfigerent diem, in qua Sessio tamdiu dilata denique celebraretur: assignabatur igitur dies decima quinta Julii. *Fallav. c. 5. num. 7. Visconti. pag. 66.*

In eadem Congregatione Lunensis Comes rursus nomine Hispaniæ Regis petebat, ut ex decretis hæc verba: *Proponentibus Legatis* aut aufferrentur, aut

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

saltem explicarentur: Is vero suam petitionem speciatim firmabat sequenti epistola, quam Pontifex reipsa ad Legatos suos dederat, eosque hortabatur, ut Regi Catholico, ceterisque, qui ejusdem cum eo opinionis essent, hac in re satisfacerent. Hujus epistolæ certam notitiam habebat Comes, quamvis illa nondum Tridentum fuisset delata: erat autem illa his concepta verbis.

Quoniam hi Principes tantum instant, ut Synodus libertate fruatur, atque ipsis videtur per eas voces, proponentibus Legatis, *nobis insciis appositas, adimi libertatem: ideo ne gravemini Patribus proponere, sive in generali cœtu, sive in Sessione, nunquam mentis nostræ fuisse, ut per id libertas Synodo, sed confusio auferretur: quocirca per vos cunctis compertum, apertumque sit, Concilium liberum esse, quod si visum fuerit Synodo, memoratas voces declarandas, aut omnino tollendas esse, vos illi acquiescite, atque etiam scitote, quidquid hac in re Patres decernent, gratum nobis futurum, ac per id satisfactum iri, quo Principes omnes, populique cognoscant, velle nos, quod in nobis est, efficere, quo exitus obtineatur fructuosi Concilii, ac præsertim per probam, ac severam emendationem.*

Ceterum cum Comes hujus epistolæ, cui illius petitio innitebatur, apographum

graphum exhibere non posset, eoquod Patres illam nondum recepissent, hinc Comes non sine fastidio excipiebatur, ejusque postulatio fuit rejecta: equidem sæpius, frustra tamen, instabat, adeo, ut tam importunis sollicitationibus Synodi existimatio læsa crederetur: nec ob hanc epistolam mox recitatam Patres sententiam mutabant, eoquod nondum ea ad illos esset delata: cum ergo Lunensis cerneret, quod constanter hanc clausulam tuerentur, satis ei fuit obtinuisse, ut huic negotio supersederetur, donec is nova ab Hispaniæ Rege mandata recepisset, si vero hic Princeps suæ petitioni insisteret, Legati Regis preces Synodo exponerent, atque executioni dari urgerent. Sæc. XVI. A.C. 1563.

§. LXIII.

Mandata circa hanc clausulam data per Papam revocata.

Hac promissione nihil derogabatur consiliis Legatorum; probe enim sibi perspectam habebant Romanæ Curiæ benevolentiam, quapropter haud verebantur, quin semper, quodcunque demum consilium caperent, protegerentur, si ejusmodi consilia quodammodo ad tuenda sua jura, ac firmandam potestatem conducere possent: enimvero illorum vexatio, si tamen *Pallav. c. 5. num. 11. Litt. Borr. ad Leg. 27. & 30. Jun.*

Sæcul XVI A.C. 1563.

Lunensis Comitis repugnantia illis molesta acciderat, saltem haud diuturna fuit; postquam enim epistolam nuper recitatam acceperant, Pontifex alias ad illos dabat literas, in quibus hæc ad eos rescribi jussit: „quandoquidem „Præsides, ac Moronus Cardinalis po„tissimum tam alienum in supprimenda „hac clausula animum patiuntur, nolo „illos cogere, sed iis, quæ præcepe„ram, revocatis ipsos hortor, ut in „eo constanter hæreant, quod Moro„nus cum Cæsare stabilierat: siquidem „traditum fuerat a Philippo Rege man„datum suis Oratoribus, antequam id „cum Cæsare actum esset, aliunde vero „Philippus Rex caussabatur, illud a „cunctis Principibus efflagitari, quod „cum hodie amplius verum non sit, „credendum est, Regi etiam satisfactum „iri, si ea, quæ cum Cæsare conventa „fuissent, etiam concedantur: ipsus hinc „jamjam super eo negotio ad Cri„vellum Nuntium scripsi, & ab Avila „pariter, ac Varga, Hispanis Oratori„bus, res literis propitiis fuit promota.

§. LXIV.

Papæ monitum ad suos Legatos de plena libertate Synodo relinquenda.

Sub

Sub idem tempus summus Pontifex per Cardinalem Borromæum ad Legatos suos aliam perscripsit epistolam, in qua illos hortabatur, ut plenam Synodo libertatem relinquerent in omnibus decisionibus Dogma & disciplinam spectantibns: porro postrema hæc epistola data erat die decima sexta Junii, in qua Cardinalis Borromæus hæc exponebat: *Hæc postrema emendationis capita a vobis missa, quibus delecti Patres plerumque Principum postulata complexi sunt, tametsi, ut dicitis, nondum exacte a vobis stabilita sint, grata tamen Pontifici fuere, quod animadvertit, operam a vobis impendi, ut undique res tractandæ promoveantur, qua de causa vos commendat Pontifex, ac vobis bene precatur: quod spectat ad ipsius mentem, idem dicit: cum jam sæpius in vobis reposuerit hæc emendationis argumenta, nonnisi id ipsum repetere nunc etiam vult, cum in animo habeat, quidquid a vobis, & a Synodo decretum, confectumque fuerit, recte peractum existimare, gnarus, semper a vobis Divinum obsequium, bonumque publicum spectatum iri. Hoc unum occurrit Pontifici, quod vos moneat, num forte, ubi sermo est de non concedendis Coadjutoriis, & regressibus, opportunum esset, irrita reddere etiam ea, quæ jam concessa sunt, sed nondum in opus deducta: qua in re*

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Sæcul. XVI A.C.1563

Pontifex putat, parum supereſſe difficultatis, præterquam in Coadjutoribus, qui conſecrati jam ſunt, & Epiſcopi titulares, qui propterea arceri non poſſunt ab Epiſcopali gradu, ſicuti arceri poſſunt ſimplices Coadjutores, hoc tamen ipſum pariter Pontifex in vobis, & in Synodi Patribus reponit, & vult, ut ipſi ſibi ſatisfaciant; ſimulque vos per Deum obteſtatur, ut hanc ſuam voluntatem, qua cuncta in vobis, ac Synodo reponit, nunc accipiatis, & habeatis tanquam ſemper perſeverantem, atque per eam ſinceritatem, quæ decet egregiam opinionem, a Pontifice conceptam de veſtro judicio, ac probitate hinc incumbatis, quam maxima fieri poteſt celeritate, ad negotium proſequendum.

§. LXV.

Rerum deciſio Præſidum judicio, ac prudentiæ a Pontifice relicta.

Pallav. n. 2. cap. 6.

Eandem quoque libertatem circa decreta doctrinam ſpectantia relinquere videbatur Pontifex, quocirca cum Præſides formam illam a Lotharingio Cardinale conceptam ad eum miſiſſent, ſimulque ſignificaſſent propenſos Cæſareorum animos ad procurandam inter Patres unionem, ac concordiam, eodem adhuc die ad illos per eundem Cardinalem Borromæum reſcribi juſſit, ac collaudata pia Cæſareorum

rum Oratorum opera idem Cardinalis addidit: *Pontifex dicit, quod ſicut in reliquis omnibus libenter hucusque veſtræ prudentiæ, rectoque judicio ſe commiſit, ita in hoc pariter agere velit, cum ſperet, repertum iri a vobis rationem, & aditum ad conficienda, quæ ſpectant ad hæc argumenta, ita ut ſatisfiat piis omnibus hominibus, qui Synodo interſunt, & hujus Sanctæ Sedis honor, ac dignitas ſervetur: non tamen omittet Pontifex ſuper hiſce rebus conſilium habere: quod ſi opus fuerit vos commoneri de re aliqua magni momenti, expeditum Tabellarium ad vos mittemus, prout oportuerit, ſed non idcirco deſiſtatis progredi, & agere, atque concludere in tempore, perinde ac ſi nihil hinc præſtolaremini. Pontifici ſiquidem, quidquid vos ſtatueritis, gratum accidet.* Sæcul. XVI. A. C. 1563.

§. LXVI.

Nova forma de Inſtitutione Epiſcoporum ad Papam transmiſſa.

Cum igitur dies proximæ Seſſioni præſtituta eſſet, rurſus nova forma de Epiſcoporum inſtitutione conficiebatur, nec ab Hiſpanis, nec a Gallis rejecta, quæ tamen, licet comprobata eſſet a majori parte eorum, quos Legati ad conſilium adhibebant, non omnino placebat quibusdam Pontificiæ auctoritatis ſtudio magis addictis, quibus illa *Pallav. l. 21. c. 6. n. 3. Viſconti tom. 2. Lett. 44. pag. 75.*

Sæcul XVI. A.C.1563.

ejusmodi verbis conflata videbatur, quæ ad diversos sensus tam facile detorqueri possent, ut Sedis Apostolicæ hostes tam durante, quam finito Concilio illis facile abuti valerent: ex altera vero parte Legati hac in re quicquam concludi peroptabant, atque id necessarium censebant, quamvis ancipites hærerent, an periculum definitionis, qua Papam Synodo esse superiorem declararetur, facere deberent, vel potius hanc quæstionem silentio præterire expediret. Hac super re Borromæi Cardinalis consilium expetebant, eique præfatam formam transmittebant.

§. LXVII.

Papæ responsum ad suos Legatos circa hoc negotium.

Pallav. l.21. c.6. n.4.

Eapropter Borromæus hac de re certiorem reddebat Pontificem, qui Legatis hæc in responsis dari jussit: „cum noluissetis uti auctoritate toties „vobis concessa, sed Papæ judicium „exquireretis, voluit hic ea de re con„silium habere, cum ampliori Purpu„ratorum cœtu, & etiam cum Princi„pum Oratoribus; gratum tamen ipsi „esset, si interim alterum consilium exe„cutioni daretis, atque utramque con„troversiam prætermitteretis, quæ ex „utroque Canone fuit exorta: ceterum

„id

„id unum Pontifici permoleſte accidit, Sæcul. XVI.
„& idem contra vos queſtus eſt, quod, A. C. 1563.
„cum vobis minime libuiſſet adhibere
„libertatem conceſſam, quin & impe-
„ratam, ſed rem denuo cum ipſo com-
„municaſſetis, ejusque ſententiam præ-
„ſtolari voluiſſetis, nihilominus id evul-
„garetis, hacque agendi ratione in
„Pontificem non laborem modo, ſed
„& accuſationum onus rejiceretis, per-
„inde acſi rerum deciſionem ſuo arbi-
„trio vendicare vellet: præſertim dum
„Synodus Papam tanquam judicem non
„ſelegerit, in quo eventu libentior onus
„ſuſcepiſſet: etenim in alterutrius ne-
„ceſſitatem a vobis adducebatur Papa,
„ut aut occurrentes ſibi difficultates,
„quamvis in rebus ad fidem ſpectanti-
„bus nunquam feciſſet, in aliis tamen
„diſſimulaſſet, aut incurriſſet commune
„omnium odium, quamvis immerito,
„quaſi concordiæ perturbator eſſet.„ Ce-
terum Legati ſe poſtmodum excuſarunt,
& quidem reſpondebant ad primum,
quod in rebus maximi momenti ad
ſuum Principem, & caput recurrere co-
gantur, ne tunc, cum duntaxat gene-
rale mandatum haberent, notam te-
meritatis apud ſapientes, ac ſuarum
conſcientiarum tribunal incurrerent:
porro quod ad alterum ſpectabat, com-
municationem illius negotii extendi
ajebant

Sæc. XVI. A.C. 1563.

ajebant ad tot Oratores, ac Præsules, quibus oportuerat palam fieri honestissimam causſam suſpendendi reſponſi, ut ipſius vulgationem impedire nequiviſſent.

Pariter Borromæus Cardinalis Legatis ſignificabat ea, quæ Pontifex circa Cardinalium reformationem agitaret; hanc enim Lotharingius inſtanter urgebat, eamque non minus ardenter ab Hiſpaniæ, Franciæ, & Luſitaniæ Regibus deſiderari ſpargebat. Porro ex eadem Borromæi Cardinalis epiſtola elucet, quod ipſemet Pontifex hanc etiam emendationem ſummopere exoptarit: „libere, inquiebat Borro„mæus, facere poteritis, quicquid con„ſultius fore videbitur, hinc valebitis „diſertis quoque verbis quoad omnia „reformationis capita Cardinales no„minare, ne ignorantiam obtendere „valeant: nullam ergo hominum ratio„nem habeatis, nam quantumcunque „auſtera fuerit iſta reformatio, nun„quam nimis ſevera reputabitur a ſum„mo Pontifice, qui hac in re, ſicut & „in ceteris omnibus ad bonum regi„men ſpectantibus, Synodi, ac Prin„cipum votis ſatisfacere deſiderat.

§. LXVIII.

§. LXVIII.

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

Congregationes circa reformationem disciplinæ.

Cum hæc interea extra Synodum gererentur, pro more Congregationes circa disciplinæ reformationem continuato studio habebantur, in quarum una Nemausensis Episcopus de abusibus, qui ordinem spectant, verba faciens, delapsus est in sermonem de *Annatis*, ubi tametsi non negaret æquum esse, ut omnes Ecclesiæ contribuant Pontifici ad sustinendos Aulæ suæ sumptus, dicebat tamen neque modum, nec numerum in illa exactione sibi probari, & quidem hunc carpebat, eoquod satis esset, si vigesima tantum redituum pars pendatur, nec minus modum rejiciebat, cum ad earum solutionem, nisi anno exacto, nemo cogendus sit: insuper ex eo, quod Curia Romana omnium Ecclesiarum collationibus sustentanda sit, æquum esse affirmabat, ut inde quoque aliquid utilitatis percipiatur, nec tamen tolerandum, ut ab ejus Officialibus multi abusus in orbe Christiano nascantur, hinc id a Synodo Pontifici significandum censebat, ut provideat. Postea differens de ordinatione Presbyterorum, qui Romæ initiantur, inquiebat, in iis nec Canones, nec

Sarp. hist. Conc. l. 8. pag. 691.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

nec Decreta obſervari: idcirco neceſſario decernendum, ut, ſi Presbyteri Romæ ordinati non idonei fuerint, Epiſcopi non obſtante illa ordinatione poſſint eos ſuſpendere, nec fas ſit ſuſpenſis per viam appellationis, aut alterius recurſus, Prælati decretum impedire.

§. LXIX.

Sargianenſis Epiſcopi oratio in favorem Epiſcoporum Titularium.

Sarpius l. c. Jam antea Guadicenſis Epiſcopi ſententiam circa Epiſcopos titulares expoſuimus, contra hunc vero in eorundem favorem Simon de Nigris Sargianenſis, ſeu Sarſanenſis perorabat, hæc affirmans: „duo in Epiſcopo ſunt conſideranda, ordo, & jurisdictio: nam „ex ordine aliud non habet, quam quod „Miniſter ſit Sacramentorum Confirmationis, & ordinis, & conſtitutione „Eccleſiaſtica auctoritatem habeat multarum conſecrationum, & benedictionum, quæ ſimplicibus Presbyteris „ſunt prohibitæ: verum quoad jurisdictionem auctoritate etiam gaudet „quoad Eccleſiæ gubernationem: porro „Epiſcopis Titularibus poteſtas duntaxat Ordinis eſt, ſine jurisdictione, „adeoque non eſt neceſſarium, ut Eccleſiam quamdam habeant: ſi vero „antiquitus non conſecraretur Epiſcopus

„pus

„pus sine data ipsi Ecclesia, hoc ideo „factum, quia ne Diaconi quidem, aut „Presbyteri consecrabantur sine titulo: „at postquam apparuit plus facere ad „Dei cultum, & Ecclesiæ amplitudi„nem, ut Presbyteri sint sine titulo, „idem de Episcopis etiam concludeba„tur, proin instituebantur Episcopi abs„que Diæcesibus, quia ejusmodi Epi„scopi erant necessarii, ut suppleant „munus Episcoporum ex caussa legiti„ma a suis Ecclesiis absentium, aut „denique illustrium Prælatorum, qui „majoribus negotiis implicantur. Sæcul. XVI. A.C.1562.

Eodem tempore Cardinalis Lotharingius divertebat in eam Gallorum sententiam, qua Concilium esse supra Papam affirmant. Fertur quoque, quod idem coram decem circiter Episcopis de eodem argumento sermonem ingerens effutire non erubuerit, hanc opinionem adeo esse veram, & certam, ac illud: *Verbum caro factum est:* verbis tamen adeo temerariis in ipso Patrum conventu uti minime audebat, quamvis multa proferret, per quæ illis, quos præventio non excæcaverat, demonstrare nitebatur, quod insaniam saperet credere, Papam esse Concilio superiorem: equidem Hydruntinus Archipræsul prolixo sermone Lotharingium refellere

Sæc. XVI. A.C. 1563.

fellere nitebatur, sed irrito conatu; quippe suam sententiam nonnisi rationibus jam centies confutatis firmabat. (*) Verum ad hæc Lotharingius nil promptum habebat, nisi ut diceret: „cum in Francia natus sim, ubi hæc „sententia a potiori parte adoptatur, hinc

(*) Ubi autem sunt invicta ista argumenta, quibus opposita sententia jam centies confutata insulse jactitatur: prodiere varii Gallorum libri, quibus privatam suam opinionem tueri nitebantur, sed illorum argumenta leviſſimo brachio fuisse eversa, testantur infiniti propemodum Authores hac de re agentes; id saltem omnino certum est, quod Gallorum argumenta in nulla hucusque urbe, Provincia, aut regno, quod in avita sua fide circa Pontificis auctoritatem antea fuerat, adeo valida fuerint credita, ut ab eadem recesserit, quamvis inter ipsos Gallos plurimi sint, qui cum potiori aliarum Ecclesiarum sententia conspirant: unde ad summum contraria opinio meliori jure dici poterit opinio Gallicana, quam adversa Ultramontana: proin Lotharingio magis digna vox fuisset, si dicere potuisset: hanc sententiam adopto, quia Universalis Ecclesiæ sententia est, quam quod dixerit, non recedo, quia in Francia natus sum.

„hinc nec ego, nec ceteri Galli ab ea recedere possunt.„ (**)

Sæcul. XVI. A C. 1563.

§. LXX.

(**) Stupenda sane Galli hujus Continuatoris arrogantia, & petulantia: ergone insana est illa sententia, quam ante Basileensem Schismaticorum cœtum Universalis Christi Ecclesia tuebatur, ubi per tot retro sæcula Oecumenica etiam Concilia suarum decisionum firmitatem Pontificum approbationi in acceptis referebant, quoniam vero hæc Gallorum opinio jam millies confutata fuit, nil ultra de his: qua autem fronte Continuator sibi arrogat sententiam a tot Nationibus & Ecclesiis adoptatam tanquam *insanam* perstringere, qua audacia hæc a Lotharingio fuisse prolata mentitur, cum tamen maledicus ejus Magister Sarpius, ex quo hæc defloravit, nequidem ad tantam temeritatem prolapsus sit? Percipiantur illius verba: *Lotharingius*, inquit ille, *divertit in eam Gallorum assertionem, quod Concilium sit supra Papam, adjiciens, ita definitum a Concilio Constantiensi, & Basileensi, non requirere se aliam ab illo Concilio declarationem: attamen, si cum Gallis consentire velint, necesse esse, ut Decretis jam conficiendis nulla verba inserantur, quæ ipsorum sententiæ præjudicent: cum Archiepiscopo Hydruntino esset dicendi locus, multus fuit in Cardinale redarguen-*

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. LXX.

Patris Laynesii Jesuitarum Præpositi oratio circa reformationem.

Pallav. c. 6. num. 9.

In conventu die decima sexta Junii habito Pater Laynesius supremus Jesuitarum Moderator inter illos, qui sententiam suam edicebant, postremus erat: cum igitur ab aliis prolata confutare aggrederetur, quædam inferebat circa Romanæ Curiæ emendationem, & præcipue circa materiam de dispensationibus: Verum Laynesii propositiones pluribus, præcipue vero Gallis, displicebant, adeo, ut ex illis nonnulli Præsules quædam ab eodem prolata figillatim annotarent, ut de illis postea agerent, quando suas sententias promere juberentur: ceterum Laynesius duas emendationis classes distinxit, quarum una esset interior tangens animam, quæ nunquam posset per excessum

guendo, repetens & refutans, quicquid ille pro Concilii Superioritate dixerat, & subjunxit, esse nonnullos, qui eam opinionem de Superioritate Concilii adeo veram, ac indubitatam credant, atque illud, Verbum Caro factum est: *neque tamen videre se, quemadmodum ea de re in conscientia sua securi esse possint, quibus verbis Lotharingium perstringebat, quem passim jactabatur ea comparatione usum.*

sum deficere: porro de illa dixit, quod ad eam legum humanarum vis minime perveniat, ac potius petenda veniat a divina gratia, qua pro se quisque conferre operam in animo suo studeret: alteram vero, seu exteriorem asserebat sitam in operibus ad disciplinam, externumque regimen spectantibus, quæ ab humanis sanctionibus normam capit, & versatur in quibusdam exterioribus rebus, quæ per seipsas bonæ non sunt, sed conducunt ad eas, quæ suapte natura piæ sunt: porro de hac affirmavit, quod quoad illam peccari possit aut deficiendo, aut excedendo, cum eadem sit præscriptum quasi quoddam a prudentia politica medicamentum, cujus opportunitas non dimetiatur juxta morbi gravitatem, ac bonam valetudinem ab ægroto multis annis possessam, sed secundum beneficium, quod reipsa possit illi conferre ejus præsens conditio, & corporis habitudo, cum debeant cunctæ leges charitatis legi cedere: quapropter par esse censebat, ut retineantur, aut relaxentur, aut mutentur, pro eo, quod charitas suadet, ita tamen, ut hæc omnia per legitimam eorum, qui gubernant, auctoritatem fierent. Sæcul XVI. A.C. 1563.

Præmissis hisce principiis ipsa decreta tum controversa sigillatim discutiebat,

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

tiebat, quædam eorum approbando, alia impugnando.

§. LXXI.

Laynesii opinio circa Canonem de electione Episcoporum.

Pallav. n. 16. Rayn. hoc ann. n. 120.

Quod attinebat ad Canonem primum de Episcoporum electione, ita perorabat: „electio hæc potest duobus modis fieri, vel a Clericis, vel a Laicis, ita, ut eorum modorum quilibet rursus dupliciter instituti valeat, atque eorundem unus a summo Pontifice, aut a minoribus Clericis, alter autem a Principibus, aut a populis fiat: porro omnes hujusmodi electiones vitio sunt obnoxiæ, cum electores, utpote homines, a peccandi, & errandi periculo haud sint immunes, ipsa tamen in se spectata melioris est conditionis electio, quæ fit a Clericis, eoquod melius Clerici a Clericis, quam a laicis cognoscantur, ac Clericus ratione status majori feratur studio in res Divinas, majoremque a Deo afflatum accipiat: ceterum inter electiones a Laicis pendentes, optima censetur illa, quæ a Principibus habetur: inter electiones autem ab Ecclesiasticis profectas optima ducitur ea, quæ fit a supremo Pontifice, & per Cardinales; verum prout ejusmodi electio optima est, cum ordinate

„dinate

"dinate fit, ita quoque peſſima evadit, Sæcl. XVI.
"cum inordinata exiſtit: porro ad hanc A.C. 1563.
"proxime accedit illa, quæ fit a Suffra-
"ganeis ſimul cum Metropolita. Ter-
"tius præſtantiæ locus debetur electioni,
"cujus auctores ſunt Canonici, ſicut in
"Germania, non tamen electiones, quæ
"natura ſua meliores ſunt, meliores
"ſemper evadunt in quavis conditione
"temporis, loci, ac perſonarum. His
"dictis iſta ſubjungebat: reſtitui non de-
"bent Suffraganeis electiones, quaſi di-
"vini juris id eſſet, quemadmodum quo-
"rumdam fert opinio, quæ tamen in-
"volvit errorem fidei repugnantem, cum
"inde fuiſſet deductum, electiones ali-
"ter habitas, non eſſe legitimas, adeo
"ut Eccleſia erraverit in eo, quod illos,
"qui Epiſcopi non erant, tanquam Epi-
"ſcopos accepiſſet: hinc omnes, qui
"contendunt hujusmodi antiquos uſus
"revocare, moventur mali dæmonis
"impulſu, & idcirco non agitur ab ipſis,
"ut veteris Eccleſiæ jejunia, & affli-
"ctiones corporis, quæ carnem edomant,
"reponerentur, ſed hoc eſt electionis
"genus, quod carni favet: profecto
"primævi Epiſcopi, ab Apoſtolis inſti-
"tuti, & ab iis miſſi, ut fidem gentibus
"prædicarent, aliorum conſenſu haud
"electi fuerunt, nec valet: *Tales electio-*
"*nes priſcis temporibus uſurpatæ ſunt, igi-*

Sæcul. XVI. A.C. 1563

„tur *in uſum ſunt revocandæ*: nam po„tius contrarium deducitur, quando„quidem experimento deprehenſa ſunt „earum incommoda, quæ ut tolleren„tur, illæ ſunt abolitæ, hinc dubito de „Gallis, an id ſerio poſtulent, cum ta„men illi a Deo punirentur præſentibus „infortuniis, ob aliquam eorum ſeceſ„ſionem usque ab ætate Baſileenſis „Concilii. De cetero Epiſcoporum exa„men habendum comprobavit, ita ta„men, ut per illud integer ipſorum vitæ „curſus expenderetur.

§. LXXII.

Ejusdem ſententia de Epiſcopis Titularibus.

Pallav. c. 6. num. 12.

Poſtea ad Epiſcopos Titulares progreſſus ajebat: „Epiſcopi ad merum „titulum non creentur, niſi ſuadeat „neceſſitas, interim errorem ſapit, in„ficiari, quod veri ſint Epiſcopi, cum „Eccleſia eos, tanquam Epiſcopos ha„beat, atque adoret hoſtias conſecra„tas a Sacerdotibus, qui ab illis Sacros „Ordines ſuſceperunt: nam indigent his „Epiſcopis Diæceſes, quæ ampliores „ſunt, prout in Germania, ubi cunctis „officiis per unum duntaxat Præſulem „ſatisfieri nequit: nec ex altera parte „opportunum eſt, ut ipſæ dividantur „Diæceſes, cum illic Eccleſiaſticorum „poten-

"potentia opus sit: porro duplici modo "Episcopi initiari possunt, vel certæ Ecclesiæ destinati, vel indiscriminatim "omnium servitio addicti, sicuti erant "Apostoli, qua etiam ratione, quæ nobilissima est functio, initiantur Evangelii præcones: possent quoque aliqui "initiari, etiamsi nullam in ulla Ecclesia jurisdictionem obtineant, quo pacto "initiatus fuit Presbyter S. Paulinus "Episcopus Nolanus, & sicuti Religiosi "mendicantes certis cœnobiis non sunt "affixi. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. LXXIII.

Laynesii judicium de Episcopatibus, aliisque beneficiis.

Demum impugnabat eorum consilium, qui ætatem pro Sacerdotio præscriptam immutare aggrediebantur, quam in rem ita differebat: „post Canones po„stremo promulgatos hac de re nihil "est ita variatum, ut novam legem po„stularet; nam Ecclesiasticorum incon„tinentia non ab ætatis, sed educatio„nis vitio proficiscitur, hinc hujusmodi "consilium est mali dæmonis artificium, "ut sic, dum Sacerdotium coarctatur "ad senectutem, & Diaconatus adscien„tiam concionandi, Clerus destruatur: "de cetero tria mihi videntur necessaria, "ut nimirum unusquisque secundum Ca- *Pallav. n. 13.*

Sæcul. XVI A C 156.

"nones ingrediatur in Ecclesias, atque "ex præscripto Canonum eas administret, "necnon Magistratus statuatur, qui per- "vigil hujus duplicis legis tutelam ge- "reret: insuper caveatur, ne consan- "guineis Ecclesiæ tradantur, aut illis, "qui eas ambiunt, ac petunt: inde e- "nim profectum est, quod Ecclesiæ sæ- "pius ignorantibus, aut indignis fuissent "collatæ: præterea minime permitta- "tur, ut resignentur Ecclesiæ retentis "fructibus, cum id ipsarum Ecclesiarum "esset pernicies."

§. LXXIV.

Ejusdem opinio circa dispensationes.

Laynesius revocans illam charitatis legem, de qua in principio sermonis sui dixerat, affirmabat, illius habendam esse rationem non modo tum, dum leges in universum constituuntur, sed etiam dum applicantur ad peculiares conditiones: his dictis studuit explicare utilitatem, & decentiam recentiorum relaxationum, ad quod confirmandum adduxit testimonium doctissimi, ac severissimi Patris S. Bernardi, qui ad hanc rem propendebat: his addebat, quod mandata quædam mutari haud possint, adeoque nullius dispensationis capacia existant: alia autem mutationem permittant, & ideo quo-

que

que relaxationibus obnoxia sint, pro rerum conditionibus: porro in eo spectandum dicebat non usum antiquitatis, nec austerum exemplum unius, aut alterius e Sanctis Patribus, sed id considerandum, quod charitas postulat in conditionibus hujus hominis, & hujus temporis. Hanc doctrinam declarabat Laynesius, observans, quod divina Lex sit de hisce rebus necessariis, & nulli mutationi obnoxiis, & idcirco ea relaxari nequeat: Ecclesiastica vero sit de illis peculiaribus, quæ Divinæ legis observationem faciliorem reddunt: cum ergo hæ mutationem admitterent, ideo in Ecclesia quodam Principe, ac Capite opus esse inquiebat, ut is possit, prout opportunitas dictaret, eas relaxare, eoquod hujusmodi auctoritas a Christo fuisset tradita summo Pontifici, nec possit a quopiam ea illi adimi, cum id institutioni Christi, & bono publico adversaretur: insuper monebat, ut nullus objiceret, quod ea interdum abusi sint Pontifices, cum omnis Princeps, ac Magistratus supremus possit in hoc vitium prolabi. Observabat etiam, quod lex illa, qua sanciretur dispensationum abolitio, sit lex humana, adeoque relaxationum capax: quamvis vero Pontifex voto se obstringeret, nunquam se legem relaxaturum, hujusce tamen

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

voti obligationem ceſſare dicebat, quoties charitas ſuggereret opportunam legis relaxationem: porro ad auferendos relaxationum abuſus ſanciendum putabat, ne populi eas peterent, niſi ex cauſſis admodum gravibus, ibique, ubi deceret, in relaxatione concedenda mulcta imponeretur, quam in pauperum ſubſidia diſtribui oporteret. Ceterum legum relaxandarum uſum inveniri aſſerebat usque a Pauli Apoſtoli ætate, qui hominem, quem antea anathemate perſtrinxerat, poſtea exſolvit.

Ceterum Layneſius in progreſſu hujus ſermonis plures infirmas proferebat rationes, quibus Papam Synodo eſſe ſuperiorem contendebat, ſolidisque argumentis deficientibus ſermonis vehementiam, ac quandoque etiam iracundiam ſubrogabat, qua perorandi ratione exiſtimatam rationum ſuarum vim magis adhuc enervabat, adeo, ut haud immerito Romanæ Curiæ adulator, & cauſſæ deſperatæ Apologiſta haberetur. (*)

Suſpi-

(*) Quot verba, tot calumniæ, vel falſitates, nam falſum eſt Layneſium præter allegatas adhuc alias rationes protuliſſe, uti Pallavicinus loc. cit. n. 15. ex notis Paleotti teſtatur; ejus vero argumenta non ſolida fuiſſe, ca-

lumniam

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

Suſpicabantur nonnulli, (*) quod Legati Layneſium induxerint, ut cum tanto ſervore illam propugnaret opinionem, quam tamen maximum illorum ſtudium nullatenus ad illum veritatis apicem elevare poterat, quem obtinere debuiſſet ad hoc, ut prudentibus Viris perſuaderi valuiſſet (**) nihilominus Legati ſæpe hunc Patrem convenerant, omnique data occaſione illum multis æſtimationis ſuæ ſignis cumulabant: cum vero Galli in ſaniori-bus doctrinis enutriti, non abs ratione per ſermonem ab hoc Jeſuitarum Præpoſito declamatum offenſi eſſent, hinc

lumniam redolet, cum ex omnibus Gallis nullus fuerit, qui in hoc conventu eum refellere auſus fuerit, ſi autem illos, qui Pontificis auctoritatem imminuebant, vehementius perſtringeret, læſæ veritatis Catholicæ ſtudium hunc fervorem acuebat: dein Layneſius a nemine niſi a Continuatore, atque huic ſimilibus pro Curiæ Romanæ adulatore habebatur, niſi eodem forte jure, quo quis Continuatorem Gallicanæ ſententiæ Idololatram appellitare poſſet.

(*) Pallavicinus ait: *Galli ſuſpicabantur, Lainium Legatis aut volentibus aut conſciis in eam ſententiam diſſeruiſſe.*

(**) Thraſonica hæc verborum jactantia nonniſi riſu confutari meretur.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

hinc Laynesius Torrensem, & Cavillonium e Societate sua vesperi eadem die decima sexta Junii ad Lotharingium Cardinalem ablegabat, ut illum excusarent, (*) eique persuaderent, quod nequaquam in Cardinalem Laynesius sua verborum spicula intorserit, nec etiam in Nationis ejus Præsules, sed duntaxat perstringere voluerit quorumdam Sorbonicorum Doctorum opinionem, quam Ecclesiæ doctrinæ parum consonam esse ajebat, abs dubio, quia hi Doctores Basileensis Concilii doctrinæ addicti erant, quam immoderati Curiæ

(*) Magis sincere percipiatur hujus excusationis caussa ex ipso Pallavicino, qui ita ait: *Quoniam tela, quo sunt acutiora, eo altius feriunt, ii, qui ab Argumentis Lainii petiti fuerant, quo validum in illum excitarent ultorem, studuerunt persuadere Lotharingio, in ipsum a Lainio suos ictus fuisse intentatos, quos ubi rescivit Lainius, se apud Lotharingium purgavit, ostendens, sibi in animo non fuisse illum arguere, nec pariter Præsules Gallos, sed tantum quosdam Sorbonnæ Theologos, omnino Basileensi Concilio addictos. Nec motus ultra processit.*

Ceteras nugas, & magniloquentias ex Sarpio emendicatas confutare supervacaneum videtur, cum eas jamjam refellerit Pallavicinus loc. cit, n. 16.

Curiæ Romanæ fautores, qualis erat Pater Layneſius, ferme tanquam hæreſin deteſtantur, quantumvis Catholica ſit. Aſt hæc excuſatio non minus, quam ipſe ſermo, adverſus quem Galli obſtrepebant, haud decens cenſebatur, ac quidam Benedictinus nomine Joannes Verdunus, quo præſente hæc excuſatio facta eſt, loquendi facultatem a Lotharingio Cardinale petiit, ac magna verborum vi oſtendit, quod Pariſienſium Theologorum doctrina ſit orthodoxa, ex adverſo autem illa Jeſuitarum Generalis declaratio redoleat novitatem, nec unquam fuerit audita: (*) Inſu- Sæc. XVI. A.C. 1563

(*) Ne ipſe quidem Sarpius auſus eſt aſſetere, quod Verdunus reipſa hæc comprobarit, ſed duntaxat, quod *promiſerit ſe oſtenſurum Sorbonæ doctrinam orthodoxam eſſe, & Jeſuitæ contra novam, & inauditam.* . . . Poſtea autem ita proſequitur: Aſt Cardinalis eos monuit, rem magnam factum iri, id ſi obtineatur, ut in publicis Concilii decretis aditus ad iſtam doctrinam non aperiatur, atque ad hoc tantum efficiendum omnium oculos intendendos, jam ad hunc finem facilius perventuros, rem ſilentio tegendo, & memoriam ejus oblivione obruendo, quam altercando, & contradicendo, unde aliquod veritati præjudicium creetur: acquieverunt quidem, non ita tamen, ut

in

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Insuper huic Patri crimini datum, quod Papæ Tribunal idem esse, ac tribunal Christi asseruerit, quapropter Hugonius Theologus pollicebatur, se ostensurum, quod hæc propositio spiret impietatem, & generet scandalum, cum immortalem mortali adæquet, & judicium corruptibile divino, unde appareret, quod ab ignorantia hoc nascatur, cum Papa servus ille, sit præpositus Christi familiæ, non ut faciat officium Patrisfamilias, sed tantum cuique distribuat, non arbitrarie, sed quantum ab eodem Patre ordinatum: hinc obstupescere se ajebat, quomodo aures christianæ audire sustineant, totam Christi potestatem alii cuiquam communicatam.

Ceterum Cardinalis Lotharingius, inquit Vicecomes, eadem occasione mentem suam circa Papæ, & Concilii auctoritatem explicans, addebat, quod sibi, ut Principes Sacræ Sedi magis subjecti conserventur, consultissimum vide-

in privatis congressibus non multus ea de re fuerit sermo.

Si autem Jesuitæ doctrina nova, & inaudita est, & Theologi Sorbonici hanc doctrinam primum a Basileensi Concilio hauserunt, quænam, quæso. ante hunc conventum fuit Ecclesiæ universalis doctrina circa Pontificis auctoritatem in Concilia.

videretur, si in præsenti rerum vicissitudine unaomnes inter se, si fieri posset, convenirent circa quamdam explicationem congruam, qua summorum Pontificum, & Synodorum Oecumenicarum potestas stabiliretur: „ego quidem, „ajebat Cardinalis, quæ hac in re „sentio, jamjam Legatis, mentemque „meam scriptotenus Morono Cardinali „me manifestaturum polliceor.„ Erat autem sententia Lotharingii hæc: „Quando Concilium a Papa est convocatum, „eique sui Legati præsunt, tunc Sanctitas sua illius decreta, quæ sub anathematis pœna statuuntur, & fidei res „concernunt, servare tenetur, quia circa ejusmodi decreta Concilium falli „nequit, eo potissimum nomine, quod „sua statuta assistente Spiritu Sancto faceret:„ Declarabat insuper Lotharingius, quod sua ipsius opinio his verbis concepta sit eadem cum Sorbonnæ sententia (*) atque ejusmodi decreta *in mate-* Sæcul. XVI. A. C. 1563.

(*) Melius dixisset: *cum Ecclesiæ sententia*; si enim hæc opinio adeo certe orthodoxa est, ex adverso autem sententia superioritatem Pontificis stabiliens nova, & inaudita, mirum plane, quod Galli primum ad firmandam suarum opinionem tot transactionibus, explicationibus, & declarationibus necesse

Sæc. XVI. A.C. 1563.

materia fidei in Galliis, atque in Hiſpania ſine ulla ambiguitate reciperentur, quamvis a Papa non fuiſſent confirmata, etſi ille tanquam ſupremus Judex ea irrita declarare, *ac Synodi agendi rationem injuſtam decernere vellet.* His addidit, quod *fidei Canones* Pontificis confirmatione non indigeant, bene tamen decreta *circa mores* edita, cum enim circa hæc Concilium errare poſſit, neceſſe eſt, ut a Sanctitate ſua confirmentur (*), quæ *pro utilitate Eccleſiæ* hac

ſe habuerint, & ad illam corroborandam recentis cujusdam Synodi tempore ſchiſmatis habitæ auctoritate indiguerint: cur autem Traditionem Apoſtolicam, communem Eccleſiæ conſenſum, ac ſaltem quinque prima Oecumenica Concilia pro veritate adeo avita, & Orthodoxa allegare nunquam auſi ſunt?

(*) Prætereo audaciam Continuatoris, qui Lotharingium Cardinalem hæc edifferentem introducit, atque in hujus rei teſtem allegat Pallavicinum, qui tamen ne verbum quidem de ejusmodi ſententia profert, ſed vel Continuator exinde propriam ſuam opinionem proponendi occaſionem nactus, id, quod ſibi in mentem venerat, libere exponit: verum eſto, quod re ipſa Lotharingius hæc dixiſſet: ergo circa decreta *de moribus* Papa eſt

hac in re dispensare potest. Observabat Vicecomes, quod hæc sententia Legatis non displicuerit, excepto Simonetta Cardinale, qui circa articulum de Pontificis approbatione contrariam fovebat opinionem. Idem quoque Cardinalis Lotharingius postea dicebat, quod Parisien- Sæcul. XVI. A.C. 1563.

est supra Concilium: ergo infallibilis est juxta hujus Cardinalis sententiam, quam cum Sorbonicis Doctoribus eandem esse asserit; si enim ideo *fidei Canones* Pontificis approbatione non indigent, quia Concilium in his errare non potest, *in decretis* autem *morum* Pontificis approbatio necessaria est, omnino sequitur, etiam juxta Gallicanæ Ecclesiæ principia Papam in decretis circa mores esse infallibilem, ac errare non posse, proin Synodo superiorem esse: quis autem sanæ mentis homo credat, quod Christus Dominus ad rectam Ecclesiæ suæ gubernationem supremo suo Vicario concesserit infallibilitatis prærogativam circa Doctrinam morum, non autem circa fidei dogmata. Num quæso, portæ inferi fortius aggrediuntur Ecclesiam perversis moribus, quam dogmatum pravitate? Hæc ipsa Galli hujus Cardinalis, & Sorbonicorum insulsa ratiocinatio arguit, eorum doctrinam omnino esse recentem, proin humanis artificiis nondum satis ad veritatis simulacrum elaboratam.

Sæcul. XVI. A C. 1563.

risiensis Universitas non rejiciat Florentinum Concilium, quasi nullam haberet auctoritatem, aut legitimum non esset, sed unice ideo non revereretur illud tanquam Oecumenicum, potissimum eo nomine, quod ibidem non alii adfuerint Præsules, quam Itali, atque Orientales, qui ad initium hujus Synodi erant schismatici (*).

§. LXXV.

Biragus Præses Oenipontum Cæsarem salutatum profectus.

Pallav. c. 7. n. 3. *Viscont. to. 2 Lett. 42. p. 59*

Interea Biragus Præses, qui Oenipontum die decima tertia Junii ad Cæsarem profectus est, Cæsaream Majestatem suam adiit, ac pacem a Carolo IX. Gal-

(*) Hæc a Lotharingio fuisse prolata, ægre quis sibi persuadebit, nullus enim tantam Synodi Florentinæ ignorantiam in hoc Cardinale præsumet, ut illum ignorasse credat, quod in præfato Concilio etiam Franciæ, Burgundiæ, Hispaniæ, aliarumque Nationum Præsules, Doctores, & Oratores præsentes fuerint, uti cuilibet horum subscriptiones legenti manifestum fit: si autem propter Orientales tum schismaticos hæc Synodus rejicitur a Gallis, quid erit de Basileensi, quæ usque ad exitum a schismaticis fuit celebrata.

Galliarum Rege cum Calviniſtis initam excuſare nitebatur: poſtea vero digreſſus ad articulum de Concilio in Germaniam transferendo, cum hanc translationem a pluribus deſiderari diceret, nullum non movit lapidem, ut Cæſarem eo inclinaret, inſuperhabita Tridentinorum Patrum, imo ipſius etiam Pontificis repugnantia. Sæcul. XVI. A.C 1563.

§. LXXVI.

Cæſaris Reſponſum ad Præſidem.

Cæſar ad hanc ſollicitationem hæc reſpoſuit: „Quantum ad pacem, de „qua diſſeris, ipſæ conditiones ſat mani„feſtant, quod ad illam Regina Admini„ſtratrix fuerit coacta, cum veriſimile „non ſit, eam alioquin ad ejusmodi pa„ctiones deſcenſuram fuiſſe: porro „translationi propoſitæ debui diſſentire: „quandoquidem alibi ea opportunitas „mihi haud præſto foret tutandi Con„cilii, ſi illud in alio loco congregaretur: „præterea compertum mihi eſt, Luthe„ranos nunquam ad Synodum conven„turos, tametſi in centro Germaniæ ce„lebraretur, niſi per indecoras condi„tiones, & nunquam ſine plurimo pie„tatis detrimento concedendas: inſu„per ſi nunc ejus locus mutaretur, cum „recte progredi incipit, idem foret, ac „omnem fructum præcidere, quem ſibi

Sæcul.XVI. A. C..1563.

„probi omnes pollicebantur.„ Acceptо hoc reſponſo Biragus diſceſſit.

§. LXXVII.

Tres Belgii Epiſcopi, totidemque Lovanienſes Theologi adventantes.

Pallav. n.4. & 5c Viſcont.to.1. Lett.45.p.83

Sub idem tempus die vigeſima prima Junii tres Belgii Præſules, totidemque Univerſitatis Lovanienſis Theologi a Philippo II. Hiſpaniæ Rege Tridentum miſſi advenerant: porro tres (*) illi Præſules erant Franciſcus Richardotus, Antonius Haveſius Dominicanus, & Martinus Ritovius, quorum primus Atrebatenſis, alter Namurcenſis & poſtremus Iprenſis Epiſcopus: Theologi vero erant tres viri celeberrimi, Michael Bajus, Joannes Heſſelius, de quibus alibi ſcriptum eſt, & Cornelius Janſenius, poſtea Gandavenſis Epiſcopus, atque Auctor commentarii in concordantiam Evangelii. Jam tunc, cum Commendonus in Belgio morabatur, ſicut narravimus, graviſſimis utrimque rationibus dubitatum fuerat, an expediret ad Concilium mittere Theologos Bajum, & Heſſelium, cum quasdam erroneas opinio-

(*) Vicecomes loco Epiſcopi Namurcenſis nominat Antiſtitem Leodienſem.

opiniones tradidiſſe accuſati fuiſſent. Tandem exiſtimabat Granvellanus Cardinalis eosdem tum propter abſentiam ſuam ab ea regione, ubi diſcordia ferveſcebat, tum propter communicationem cum viris doctis, & auctoritate præditis, quibuscum in Concilio conferre poſſent, fore, ut reduci valerent ad veritatis ſemitam, necnon ad doctrinam magis ſanam, magisque orthodoxam, ac erat illa, quam hucusque tradidiſſe accuſabantur: eapropter idem Cardinalis illos tanquam Hiſpaniæ Regis Theologos deputari permiſit, unde Tridentum unacum Epiſcopis ſupra memoratis profecti, ibidem vigeſima, aut vigeſima prima Menſis Junii advenere: Granvellanus quoque in eorum favorem ad ſummum Pontificem perſcripſit, rogavitque, ut Papa ſuis Legatis præciperet, quatenus illos perbenigne exciperent, eosque mitius haberent, ut illos eo facilius ad ſaniora revocare poſſent, præcipue cum aliunde doctrina præſtantes haud exiguam animi demiſſionem præſeferrent. Sæcul. XVI. A. C. 1563.

§. LXXVIII.

Belgarum petitio ad Synodum de edendo decreto adverſus Angliæ Reginam.

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

Horum Præsulum, ac Theologorum Belgarum adventus Synodi Patres induxerat, ut quoddam decretum contra Elisabetham Angliæ Reginam promulgare, ac declarare decernerent, quod Episcopi ab ea electi non essent legitimi, simulque eadem foret schismatica, ac hæretica: Verum Cæsaris Oratores hoc Patrum consilium edocti Legatis ea, quæ jam antea Delphinus Nuntius tam ad eos, quam ad summum Pontificem perscripserat, objiciebant, dicentes, quod Elisabetha, si tam indigne haberetur, abs dubio irritata suum furorem in paucos illos Præsules, qui adhuc in Anglia supersunt, effusura, atque in majorem rabiem proruptura esset: præsertim cum Protestantes Germaniæ Principes parem damnationem sibi præsagientes facile ad præcavendam ejusmodi injuriam concurrerent, omnesque suos conatus adversus fidem Catholicam adhiberent, ut proin omnino necessarium videatur, nullum ejusmodi decretum condere. Legati, quorum Lotharingio Cardinali, atque Oratoribus Ecclesiasticis communicabant, atque unanimi suffragio literas desuper ad Papam, & Cæsarem dare decernebant, responderunt, se sine utriusque consensu nihil moturos: Verum sub idem tempus Roma rescriptum, ne Patres hac in

Litt. Legat. ad Borr. 8. Julii apud Pallav. c 7. n. 4 & 5. Raynald. hoc ann. n. 114. & 115.

Litt. Borr. ad Legat. 6. & 10. Jul. & Legat. 12. Jul.

in re quicquam aggrederentur, ſed Cæſari nuntiarent, quod in animo Pontificis prudentia, auctoritasque conſilii, quod Cæſar dediſſet, prævaluiſſet conſiliis plurimorum oppoſitum ſuadentium. Evolutis poſtea aliquot diebus Granvellani Cardinalis literæ afferebantur, quibus Legati fuere admoniti, ne quid in Eliſabetham moveretur, cum id non minus hujus Cardinalis, quam ſpeciatim Hiſpaniæ Regis ſententia eſſet. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. LXXIX.

Rurſus de cauſſa Toletani Archiepiſcopi in Hiſpaniæ Inquiſitione capti.

Detinebatur in cuſtodia multos jam annos a ſacro Inquiſitionis Hiſpanicæ tribunali Bartholomæus Caranza, qui ex Dominicana Familia Toletanus Archiepiſcopus, Primas in illis Philippi II. Regnis, & unus erat e ſummis Chriſtianæ Reipublicæ Præſulibus: porro Patres Concilii exiſtimabant, per hoc, quod hic Præſul eximius ſub alio, quam Pontificis tribunali captus detineretur, univerſum ipſorum ordinem Epiſcopalem vileſcere, hinc ſæpius conqueſti ſunt apud Præſides, qui per hujusmodi expoſtulationem preſſi ineunte Aprili ea de re jam tertio ſcripſerunt *Pallav. l. 21. c. 7. n. 7.*

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Romam, affirmantes, quod vehementer Patres peterent, ut Pontifex cauſſam illam ad ſe advocaret, juberetque acta in Hiſpania confecta Romam mitti: verum Pontifex ſe in ſuis reſponſis purgabat cauſſatus, quod nullus unquam de ſuis Miniſtris in Hiſpaniam iviſſet, cui per iterata mandata negotium illud non commendaſſet: inſuper tranſmiſit inter cetera ad Legatos epiſtolam de hoc argumento, Philippi Regis chirographo ſignatam, in qua is querebatur acriter contra Pontificem, quod ipſe quoddam diploma Odeſcalco Nuntio in ea cauſſa dediſſet, ipſo Rege non prius audito: inſuper petebat a Pontifice, ut ſuſceptum a Rege conſilium, ne ea juſtio vulgaretur, in bonam partem ſuſciperet, atque in poſterum Sacræ Inquiſitionis acta non turbaret in ea cauſſa, in qua Regi adeo cordi erat, ut id, quod æquum eſſet, perageretur: de cetero autem vehementer optaret, ut brevi hæc lis finiretur, cum ſperandum eſſet, quam citiſſime acta confectum iri, de quibus poſtea Pontifex edocendus eſſet.

§. LXXX.

Pontificis conſilium de eo Romam evocando, & Philippi II. oppoſitio.

Hæc

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Pallav. l. c.

Hæc epistola Madriti die decima octava Mensis Octobris anno priori data erat, qua summus Pontifex a prosequenda hac lite absterrebatur, haud consultum ratus, illam diutius urgere, ne propterea indignationem incurreret Regis Catholici, cujus tamen amicitia in præsenti rerum vicissitudine ad Religionis incrementum oppido necessaria erat: cum autem Synodi Patres identidem Legatos hac super re stimularent, hinc toties iteratis precibus, ac sollicitationibus Papam urgebant, ut ab earum importunitate sese liberaturus transcriptam Philippi II. epistolam transmitteret, datisque literis hæc ad suos Legatos perscriberet; „ compertum mihi „est, Caranzæ Episcopi causam a meo „Prædecessore commissam Hispanicæ „Inquisitioni, ut ibidem per sententiam „res plene decideretur, idcirco nolui „hujus causæ cognitionem huic Tribu„nali adimere, ne illis, qui in ea labo„rant, molestiam crearem, sed tamen „judicii acta mihi tradi petebam, hinc „cuncta, quæ prout nunc confecta sunt, „Romam postremo attulerat Gusmanus: „quantum vero ex illis cognoscere li„cuit, affirmare possum, quod ea Ar„chiepiscopi conjectio in carcerem haud „injusta fuerit, dum autem acta, ad „quæ nolui prorogationem ultra inte-

Sæc. XVI. A.C 1563.

„grum proximum Aprilem concedere, „penitus perficientur, minime desistam, „quin æquum, absolutumque judicium „hac in re ipsus exerceam.„

§. LXXXI.

Grimani Aquilejensis Patriarchæ petitio de caussa sua ad Synodum devolvenda.

Pallav. c.7. n.7. & 9.

Pariter alterius cujusdam Præsulis omni veneratione digni caussa ad Synodum devolvebatur. Erat is Joannes Grimanus Aquilejensis Patriarcha, de quo alibi sæpius mentionem fecimus; quippe eo tempore, quo Papa Anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo primo Amulium, & Navagerum purpura decorabat, Venetorum Respublica datis ad Papam literis hunc postremum patria Venetum Cardinalium Collegio adscriptum fuisse, grata mente recolebat, simulque Patriarchæ Grimano eundem honorem deferri, aut potius illum eodem auctum esse declarari rogabat: jam enim hic in Cardinalem electus a nonnullis credebatur. Hanc petitionem Respublica iterato inculcabat: ast Pontifex ad frequentes Venetorum preces respondit, quod huic declarationi sacrum Collegium assentiri renueret, nisi Grimanus de impacto

pacto sibi hæresis crimine prius sese purgasset. Huic conditioni lubens annuit Patriarcha, sese tamen Romanæ Inquisitionis Judicibus, quorum severitas sæpe nimium immoderata justam diffidentiæ caussam ei præbebat (*), committere dubitavit, maluitque se Synodi judicio relinquere, atque ibidem suam innocentiam probare statuit: itaque se a Patribus absolvi sperans Tridentum versus iter aggreditur: verum Papa, qui Romanæ Inquisitionis jura tueri voluit, ab initio Patriarchæ Veneto caussam suam ad Synodum devolvendi facultatem denegabat, dato negotio, ut Romæ suam innocentiam probaret, seque ibidem sisteret. Verum rursus instante Republica Pontifex Synodo hujus caussæ cognitionem tandem reliquit: ergo Grimanus die vigesima prima Junii Tridentum delatus, eadem die Præsides visum ibat, comitantibus eum viginti Præsulibus: cum autem magis congrui temporis opportunitatem præstolaretur, in hac occasio-

Sæcul. XVI. A C. 1563.

(*) Hæc est animadversio nostro Continuatore digna, ab eoque excogitata: si tamen ipse vel unicum hujus frequentis, ac nimium immoderatæ severitatis exemplum legitime probare debuisset, certe ei lingua, & aqua hæsisset.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

casione ne verbum quidem de sua caussa propositit, unde Veneti Oratores ipsius loco verba facere cœperunt, & ut suæ Reipublicæ honorem vindicarent, testatumque redderent, quod ipsismet persuasum esset, se suis partibus defuisse, si ex suis subditis quempiam de hæresi re ipsa suspectum ad Purpuram evehi petiissent, quapropter hanc caussam dijudicari efflagitabant.

§. LXXXII.

Legatorum Responsum ad Oratores Venetos.

Pallav. n. 10. & 11.

Igitur Legati habita inter se consultatione circa Oratorum postulata, tandem illis hæc reponebant: „Jure „quidem optimo a Republica, ac po„tissimum a Patriarcha exoptatur exi„tus illius caussæ, sed fas nobis non est „manum illi admovere, aut tolerare, ut „Synodus eam admoveat absque pe„culiari Pontificis diplomate, apud quem „sæpe eadem caussa fuerat agitata, at„que exposita, cum hoc pacto indi„caretur Concilium præesse Pontifici, „& obtinere potestatem avocandi ad se „caussas coram Pontifice jamjam in„choatas: fatemur quidem Navagerum „& Moronum Cardinales, priusquam „Roma discederent, collocutos fuisse „cum Pontifice, qui etiam Navagero „quæ-

„quædam ſcripta hanc in rem conſigna- Sæcul. XVI.
„vit: Verum tamen cuncta hæc ſatis A.C. 1563.
„non ſunt abſque ſpeciali mandato ſub-
„ſcripto a ſummo Pontifice, qui nobis di-
„xerat, ſe plenius, quid ipſe vellet, ſigni-
„ficaturum.

Oratores ad inſperatum hoc reſpon-ſum valde commoti hæc reponebant: „Accepit Venetæ Reipublicæ Senatus „minime dubia hujus cauſſæ ad Syno-„dum devolutæ argumenta, inter quæ „præcipue ſunt Pontificis verba Romæ „ad Venetum Oratorem facta, necnon „ejusdem promiſſio duobus Legatis „præſtita.„ Poſtea Oratores expone-bant, quod hac fiducia fretus Reipubli-cæ Senatus Patriarcham Tridentum ab-legarit, adeoque non leve dedecus in i-pſam Rempublicam redundaret, ſi va-næ promiſſionis ſpe ſe lactatam, nudisque verbis deceptam cerneret.

§. LXXXIII.

Legatorum declaratio de hac cauſſa abſque Pontificis diplomate non dijudicanda.

Verum ad hæc reponebant Legati: „In *Pallav. n. 12.*
„hujus cauſſæ judicio, ſi facta eſt cun- *& 13.*
„ctatio, ea ipſi Patriarchæ vitio vertenda
„eſt, qui, ſi Roma non ſeceſſiſſet, feli-
„cem ſuæ cauſſæ exitum jam ſortitus
„eſſet. Ceterum in comperto nobis eſt

„ Pon-

Sæcul. XVI. A.C.1563.

„Pontificis animus, juſtitiæ ſtudioſiſſi„mus, amantiſſimus Reipublicæ & bene „affectus erga Grimanum: ſi ta„men Pontifex Oratori tum Romæ agen„ti dixerat id, quod vos refertis, tunc „id, quod in ejusmodi occaſionibus uſu„venit, obſervare tenetur Pontifex, ſci„licet ut cauſſam in Synodo, cuicunque „volet, per diploma committat: ſub qua „conditione nos omnem judicii celerita„tem pollicemur.

§. LXXXIV.

Papa hanc Legatorum repulſam indignatus.

Pallav. c.7. n.14. ep. Pap. ad Legat. 1. Jul. Viſcont. to.2. Lett. 53. p.159.

Accepto hoc reſponſo Oratores datis literis totam rei geſtæ ſeriem ad Senatum perſcribere decernebant: pariter quoque Synodi Præſides ea de re Cardinalem Borromæum certiorem reddebant, ſignificantes, periculoſum eſſe, ſi inter tumultus hac ſuper re præcipue circa proponendi facultatem ſuſcitatos, ac nondum ſopitos Veneti novam controverſiam movere permitterentur de jure, quo ſibi concedi poſtulant, ut hoc negotium per ſe ipſos Synodo proponere valerent, proin in præſenti rerum viciſſitudine conſultius dicebant, ut Sanctitas ſua hanc cauſſam ipſamet proponeret, aut quid agendum decerneret: verum hoc obſequium ſummo Pontifici minus gratum acci-

accidit, atque exinde moleſtiam ſibi crea- Sæcul. XVI.
ri veritus, ad Præſides reſcripſit, ac de- A. C. 1563.
ſuper conqueſtus eisdem injunxit, ut Oratorum petito cederent: hæc tamen addidit: Ideo nondum tranſmiſi diploma, quo meam mentem aperirem, quia nemo illud a me petiit: quapropter loco diplomatis vim habeat hæc mea epiſtola per celerem curſorem delata: meum autem eſt votum, ut integre mos gereretur Venetæ Reipublicæ, etiamſi ipſa cuperet, ut ea cauſſa in pleno Concilio agitaretur: verum opportunius eſſe videtur, ut tunc ubi Oratores Veneti acquieſcerent, a vobis Theologi, qui hanc cauſſam cognoſcerent, iique ex omni natione ſeligerentur: denique ita rem peragatis velim, ut Respublica ſibi ſatisfactum intelligeret, amota omni querendi anſa.

§. LXXXV.

Viginti tres Commiſſarii ad diſcutiendam Grimmani cauſſam nominati.

Biduo poſt ſcriptam hanc epiſtolam Ro- *Litt. Legat.*
mæ diploma Oratori tradebatur, Sy- *ad Borr. 8.*
nodi autem Præſides conſentiente Gri- *& 12. Jul.*
mano Patriarcha viginti tres ex Patri- *apud Pallav.*
bus quidem deſtinarunt, cavebant ta- *n. 14.*
men, ne quempiam comprehenderent, *Viſcont. litt.*
qui aut in ditione Veneta Eccleſiam ob- *54. p. 164.*
tineret, aut alias Romæ illi cauſſæ in-

terfuis-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

terfuiſſet: idcirco fortaſſe, cum prius connumeraſſent Magiſtrum Generalem FF. Prædicatorum, eundem poſtea ab officio excluſerunt; ſelecti autem ad judicium fuere cuncti quatuor Oratores Eccleſiaſtici, tres Galli a Lotharingio Cardinale nominati, dein ceteri Epiſcopi, & alii Patres ex doctioribus Italis Belgis, Hiſpanis & Germanis, ſed quia comprehendebantur nonnulli haud Theologiæ, ſed duntaxat Canonum periti, hos poſtea Patriarcha recuſabat, ac pro eo Veneti Oratores petierunt, ut illi excluderentur, cauſſati, controverſiam eſſe mere Theologicam, & a Pontifice Legatis injunctum fuiſſe, ut in ea Theologi adhiberentur, Canonum peritis haud nominatis: quare in hoc pariter Synodi Præſides eorum votis acquieſcebant, hanc petitionem æquam cenſentes. Denique Grimanus, & Oratores, cum petere viderentur, ut ad hoſce viginti tres Præſules jam Deputatos duo quoque Cardinales Lotharingius, & Madrutius accederent, in hoc Præſides pariter conſentiebant: hujus vero cauſſæ exitum poſtea ſuo loco recenſebimus.

HISTO-

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ CONTINUATÆ

LIBER CLXV.

PIUS IV. PONTIF. MAXIMUS, FERD. I. OCC. IMP.

§. I.

Articulus circa Episcoporum electionem ad aliam Sessionem remissus.

Interea Legati illos Synodi Patres, quos Concilium ad efformanda Reformationis decreta selegerat, accersebant, dato eis negotio, ut sententias a singulis Præsulibus prolatas super decretis per ipsos digestis restringerent juxta majoris partis consensum: ast quod spectabat ad electionem Episcoporum, necesse fuit ad aliam Sessionem rem protrahi: etenim præter varias difficultates in singulorum sententiis allatas circa hoc Decretum, quod ordine primum erat, Melchior Cornelius

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

Pallav. l. 21. c. 8. n. 1.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Lusitanus Senator plura adhuc alia concessit dubia, eaque Patribus ad hoc examen destinatis communicavit, ostendens, quod quo magis Principum arbitrium in Episcopis nominandis minueretur, tanto magis multiplicaretur numerus prærogativarum, quæ ad hujusmodi gradum necessariæ forent: quare prosequebatur Senator, in dies magis experimento probatur, quod Pontifici longe minus, quam ceteris imputari valeat cunctatio in reformationis negotio, prout perperam hic a nonnullis insimulatur, dum tamen ardenter pium hoc opus promovere quidem exoptat, sed plurima obstacula prævidet. Ceterum cum Cardinalis Lotharingius, cui Patrum complures adhærebant, auctor fuisset, ut ex antiquissimis Ecclesiæ temporibus repeteretur ratio, qua varia diversorum Ordinum minorum munia innovari possent, idcirco huic negotio non sine maximo studio desudatum est, eo consilio, ut hujus rei summa in aliis Decretis apponeretur. Verum in postremo cœtu aliud consilium susceptum est, cum expenderetur, quod post tantam consuetudinum varietatem, quam fert diuturnus temporis cursus, difficulter fieri posset, ut pristinus singulorum ritus Ecclesiis integer redderetur: satius igitur esse judicatum eorum nomina

mina recenſere, & illorum uſum generatim commendare ad ſecundi capitis finem: præcipue vero, quoad fieri poſſet, opportune curandum, ut per emendationis decreta hi Ordines in uſum revocarentur. Sæc. XVI. A.C.1563.

§. II.

Caput de titularibus Epiſcopis deletum, & Seminaria approbata.

Pariter ſublatum eſt illud decreti caput, cujus deciſio jam parabatur contra novam Epiſcopos ad merum titulum creandi conſuetudinem: credebatur enim, quod Eccleſiæ neceſſarius eſſet moderatus quidam numerus Epiſcoporum, quibus citra ſui gregis detrimentum liceret ſubſervire aliis in ſuffraganeorum munere, & alii a Romanorum Pontifice tanquam Legati Apoſtolici decerni, vel ad alias Epiſcoporum functiones adhiberi valerent. *Pallav. n. 2. & 3.*

Præ ceteris etiam comprobatum eſt, ut Seminaria inſtituerentur, adeo, ut complures affirmarent, quod ſi nullus alius fructus ex eo Concilio decerptus fuiſſet, ſolus hic labores omnes & incommoda in Eccleſiæ utilitatem tolerata compenſaturus eſſet, cum id unicum ſit adjumentum, quod efficax ad reparandam collapſam diſciplinam agnoſcebatur, cum certa ſit regula, in

Sæcul XVI. A. C. 1563. omni Republica tales haberi cives, quales educantur: cum autem pro proxima Seſſione tranquille celebranda firmam inter Patres unionem revocare adlaboraretur, novus interea tumultus ſuſcitabatur, occaſione nata ex loci prærogativa, de qua Franciæ & Hiſpaniæ Oratores contendebant tanta animorum vehementia, ut tot annorum labore partus hucusque fructus exinde deperdi timeretur.

§. III.

Controverſia de loci prærogativa rurſus inter Hiſpaniæ, & Franciæ Oratores ſuſcitata.

Pallav. c. 2. Thuan. hiſt. ſui temp. l. 32

Equidem Francia, prout jam alibi memoravimus, hujus juris poſſeſſionem a tempore hominum memoriam excedente & quidem in omnibus Europæ Aulis jactitabat, illiusque juris monumenta in pluribus hiſtoricis reperiri contendebat: nihilominus Lunenſis Comes inſuperhabita litis compoſitione inter ipſum & Galliarum Oratores inita de loco ſibi in Congregationibus aſſignato queſtus ſciſcitabatur, quam ſedem occupaturus eſſet in Eccleſia, dum in feſtis ſolemnibus res divina peragetur, cum tunc circa incenſi ritum ac pacis oſculum novæ, eæque graves emer-

mergere poſſent difficultates. Fruſtra Synodi Præſides hanc litem componere ſtudebant, eoquod Comes Hiſpanus nihil admittere vellet, cujus indicio tanquam inferior haberi poſſet, viciſſim quoque Galli omnem locum acceptare renuebant, vi cujus æquali cum Hiſpanis honore non potirentur: hinc Synodi Præſides, cum Lunenſis Comes locum ſibi, ſuoque Regi honorificum in præfatis ſolemnitatibus depoſcere non deſiſteret, denuo Pontificem conſulebant, ab eo efflagitantes, ut ipſe deſuper nova mandata daret. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. IV.

Pontificis epiſtola ad Legatos in favorem Hiſpani Oratoris.

Annuit ſummus Pontifex, ac die nona Junii ſequentem transmiſit epiſtolam: „Regis Catholici Oratores enixe „nos efflagitant, ut ſicut aſſignatus ipſis „locus eſt in Conventu, & Seſſione, ita „in Solemnibus Sacrificiis honor pacis „ac Thuris eisdem exhibeatur, adeo„que nullum inferatur eorum prærogativis detrimentum; aliter enim Lu„nenſem ad diſceſſum coactum iri expo„nunt, nobis quippe intelligentibus, „præcipuum id temporis fundamentum „ad Fidem Catholicam ſuſtinendam in „Hiſpaniæ Rege, ejusque ditionibus ſi- *Pallav. l. c.*

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

"tum esse, ea illi denegare non licuit: "eapropter efficietis, ut tunc quo tempore "pacis, ac Thuris cæremonia Regis Chri- "stianissimi Oratoribus exhibebitur, per "alium Ministrum Lunensi exhibeatur: "in quo ea utemini dexteritate, quæ "vobis opportuna videbitur, dummodo "hæc jussa omnino perficiantur, atque "hæc omnia intelligantur absque detri- "mento jurium utriusque partis: de- "mum pro viribus pergite in disciplinæ "legibus sanciendis, quo nihil gratius "præstare nobis poteritis, prout jam "sæpius, satisque luculenter vobis signi- "ficavimus. „

§. V.

Binæ epistolæ Pontificis literis a Cardinale Borromæo adjunctæ.

Hanc Pontificis epistolam duæ insuper a Cardinale Borromæo exaratæ comitabantur: quarum prima die nona, altera vero duodecima Junii erat data, atque in illa præcipiebatur, ut non modo profundissimum silentium cum singulis excepto Lunensi servetur, sed etiam maxima, qua fieri posset dexteritate res perficeretur: committebatur etiam electio Ministrorum, qui in pacis signum iconem deosculandam, necnon Thuris suffimentum essent exhibituri, in altera vero epistola dicebatur

batur, haud gratum Pontifici futurum, si legati ea agendi ratione uterentur, quam in prioris mandati executione tenuissent, dum palam edixerant, id jussu Pontificis factum fuisse, unde Synodus dissolvenda pene fuit: idcirco cum ad rem ventum esset, oporteret exponi, id quidem jussu Pontificis agi, ita tamen, ut simul etiam palam fieret, id a Rege quoque Catholico postulari, ne Comes Lunensis Tridento secedendi ansam quæreret. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Legati acceptis hisce Papæ mandatis, die vigesima secunda Junii ea de re certiorem reddebant Lunensem Comitem, qui sibi satisfactum testabatur, nihilominus Legatos rogabat, ut per Dracovitium Quinqueeccleſienſem Episcopum Cæsaris atorem Lotharingii Cardinalis animum explorarent, eique proponerent, decisum esse, ut duplex thuribulum, ac duplex imago deoscularanda exhiberetur, hocque concordiam revocandi medium a Cæsare jam antea fuisse propositum. Itaque Dracovitius hac de re agebat cum Cardinale, qui tamen hanc propositionem mox rejecit: unde ille ad aliud moderamen progressus exponebat, ut eo die illorum neutri pax, & thus exhiberetur, quæ ratio ætate Julii III. usurpata est, ad evitandam contentionem inter Oratores

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

Lusitanum, & Hungarum. Verum neque id Lotharingio Cardinali probatum, qui tandem interrogatus a Dracovizio, quodnam ipsi consilium occurreret, non tanquam Gallo, sed tanquam Cardinali, bonique publici studioso, duo protulit: quorum alterum, ut Lunensis Comes accederet ad Sessionem nonnisi sub finem Sacrificii, & peractis jam illis ritibus, de quibus erat inter Oratores contentio: alterum vero erat, ut thus & pacis honor exhiberetur Lunensi Comiti post cunctos reliquos Oratores, cum per id nihil dignitatis eidem detrahatur: quemadmodum enim sedebat in loco sejuncto ab ordine reliquorum, ita ipsi liceret omni suo jure illæso honores illos excipere, postquam eos universo reliquorum ordini Ministri præstitissent, idque comprobari posse ajebat exemplo illic citra omnem controversiam usurpato: siquidem nec Orator laicus Cæsaris, neque Gallici Oratores dedignabantur thus, ac pacem recipere post Oratores Poloniæ, & Sabaudiæ, eoquod hi essent Ecclesiastici, adeoque in diversa serie considentes.

Verum nihilo magis Dracovitio hæc placuere consilia, quæ Lotharingius proposuit, quam antea Lotharingio a Dracovitio exposita: quapropter Quinqueecclesiensis Episcopus Legatis significabat,

bat, nullam concordiæ ſpem reliquam eſſe. Sæcul. XVI. A. C. 1563.

§. VI.

Lunenſis Comes inſciis Gallis ex improviſo Eccleſiam accedens.

Hac relatione percepta eo conſilium abiit, ut Gallis inſciis, nilque cogitantibus res perficeretur: id autem hac ratione factum: die vigeſima nona Junii Divo Petro ſacra Oratores, ac plurimi Præſules ad Præſidum ædes convenerant, eosdem ad Eccleſiam comitaturi, cumque prope eſſent, ut e domo ſua egrederentur, clam eisdem inſinuatum, quod Hiſpaniæ Orator pariter Templum adire pararet, quibusdam ſuæ Nationis Prælatis ſtipatus. Re percepta Legati ſecreto ſacrorum rituum Magiſtrum jubebant, ut ad Sacriſtiam ſedem quamdam deferri, atque exteros duos Presbyteros acciri curaret, qui eodem tempore, quo Altaris Miniſtri exirent, & ipſi e Sacriſtia egrederentur, atque tam æquali greſſu cum illis incederent, ut incenſum, & pacis ſignum eodem prorſus momento Franciæ ſimul & Hiſpaniæ Oratoribus juxta Pontificis mandata exhiberentur. Hæc conſilia Gallos, qui apud Præſides erant, tum adhuc latebant, nec quicquam eis ſuboluit, donec ad Eccleſiam delati eſſent: verum

Pallav. c. 8. num. 7. Viſconti t. 2. Lett. 48. pag. 122. Thuan. l. 36. num. 6.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

verum suas vix sedes occupabant, cum illico Hispaniæ Oratorem ingredi cernerent, Missa nondum incæpta, quæ eo die ab Astensi Episcopo Sabaudiæ Ducis Oratore celebrabatur: afferebatur ergo quantocius e Sacrario sedes quædam rubra serico contexta pro Hispano Oratore, ac illa prope columnam Cathedralis Ecclesiæ in superiori parte, ubi ea res peragebatur, collocatur inter Madrutium Cardinalem, & primum Patriarcham, atque exiguo sejuncta intervallo a sublimioribus sedibus, quæ pro Cardinalibus erant destinatæ: itaque Comes mox hanc sedem occupat, adeo, ut velut e regione Oratorum Laicorum consideret; nam Oratores Laici alibi locum obtinebant ad dexteram Præsidum collocati.

§. VII.

Gallorum indignatio, ac tumultus inde inter Patres suscitatus.

Pallav. l. c. Sarp. p. 701.

Hæc rei novitas non parum commovebat Gallos, atque inter eos Lotharingius Cardinalis acriter coram Legatis querebatur, præsertim eam ob caussam, quod ne verbo quidem antea fuerit admonitus, & Pontificis jussa silentio adeo religioso celarentur. Inde mox ingens inter Patres murmur excitabatur: sed majorem suspicionibus, sermo-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

sermonibusque siniſtris materiam præbebat ſequens agendi ratio, quippe Franciæ Oratores aliquantulum inter ſe muſſitantes a cæremoniarum Magiſtro ad ſe accerſito percunctati ſunt, quid agere cogitaret de Thuris, ac pacis ritu, auditoque ejus conſilio, quod hac in re exequi decreviſſet, illum ablegarunt ad Legatos, palamque querebantur, quod Lunenſi Comiti honor tribueretur, qui in Franciæ præjudicium cederet, quin tamen antea vel Lotharingius Cardinalis, nec alius quisquam ex Regis Chriſtianiſſimi Miniſtris vocatus, ac auditus fuiſſet. Horum Oratorum querelis Lotharingius Cardinalis, qui penes Legatos conſidebat, plura adhuc addidit, adeo, ut mutua hæc concertatio usque ad ſacri Evangelii finem perduraret, quinimo Lotharingius etiam hæc effutire audebat: „Galli „diſertis verbis juſſi ſunt ad Synodum „provocare, ac reclamare adverſus „Pium IV. quem non legitimum Pon„tificem eſſe utpote per ſimoniam e„lectum credunt, imo penes Reginam „Franciæ Adminiſtratricem literæ ex„ſtant proprio Pii IV. chirographo exar„ratæ id evidenter comprobantes. (*) His

(*) En! quam cito ob privatam indignationem cauſſam-

Sæcul. XVI A. C. 1563.

"His addebant Galli: „Etiamsi Pius "sit Pontifex legitime electus, nos ta- "men ab eo appellabimus tanquam a "Pontifice Tyrannico, qui exauctorari "meretur ob publicam injustitiam, qua "Regem pupillum quodam jure spoliare "attentat, quo tamen absque contro- "versia per plura sæcula fruebatur, & "id ne audita quidem illius causa.„ Pariter Franciam sejunctum iri a Pii IV. obedientia minitantes, palam profite- bantur, se nunquam in Papæ obse- quium reversuros, donec alius æquior Pontifex spoliatum Regem redintegra- ret: nec his contentus Cardinalis Lo- tharingius insuper prædicebat, cunctos Franciæ Prælatos Tridento recessuros, ac Religionis negotia intra Regnum vel per proprias Nationis Synodos, vel alia meliori ratione procuraturos.

§. VIII.

causſamque mere profanam ab hisce Viris Pontifex pro illegitimo, ac simoniace electo habetur, qui tamen ab iisdem jam, atque ab universa Ecclesia per quatuor omnino annos tanquam legitimus ac minime dubius colebatur; Ita nempe familiaris evasit illegitimi Pontificatus obtentus ad exercendam ultionem in Pontifices excogitatus! Ad hæc tamen observat Pallavicinus, hæc verba fuisse *veluti explosum tormentum strepitu quidem horribile, sed pila non validum.*

§. VIII.

Sæc. XVI. A. C. 1563.

Legati sub sermone cum ceteris ad Sacristiam recedentes.

Equidem Muglitzius, & Dracovitius, qui tanquam primi Oratores Ecclesiastici Legatis proximi considebant, nullum non movebant lapidem, ut animos placarent: denique cum concio recitato sacro Evangelio inchoanda esset, ac secreta indignatio in generalem strepitum degenerans per totam Ecclesiam resonaret, Præsides in Sacrarium se contulerunt unacum duobus Cardinalibus Lotharingio, & Madrutio, necnon Cæsaris & Poloniæ Regis Oratoribus. Tum Lotharingius acciri voluit Ferrerium Archiepiscopum Senonensem, & Episcopum Aurelianensem, qui ad illum locum convenerunt unacum Guerrero Granatensi Archiepiscopo, qui eis retulit, se fuisse cum Comite Lunensi collocutum, hunc vero optare, ut mandata Pontificis executioni darentur, cum eis omnino insistere vellet. Nihilominus Legati, cum ex eodem Guerrero percepissent, quod Comes amicitiam cum Gallis abrumpere a Rege Catholico prohibitus fuisset, hinc censebant, cautius esse procedendum, ne Synodus dissolveretur, ac simul honor

Pallav. c. 8. num. 8. Mem. pour le Conc. du Tsente dans la relat. du I. Juill. pag. 453.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

nor, & ſupremi Pontificis dignitas illæſa ſervaretur.

§. IX.

Galli ſuæ opinioni pertinaciter inſiſtentes, ac cedere renuentes.

Ex altera parte, cum Galli ſua oppoſitione, ac minis continuato fervore tumultuarentur, Legati nil intentatum relinquebant, ut illos placarent: unde Moronus illis fidem fecerat, quod ipſorum jura nequaquam hac in occaſione eſſent violata, cum jam ad Synodi initium non modo fuiſſet ſancitum, quod quiscunque ſedendi ordo nullius juri quicquam deroget, ſed inſuper etiam per privatam epiſtolam a Pontifice declaratum, quod Hiſpaniæ Regis Orator, ut aliis cedat, invitus cogi non poſſet, ac aliunde Galli, cum jam antea conſenſiſſent, ut hic extra ordinem ſederet, pariter conſentire valerent, ut eidem incenſum, & pacis oſculum extra ordinem ac præter morem adhiberetur. (*) reponebant tamen Galli, quod inter Franciæ, & Hiſpaniæ Oratores honoris æqualitatem poni, nequaquam permittere valerent, ſi vero utrique incenſum, pacisque oſculum eodem

(*) Ex hac ratione manifeſte elucet querendi cauſſam fuiſſe quæſitam, non datam.

eodem omnino tempore adhiberetur, hoc idem foret, acſi prærogativæ poſſeſſio Hiſpanis aſſereretur, eisque novus titulus quodammodo tribueretur: ferventibus autem hiſce diſſidiis abſolvebatur ſermo, ac ille, qui rem Divinam peragebat, diu exſpectare coactus eſt, priusquam Symbolum Apoſtolicum in Miſſa inchoare poſſet. Sæc. XVI. A.C. 1563.

§. X.

Granatenſis Archiepiſcopus ad Lunenſem Comitem flectendum miſſus.

Denique Præſides, ut ab hac controverſia ſe expedirent, Granatenſem Archiepiſcopum inducebant, ut is Lunenſem Comitem rogatum adiret, quatenus hic tum nulli omnino incenſum, pacisque oſculum præberi conſentiret, hacque ratione Gallis reclamandi obtentus adimeretur, facta tamen Comiti fide, quod tunc ſi poſtulaturus eſſet, ut Pontificis juſſa circa incenſum, & pacis oſculum eodem tempore utrique dandum executioni mandarentur, Legati id facere parati eſſent. Comes hac declaratione contentus aſſenſit, ut nec pax, nec thus hac vice adhiberetur, ſibi tamen ſemper integrum eſſet, jubere, ut Papæ mandatum in opus deduceretur,

Sæc. XVI. A. C. 1563.

retur, si occasio magis propitia sese offerret.

§. XI.

Nec pax data, nec incensum adhibitum ex Comitis & Gallorum assensu.

Pallav. c. 8. num. 9.

Cum ergo pariter Galli utrumque hunc ritum omitti consentirent, insuper petebant, ut non modo Oratorum nulli, sed neque Legatis, Cardinalibus, aliisque Prælatis pax & incensum præberetur: id etiam eorum precibus datum: itaque hac concordia inita Legati ad Ecclesiam rediere, ubi Sacrificium Missæ continuabatur, eo autem absoluto Lunensis Comes, qui pro more suo omnibus posterior e conventibus excesserat, ipsam Crucem præibat.

§. XII.

Paleottus ad Gallorum oppositionem respondere jussus, sed id muneris recusans.

Pallav. n. 1. cap. 9.

Eadem die omnes Principum Oratores adiere Legatos, alii jus suum defensuri, alii litem componere parati. Præsides vero singulis respondebant, sibi non licere obedientiæ, quam Papæ jussis deberent, deesse: cum autem prævideretur, quod Galli suas oppositiones interponere haud cunctaturi essent,

sent, hinc Simonetta Cardinalis Gabrielem Paleottum accersens, eidem Pontificis jussa communicabat, significans, ut responsi exemplum digereret. Ast Paleottus respondit: mihi videtur, divino obsequio, ac bono Pontificis adversari, quod absque necessitate ignis immensus, & forsitan inextinquibilis accendatur: cum aliunde cuncti Synodi Patres obortis lacrymis Galliæ schisma contra Ecclesiam Romanam prævideant, & Orator Poloniæ prænuntiasset, una cum Galliæ jactura Poloniam perditum iri: ad hæc Simonetta reposuit, mandato Pontificis tam diserto legatos urgeri, ut eorum munus esset, non prudentiam in expendenda re, sed obsequium in ea perficienda exercere, adeoque auxilium ab eo, non consilium peti: verum rursus Paleottus in responsis dabat, quod suam operam conferre nollet ad id, ex quo Ecclesiæ ruinam imminere prævideret, atque in tali eventu potius Dei, qui Pontifice, & quocunque alio Principe superior est, quam Papæ voluntati obtemperare vellet: cum schismati in Ecclesia ansam præbere, ab ipso Deo prohibitum esset, aliunde vero omnes Jurium Interpretes unanimi suffragio declararent, quod hominis præceptum nullam vim obtineat, si in ejus exe- Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

cutione tam gravis conditionum mutatio emergit, ut Superior, qui eam non prævidit, si tamen eam prævidisset, sua jussa revocaturus, merito præsumi possit.

§. XIII.

Papa de sinistro rei successu per Legatorum literas edoctus.

Pallav. c. 9. num. 1.

Ejusdem quoque opinionis erat Boncompagnus æque, ac Navagerus Cardinales, quos Simonetta ad idem negotium accersérat: quapropter ceteri Legati ad Papam hæc perscribere decreverunt: „Hoc facinus displicuit non „modo illis, quibus potissimum inter„erat, sed etiam Lusitanis, ac Hispano„rum nonnullis, qui censebant, haud „æquum esse, quod Rex pupillus ne„quidem auditus ab avita possessione „detrudatur: præcipue cum nec Ferdi„nandus Philippi II. Patruus in sua Aula, „imo nec Pontifex in sua Curia, ubi „tamen majori libertate quam in Sy„nodo uti potuisset, Hispaniæ Oratori „primum locum attribuere voluerit; „insuper nuntiatum est nobis, Gallis „Oratoribus esse in animo nos adire, „ac declarare, quod libertas, ac securi„tas toties a Pontifice promissa non in„veniretur, eoquod Patribus non au„ditis pro summo imperio atque auctoritate

„ritate novitas primogenito Ecclesiæ „Filio tantopere noxia introduceretur.„ Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Insuper Legati hæc addebant: „hæc „actio non modo tanquam injusta, sed „& ut noxia a Gallis damnatur, qui „suam oppositionem prima die Domi„nica proferendam jam parant, altera „die e Synodo discessuri: quinimo mi„nitantur iidem, quod in ipsius Pon„tificis caput insidias struere, eumque „tanquam simoniace electum, atque „schismaticum traducere, eoque exau„ctorato alium Papam creare velint, „jactitantes, quod perverso eorum con„silio omnes Septentrionis populi ac„cessuri essent: aliunde vero rumor in„valescit, quod Papa ideo hanc agendi „rationem teneret, ut dissoluta hac Sy„nodo haud amplius emendationi in„cumbere cogeretur, proin ipsemet „ponderaret, an consultum foret, „executionem urgere illius mandati, „ex quo tam gravis offensio oriri possit, „quæ nequidem a nobis prævisa fuit, „dum a Pontifice suam voluntatem a„periri efflagitavimus: insuper prompta „est Hispaniæ Ministris excusatio, cum „hi hanc telam non exorsi sint, nisi quia „tot inde tumultus suscitari haud præ„vidissent.„ Denique Legati, ne se tanquam imbecilles, minusque constantes ostenderent, mandati Pontificii executionem

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

nem, si eam urgere velit Pontifex, pollicebantur, interea vero rem protrahere vellent, donec responsum ab eo accepturi essent: præterea nuntiabant, quod Lotharingius Mussotum, quem a secretis habebat, ad Papam ablegarit, qui exposita rei serie in Franciam redeundi facultatem petiisse dicebatur.

§. XIV.

Lotharingii Cardinalis epistola ad Papam circa hoc negotium.

Pallav. l. 9. num. 2. Mem. p. 448.

Enimvero Mussotus die trigesima prima hujus Mensis, Legatorum Tabellario nondum abeunte, viam arripuerat, quadam Lotharingii Cardinalis epistola eodem die ad Papam data munitus, cujus tenor erat sequens: „Beatissime Pater! verbis exprimere ne„queo animi mœrorem, quo die vige„sima nona hujus Mensis afficiebar, „quod Sanctitatis vestræ Legati re non „communicata consenserint, ut Lunen„sis Comes Missam accederet, & deli„beratione prius inter eos habita prout „mihi nuntiatum est, hi eidem locum in „Ecclesia assignarint, eique incensum „& pacem eodem tempore, quo Franciæ „Oratoribus, præberi permiserint, quæ „res merito innovatio, ac pristinæ con„suetudinis semper observatæ mutatio „appel-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„appellari valet, non sine præjudicio „nostri Regis introducta. Ceterum haud „tacendum esse arbitror in tanti mo„menti negotio, nam cum Sacræ Sedis „membrum, atque addictus Sanctitatis „vestræ servus sim „ mearum partium „esse existimo, ut cum omni submissio„ne debita exponam, quod valde mi„ratus sim, a Sanctitate vestra rem esse „præceptam, ex qua inter potentissi„mos Christianæ Reipublicæ Principes „bellum oriri, Francia a Sacræ Sedis „obsequio avelli, ac schisma, quo nul„lum in Ecclesia magis funestum huc„usque fuit, oriri posset, hinc rogo, „ut Sanctitas vestra perbenigne conce„dat, quatenus cum omni, qua possum, „moderatione libere mentem meam „circa hoc negotium promam, singula „verba Sanctitatis suæ judicio, ac cen„suræ subjiciens. Obsecro itaque, ut „teneram Regis mei ætatem, & præ„clara suorum Prædecessorum obsequia „Sedi Apostolicæ præstita ponderare, „atque exinde commensurari velit gra„vitatem injuriæ, quæ Regi inferretur, „si a summo Pontifice, qui communis „Pater, ac pupillorum Protector est, „prærogativa quædam, qua nemine con„tradicente ejus Majores tranquille frue„bantur, eidem causa non audita auffer„retur: enimvero satmirum videtur, quod

Sæcul. XVI. A.C 1563.

„Sanctitas vestra Concilio ejusmodi sen-
„tentiam, quin prius partis contenden-
„tis rationes exceperit, quodammodo
„præscribere, atque consentiente eo-
„dem Concilio tantum damnum pupil-
„lo Franciæ Regi inferre voluerit. Ju-
„dicio Sanctitatis vestræ relinquo, an
„ejusmodi agendi ratio commendari
„mereatur: porro id unice addam, quod
„tunc nisi magna prudentia, ac pietas
„comitis Lunensis, & nostra moderatio
„obstitisset, ex culpa Legatorum acci-
„dere potuisset, ut Patres hunc diem
„festum sane funestissimum, ac infeli-
„cissimum reddidissent omnium, quos
„Christiana Respublica, vel unquam
„deploraverat.,

„Verum ab hisce abstineo, sed uni-
„ce cum modestia, ac humilitate queror,
„quod Sanctitas vestra per Legatos suos
„& Musottum, quem ab epistolis ha-
„beo, mihi significari jusserit, quod
„tantam in me fiduciam reponeret, ut
„omnia in Concilio agenda mihi com-
„municari voluerit, & nihilominus ni-
„hil eorum scio, imo potius contra-
„rium: non id tamen mihi molestum
„accidit, cum unice ad Sanctitatis ve-
„stræ obsequia intentus sim: verum a-
„crius me offendit, ac summopere di-
„splicuit, quod Legati vestri sub vio-
„latæ obedientiæ pœnis prohibiti fue-
rint,

„rint, ne quid ex iis, quæ tamen me pri- Sæcul. XVI.
„vatim concernunt, mihi communica- A C. 1563.
„rent: exinde autem sat aperte elucet,
„quantam Sanctitas vestra in me diffi-
„dentiam posuerit, cum ea etiam ne-
„gotia, in quibus utiliorem, quam ce-
„teri omnes, operam impendere potuis-
„sem, mihi communicari noluerit: unde
„oritur summa doloris mei acerbitas, qua
„affligi nec ob meam agendi rationem, nec
„ob animum erga Sanctitatem vestram
„propensum unquam promeritus sum.

"Nihilominus Sanctitatem vestram
"persuasam velim, quod me ejus ju-
"diciis subjiciam, & omnes inju-
"rias mihi illatas, vel inferendas vel-
"uti totidem favores recipiam, persua-
"sus, quod hac ratione mecum unice
"ideo agat, quia meam sibi fidem in-
"violabili nexu addictam noscit: ea-
"propter haud dubitanter affero, quod,
"si hoc negotium opportuno tempore
"mihi fuisset communicatum, omnem
"impendissem operam, ut magis secun-
"dus inde successus evenisset, ac nemo
"offensus fuisset, quod tamen præstare
"haud potuimus, cum res ex impro-
"viso ageretur: pejorem tamen adhuc
"exitum res fuisset sortita, nisi mea, &
"cujusdam probi Præsulis Hispani (*)

(*) Guerrerum significabat Granatensem Archiepiscopum.

Sæcul. XVI A.C. 1563.

"opera interceſſiſſet, qui Lunenſi Co-
"miti perſuaſerat, ut nequidem Lega-
"tis veſtris incœnſum, & pacis oſculum
"offerretur; certiſſimum igitur omnino
"eſt, quod minimum malorum, quæ
"contingere poterant, fuiſſet Synodi
"diſſolutio, quia Legati nulla habita
"verborum meorum ratione omnino
"Sanctitatis veſtræ juſſa exequi decre-
"verant. Hæc cum libertate Sanctitati
"veſtræ exponere volui, ad id adactus
"a dignitatis gradu, quem in Eccleſia
"obtineo, necnon a Zelo, quo bonum
"publicum promovere ſtudeo, ſi vero ju-
"tua ad exitum deduci præceperis, nos
"Oratores declarabimus, quod nos, quia
"Sanctitas veſtra officio Parentis relicto,
"judicis partes obire exoptat, & non
"auditis Galliæ Regis rationibus
"ſententiam pronuntiat, Regemque no-
"ſtrum ex ſuperiori æqualem reddere
"vult, nos nunquam ejusmodi judicio
"conſenſuri, ſed Regis jura tueri pa-
"rati, nullaque nec Synodi, nec Per-
"ſonæ habita ratione, prout opportune
"videbitur, acturi ſimus. „

„De cetero ſatis probe compertum
"eſt Sanctitati veſtræ, nihil minus to-
"lerandum accidere Principibus, quam
"ſe injuria offenſos cernere; unde iræ
"ſuæ cunctis modis indulgent, cunctis-
"que rationibus oculos claudunt, &
miniſtri

Sæcul. XVI. A.C.1563.

"miniſtri eorum coguntur interdum, ut "obſequantur Principibus ad ea, quæ ſibi "diſplicent, peragenda.

„Porro negotii gravitas me compel- "lit, ut nihil diſſimulans Sanctitati ve- "ſtræ declarem, nullum ibi eſſe Præſu- "lem aut Hiſpanum, aut Italum, qui ea "de re probe edoctus hanc agendi ratio- "nem non condemnet, ac contra Pa- "pam vociferetur: igitur Sanctitatem "veſtram rogo per viſcera Chriſti Domini, "ne tot malorum Author, ac cauſſa eſſe "velit, ſed potius omnes hoſce tumul- "tus diſſipet, ac Synodum progredi "ſinat, ſiquidem illius proſper, & feſti- "nus exitus, ſi hoc non eveniſſet, ſpe- "rari potuiſſet. Polliceor tamen, quod ſi "Sanctitati veſtræ a concepto Regis mei "juribus derogandi propoſito reſilire pla- "cuerit, omnes meas vires impendere "velim, ut Synodus tranquille conti- "nuari valeat, ſi autem in hanc epi- "ſtolam quicquam, quod Sanctitatem "veſtram offendere poſſet, irrepſerit, "id in benigniorem partem vertere at- "que Zelo adſcribat, quo com- "mune Chriſtiani orbis emolumentum "procurare ſtudeo, ac illius tranquilli- "tatem exopto, ejusque exiſtimatio- "nem promovere cupio. Denique haud "absque re me facturum arbitratus ſum, "ſi Muſotum, qui mihi a ſecretis, ad

Sæcul. XVI A.C. 1563.

„Sanctitatem vestram ablegaverim, ro„gans, ut ejus verbis fidem adhibere „dignetur. Jam humillime exoſculor „Sanctitatis vestræ pedes.„

Hæc epistola Italo sermone scripta in eodem idiomate recitatur in commentariis ad Concilium Tridentinum.

§. XV.

Alia ejusdem Cardinalis epistola ad Papam.

Pallav. l. 21. c. 9. n. 4.

Cum Legatorum Tabellarius paucis horis post Musotti discessum evolutis iter aggredi pararet, idem Lotharingius Cardinalis eidem aliam tradidit epistolam latine scriptam, in qua summo Pontifici hæc exponebat: „di„scessit Musotus, ut propter novos tu„multus in festo Divi Petri exortos de„plorandum Synodi statum Sanctitati „vestræ exponeret: cum autem com„perirem, quod Legati pariter eandem „ob rem Nuntium Romam omni celeri„tate decernerent, hac occasione usus „rursus Sanctitatem vestram exoro, ne „schisma in Ecclesiam inducat, pro„sperum Synodi exitum perturbando: „de cetero credat omnino, cuncta esse „tranquille dispositа, ut præfixa die „Sessio haberi possit, cunctaque decreta „unanimi Patrum consensu sint reci„pienda, hac autem Sessione finita de „securo

„ſecuro portu, in quo Synodus tuto „abſolvi valeat, inveniendo agetur. „Itaque rogo, ut Sanctitas veſtra om„nem de me diffidentiam deinceps, ſe„ponat, certaque ſit de meo Zelo to„ties promiſſo erga Dei gloriam, Sedis „Apoſtolicæ dignitatem, & ipſam quo„que Sanctitatis veſtræ perſonam. Pre„cor denique Deum, ut pro ſancti No„minis ſui gloria, ac Eccleſiæ utilitate „Sanctitatem veſtram regere & guber„nare dignetur.„ Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. XVI.

Lunenſis Comitis propoſitum de exequendis Pii IV. juſſis a Legatis eidem Papæ ſignificatum.

Pariter Legatorum Tabellarius alteram ſimul ab eis exarratam detulit epiſtolam, in qua Cardinalem Borromæum rogabant, ut Pontifici ſignificaret, quod nunc, quamvis Lunenſis Comes proxima die Dominica unacum ceteris Oratoribus Miſſam non adire decreviſſet, nuntiatum eſſet, quod mutata animi ſententia Cæſarei Oratores ſuam ei operam junxiſſent, & ſi Galli oppoſitionem ſuam producere auderent, ipſi eis ſatis graviter reſpondere vellent, præcipue, ſi minus reverenter de ſummo Pontifice loqui præſumerent, aut minitarentur, ipſis receden- *Pallav. l. 21. c. 9. n. 4.*

Sæcul. XVI. A.C.1563.

cedentibus hanc Synodum haud amplius continuatum iri. Insuper significabant, quod Lunensi Comiti plures adhærerent Episcopi, sique is juxta animi sui propositum agere pergeret, merito timendum esset, ne hæc contentio adhuc magis efferveſcat. Ceterum donec responsum ad hanc epistolam referretur, Legati nulli omnino labori parcebant, ut animos magis accendi præpedirent, ac præcipue, ne Lunensis Comes, quocum hac super re conferebant, ad extrema prolaberetur.

§. XVII.

Papæ epistola ad Legatos suos.

Pallav. c.10. num. 4.

Ad hanc epistolam summus Pontifex his verbis rescripsit: *Nostræ mentis non fuit, per eam jussionem, qua injunximus, ut pacis imago, & thus exhiberentur, ulli partium detrimentum inferri, nec existimamus illud illatum fuisse. Si oppositum intendunt Galli, placet nobis, ut id a vobis una cum Synodo cognoscatur; simulque prospiciatis, ne cui inferatur injuria: quod si tamen Regis Catholici ministri hoc judicium recusaverint, de hoc ipso nos commonebitis: interim vero jussionem hanc de pace, ac thure pro suspensa habeatis velim. Nos vero omnem operam utrimque impendemus ad concordiam consequendam, & quod spectat ad justi-*

justitiam, nulli deerimus, quin tamen ab æquitatis legibus deflectamus. Sæcul. XVI. A. C. 1562

Accepta hac epistola Legati majori, quam unquam fervore, Gallorum animos placare satagebant, atque ad hanc agendi rationem forte ex eo movebantur, eoquod Gallorum, ut vocant, protestationem jamjam esse paratam comperissent, ac Ferrerius Præses, cui id muneris erat demandatum, verba adeo mordacia adhibere jussus fuisset, ut in illis ubique animi vehementia rancorque dominari videretur.

§. XVIII.

Oratio Ferrerii ad modum protestationis concinnata.

Itaque Ferrerius ita perorabat: *Cum videamus, Patres Sanctissimi, vos ex omnibus totius orbis Christianissimi Provinciis, conciliandarum de Religione controversiarum caussa, in hunc locum advenisse, idque maxime factum fuisse, diligentia, opera, studio Francisci, & Caroli Fratrum, Regum Christianissimorum, qui apud Pontifices Maximos, Regem Catholicum, & ceteros Reges, & Principes Christianos hanc Synodum oecumenicam primi promoverunt, non possumus non graviter, & moleste ferre nostram legationem in ea tempora & angustias incidisse, ut cogamur aut re infecta abire, aut antiquam Regis nostri* Sarp. p. 704. Mem. de Trente pag. 485.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

noſtri dignitatem minuentibus aſſentiri: quæ fuerit Regum Chriſtianiſſimorum præ ceteris Regibus auctoritas, dignitas, & prærogativa, norunt, qui juri Pontificio, & receptis in Eccleſia Romana hiſtoriarum libris operam dederunt, ſediſſe autem & præceſſiſſe in Conciliis Eccleſiæ Generalibus, antiquis, & noviſſimis, Regis Chriſtianiſſimi Oratores, qui Conciliorum volumina legiſtis, non poteſtis ignorare: qui vero juriſconſulti eſtis, negare haud licet hujus antiquæ & perpetuæ poſſeſſionis æquitatem & veritatem, cum ſint plura conjuncta, & neceſſario conſequentia capita, vim in uno factam, in omnibus factam videri: videtis autem, Patres Sanctiſſimi, & oculis cernitis id, quod hodie fit adverſus antiquiſſimam poſſeſſionem, contra omnia jura divina, & humana, pupillumque Regem Chriſtianiſſimum. Regis Catholici Oratores in Conciliis Generalibus, poſt Regis Chriſtianiſſimi Oratores ſemper ſtedebant, & incedebant, Eccleſiaſticarum ceremoniarum honores accipiebant; immutata hodie res eſt, & Regibus Chriſtianiſſimis antiquiſſima prærogativa adempta, non quidem a vobis, Patres Sanctiſſimi, qui ſi antiquum dignitatis & libertatis veſtræ gradum retineretis, potius Majorum veſtrorum exemplo Regibus & Principibus avita Regna & imperia, unde eſſent iniique expulſi, reſtitueretis, quam antiqua poſſeſ-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

possessione quemquam moveri pateremini. Nihil item factum est hac in re a Serenissimo Principe Rege Catholico, cui cum Rege Pupillo quanta sit amicitia, eaque cum affinitate conjuncta, nemo est, qui non intelligat. Quem igitur accusamus? adeo nos, Patres Sapientissimi, hujus impietatis pudet, piget, tædet & miseret, ut, si fieri ulla ratione posset, auctoris nomini parceremus; quis enim adeo impius Pater, a quo si filius panem petierit, non ei panem det, si piscem, piscem, si ovum, ovum? & tamen inventus est omnium Christianorum Pater, qui pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro ovo scorpium filio primogenito dederit. Veneramus nos Galli esurientes, & famelici petentes a Beatissimo Papa, velut communi Patre, panem non quidem naturalem, cujus non indiget Gallia, Regio feracissima, sed illum divinum Angelorum, & supersubstantialem, cujus in toto fere Christiano orbe tanta fuit caritas, deinde inopia, ut vix unquam post Christum natum major: ille vero non quidem dedit panem, quem petebamus, sed Scorpium, cujus cauda uno ictu simul Regem Christianissimum, & Ecclesiam Gallicanam feriet. Sic enim existimat Pius IV., qui dum prætexit unitatem & concordiam Ecclesiæ, aperta spargit dissidiorum semina, sperans hoc suo discordiæ pane, maximorum Regum bene compo-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

compositam pacem facile posse dejicere, unanimesque Reges fratres in prælia armare, & mutando per vim, & scelus Ordinem, quo semper, & novissime in Concilio Constantiensi, & Lateranensi sederunt Regis Christianissimi Oratores, ipse æquus, scilicet caussæ suæ, judex & æstimator, manifestum facere, Papam esse supra Concilium, ausus est, sed errat toto cælo, quoniam horum Regum amicitia altius radices egit, quam ut isto levissimo vento evelli posse videatur. Nostra vero de decretis Concilii Constantiensis, & Basileensis, ea semper erit constans & perpetua sententia, quæ de Conciliis Ecclesiæ universalibus inter omnes Catholicos esse debet: audierat, & didicerat Petrus, aut ex statere (in ore piscis invento, aut cum rogaretur Pharisæus, cujus esset imago, aut cum dictum est, quis me constituit judicem, aut ex responso Matris filiorum Zebedæi, non esse miscendum psalterium cum Cythara, hic autem Petri Successor, & non imitator, ausus est Regibus & Principibus non solum novos honores, & prærogativas tribuere, & præscribere, sed etiam veteres suo motu & voluntate mutare. Magna quidem fuit jure divino, gentium, & civili habita ratio filii primogeniti, qui non solum vivo Patre inter fratres primum, & præcipuum honoris gradum teneret, sed etiam defuncto, hæredi-

Sæc. XVI. A.C. 1563.

reditatis paternæ majorem partem cerneret. Hic autem Pius IV. non existimat Regem Christianissimum Ecclesiæ Catholicæ filium primogenitum ulla in re præferendum ceteris Regibus, qui longo post illum tempore, suo præsertim exemplo, & opera Ecclesiæ Catholicæ nati sunt. Fuit certe Regis Salomonis, & quorumdam Judeæ Regum magna impietas, & gravissima scelera: verum noluit Dominus ob Davidis memoriam, & egregia ejus in Ecclesiam merita, quamdiu Salomon vixit, de Regni amplitudine, de dignitate, & auctoritate, quicquam detrahere, neque duas illas tribus, quibus Reges Judeæ imperabant, omnino perdere. Pius autem IV. nulla habita meritorum in Ecclesiam Romanam, Pipini, Caroli Magni, Divi Ludovici, & aliorum Galliæ Regum, qui ipsam Romani Pontificis Sedem, & omnem, quem habet Ecclesia Romana reditum, & multo majorem, quem nunc possidet, munifice, & tam large donarunt, Primatum in Ecclesia occidentali, & Imperium Pontificibus Romanis concesserunt, ipsos Urbe profugos, & exules in suam Sedem, & dignitatem sæpe restituerunt, carcere detrusos exemerunt, sanguinem toties pro Sedis Romanæ amplitudine fuderunt, bellum Sacrum instaurarunt, confecerunt: quodque intolerabilius est, eo tempore, quo Regina Christianissima pupilli Regis Mater in periculum adduxit

Sæcul. XVI. A C. 1563.

tanti Regni Imperium, ob hanc solam causam, ut posset Ecclesiæ Romanæ auctoritatem in Gallia sartam, tectam conservare, iste inquam Pius IV crudeliter ingratus, priscam Regibus Galliæ prærogativam, & honorem, quæ semper fuerunt Regibus charissima pignora, suo decreto abstulit. Noluit Deus prius judicare, quam descendisset, & vidisset: prohibent Pontificum & Imperatorum constitutiones, jure-consultorum responsa, quemquam indicta causa condemnare, vel pronuntiare de re, quæ in controversiam, & judicium deducta non est. Hic autem Pius IV. contemptis omnibus legibus divinis & humanis, non solum de plano, aut per libellum, sed sine ulla omnino edictione, contestatione, vel cognitione Regem condemnat. Maledictus (inquit Dominus) execratus, infelix, infaustus, aut si quod aliud vocabulum latina lingua habeat, quod Hebraici nominis vim significet, qui movet limitem proximi sui, & dicet omnis populus amen. Magna fuit etiam inter Barbaros homines reverentia longissimæ possessionis, quæ semper vim constituti, jurisque legitimi auctoritatem habuit, jura denegant omnino actionem adversus eum, qui longo tempore possedit, & actorem jure, vel injuria a limine judicii repellunt. Hic autem Pius mutare sedes, & antiquas possessiones, deque illis possessores dejicere nihilum quidem esse putat. Sæpius Deus

per

per majores & minores Prophetas commendavit Principibus & judicibus pupillorum & viduarum causſam, nihilque eſt in toto jure civili, in quo tanta jusdicendi religio deſideretur, quam in condemnando pupillo. Noluerunt Paulus, ſanctiſſimæque Eccleſiæ decreta, quemquam excommunicare, niſi ob magnam in graviſſimo delicto contumaciam; abſtinuerunt priſci Patres, & Pontifices a quibusve decretis faciendis, interea dum ſedebat, & coacta erat Synodus Oecumenica, penes quam ſemper fuit ſumma Eccleſiæ poteſtas, aut ſi quid aliquando conſtituerunt, id ſacro probante Concilio definiebant. Nihil eſt, quod Dominus noſter Jeſus Chriſtus magis curaverit, quam ut ſuæ, & diſcipulorum actiones eſſent omnibus manifeſtæ, perpetuæ, & cognitæ, hic autem Pius, ut uno decreto omnia jura divina, & humana confunderet, vobis Patres, in Concilio univerſali legitime congregatis, & qui Eccleſiam univerſalem merito repræſentatis, auſus eſt Romæ de Regis pupilli, & Oratorum cauſſa, qui ad vos tantum, & non ad illum mittuntur, poſſeſſione, prærogativa, inconſulte pronuntiare, pupillumque Regem non ſolum non auditum, ſed nec vocatum quidem condemnare. Atque ut nulla in hoc decreto iniquitas deſiderari poſſe videretur, & nos Oratores imparatos executio offenderet, non ſolum cavit diligenter, ne quis noſtrum de ea re quidquam reſciret, ſed e-

Sæcul. XVI. A.C.1563.

tiam vos, Illustrissimi Legati, si contra faceretis, id est, si id faceretis, quod sine nefario scelere non facere non poteratis, excommunicavit. Videte, rogamus, Patres Sanctissimi, qui Theologiæ, juri Civili & Pontificio operam dedistis, num verissime hoc dici possit, ita quidem vis est, num hæc sunt Petri, Lini, Damasi, Gregorii, aliorumque summorum Pontificum facta & gesta? Num Pium IV. pro summo Pontifice & Petri Successore habere debeat Gallia, qui ut antiquam dignitatem, & Majestatem Pupilli Regis minueret, omnia divina, & humana jura pervertit? num nobis, & si ingratissimo animo, justa, tamen & necessaria caussa hinc discedendum sit, ubi nullum legibus locum, nullum antiquorum Conciliorum vestigium libertatis Pius IV. reliquit? quid enim vobis judicandum proponitur, aut a vobis judicatum publicatur, quod non prius Roma missum, & Pio IV. placuerit? quam putatis aliam esse caussam toties dilati, & procrastinati judicii petitionum nostrarum, quam quod ille ex Epistola Adriani VI. Pontificis Maximi optime noverat, curatis quantumvis morbis corpus sanum esse non posse, nisi etiam caput diligenter curetur? huic tamen capitis quæ, quantaque immineant, in aliud tempus dicendum reservamus. Hic est igitur Pius IV. ad quem solum hominem præsens hæc nostra denuntiatio, & protestatio pertinet. Sedem Apo-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Apostolicam, summum Pontificem, Sanctam Romanam Ecclesiam, pro cujus dignitate augenda Majores nostri sanguinem fuderunt, & hodie adhuc in Gallia acriter pugnatur, veneramur, suscipimus, & maximis ad cœlum laudibus efferimus, Pii autem IV. imperium detrectamus, quæcunque sint ejus judicia, & sententias rejicimus, respuimus & contemnimus; illum pro Vicario Christi, pro Capite, pro Petri legitimo Successore aspernamur, & rejicimus; & quamquam Patres Sanctissimi, vestra omnis Religio, vita, eruditio magnæ semper fuit, & erit apud nos auctoritatis, cum tamen nihil a vobis, sed omnia magis Romæ, quam Tridenti agantur, & hæc, quæ publicantur, magis Pii IV. placita, quam Concilii Tridentini decreta jure existimatur, (*) denuntiamus, & testamur, quæ-

(*) Hæc ipsa verba ab hoc Oratore perperam fuisse prolata, observat Psalmæi Glossator in Concilii Trid. acta part. 2. fol. 399. his verbis: „Hæc Cardinalis Lotharingius ad terriculamentum dixit Legatis, sed nunquam de „violatione libertatis suffragiorum conque„stus est cum Ferrerio, nec omnia Romæ ma„gis, quam Tridenti placita, & decreta agi asse„ruit, imo nec asserere potuit testis & con„scius ipse summæ in opinando libertatis.„ Interim

Sæcul XVI. A.C. 1563.

cunque in hoc Conventu, hoc est Pii IV. motu decreta sunt, & publicata, decernentur, & publicabuntur, ea neque Regem Christianissimum probaturum, neque Ecclesiam Gallicanam pro decretis Oecumenicæ Synodi habituram, interea quotquot estis Galliæ Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Oratores Theologi, vos omnes hinc abire Rex Christianissimus jubet, redituros ut primum Deus Optimus Maximus Ecclesiæ Catholicæ Generalibus Conciliis antiquam formam & libertatem restituerit, Rex autem Christianissimus debitum dignitatis & Majestatis suæ locum receperit.

Verum hæc Ferrerii oratio, cum nonnisi funestas calamitates suscitare timeretur, non fuit pronuntiata, imo tum nequidem publici juris facta; quippe Synodi Præsides suam operam prospero successu impendentes hanc litem ante Sessionis celebrationem dirimebant; nam consentientibus etiam contendentium fautoribus decretum erat, ut in die proximæ Sessionis idem sedendi ordo, qui in festo Divi Petri servabatur, rursus retineretur, in ceteris vero solemnioribus diebus Hispaniæ, & Fran-

terim tota hæc oratio tot calumniis & falsitatibus scatet, ut potius a jurato Ecclesiæ hoste, quam a Regis Christianissimi Oratore pronuntiata crederetur.

Franciæ Oratores inter se convenirent, quis eorum hisce ritibus interesse vellet, ita ut uno præsente, alter abesset, interea vero ad utrumque Regem perscriberetur, scisscitando, an non circa hanc controversiam fors certam legem statuendi medium occurreret. Sæcul. XVI. A. C. 1563.

§. XIX.

Pontifex Concordiam inter utrumque Oratorem restitutam non sine animi jubilo edoctus.

Vix verbis exprimi potest, quanta lætitia ad hunc gratissimum nuntium tripudiarit summus Pontifex, qui illico suas literas Musotto tradidit, ut gaudium suum tam Legatis, quam Lotharingio Cardinali testatum redderet, eisque grates rependeret, eoquod sua solertia reprimere studuerint incendium, quod per hanc controversiam in Ecclesia suscitari potuisset: denique eos hortabatur, ut Synodum brevi absolvere vellent. *Pallav. n. 6.*

§. XX.

Lansaci in Gallias reversuri discessus a Tridentina urbe.

Paulo post sedatam hanc litem de sedis prærogativa exortam, Lansacus tandem petitam abeundi facultatem *Pallav. n. 11. Pfal. p. 371.*

Sæc. XVI. A.C. 1563.

tem obtinens die ſeptima Julii Tridento diſceſſit, in Franciam reverſurus.

§. XXI.

Literæ a Belgii Gubernatrice ad Synodum datæ.

Pallav. c. 11. num. 5. Pſal. p. 392.

Poſt Lanſaci diſceſſum die decima Julii habebatur congregatio, in qua literæ recitabantur Margaritæ Auſtriacæ, quæ Notha Cæſaris Caroli V. Filia ac Ludovici Hungariæ Regis, necnon Alexandri Medicæi Florentiæ Ducis, & demum Octavii Farneſii Parmæ & Placentiæ Ducis vidua, totiusque Belgii Gubernatrix erat. Hæc Princeps Synodo plurimum commendabat tres illos Epiſcopos Atrebatenſem, Yprenſem, & Namurcenſem, unacum tribus eorum Theologis, quos ad Synodum ablegabat: poſtea tam exiguum Prælatorum numerum excuſabat, obtendens neceſſitatem, qua Præſules ſua præſentia venenum hæreſis a ſuis Diæceſibus arcere cogerentur. Verum non conſtat, ad haſce Margaritæ literas a Synodo datum fuiſſe reſponſum: iis enim perlectis mox Lotharingius Cardinalis circa corruptelas ſuam edicebat ſententiam, exiſtimans, primum Canonem in aliud tempus rejiciendum, ac inſuper Canonem de Titularibus, & de ætate, vi cujus non niſi vigeſimo

tertio

tertio anno fiant ſubdiaconi, eſſe ommittendum: de regularibus vero mendicantibus voluit rationem haberi, ſeminariumque probavit, cetera quoque ei placuerunt excepta Clericorum ætate, quam in illis eſſe quatuordecim annorum voluit. Poſtea Bartholomæus de Martyribus Archipræſul Braccarenſis verba fecit, atque inchoandum eſſe dixit ab examine Epiſcoporum, quod niſi fiat, neſcire ſe ajebat, unde incipiendum, cum hic Canon & Seminarium, ſint præcipuæ columnæ hujus reformationis: eoquod autem quibusdam non placeret Canon decimus quintus, quo permittitur, quemvis eſſe ordinandum, etſi non ſit adſcribendus certæ Eccleſiæ, hinc dixit, Canonem hunc optimum eſſe, & de functionibus Eccleſiaſticis hoc loco agendum, commodumque fieri, ut hæc munia juxta veterem Eccleſiam in memoriam reducantur. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. XXII.

Patrum ſententiæ circa Epiſcoporum inſtitutionem.

Demum collectis Patrum ſuffragiis Archiepiſcopus Hydruntinus Canones primum, & quartum rejiciendos putabat: Jadrenſi autem Archiepiſcopo non placuit prœmium primi Capitis, circa electionem Epiſcoporum, *Pſalm. l. c. Sarp. p. 709.*

Secul. XVI A.C.1562.

insuper Archiepiscopus Pragensis cupiebat exordium reformationis sumi a probatione Episcoporum, & allegabat Epistolam S. Leonis I. octogesimam secundam, ad Anastasium Episcopum, de forma probandi Episcopos, uti etiam habetur in canon *Metropolitan.* 63. dist. can. *de persona*, 65. dist. & in prin. dist. 77.

Postea Conimbricensis Episcopus querebatur, per fraudem præjudicium fieri veritati, dum conceditur, Episcopos Titulares posse ordinari, his addidit, quod hac agendi ratione declarari videatur, jurisdictionem non esse Episcopatus essentialem, neque recipi immediate a Christo; hinc instabat, ut contrarium decerneretur, simulque repetebat sententiam illam sæpe a se prolatam, qua dicebat, adeo essentiale esse Episcopo Ecclesiam habere, & subditos fideles, sicuti Marito uxorem: postea proposito decreto de Residentia, Cardinalis Lotharingius illud paucis verbis approbavit, hoc tantum suggerens, ut eo loco, ubi enumerantur absentiæ causſæ, posita inter ceteras *evidente utilitate Ecclesiæ*, adjungeretur illa vox, *vel Reipublicæ*; porro id petiit ad removendum quodvis impedimentum, quod decretum illud adferre posset, ne Prælati ad officia, & consilia publica admitterentur, quæ

quæ ſententia communi omnium applauſu acceptata eſt. Sequebatur Cardinalis Madrucius, in eandem ſententiam locutus. Sæcul. XVI. A C. 1563.

In eadem Congregatione die undecima Julii celebrata inter alios Virodunenſis Epiſcopus circa Canonem primum ſententiam dixit, prout ipſemet in ſuis actis Concilii Tridentini his verbis refert: „pronuntiavi Canonem primum nullo pacto rejiciendum, licet „propter argumentum examinis multis „exoſum. Ceterum Titulares abrogandos „eſſe, cenſeo: aſt quia id obtineri non „poteſt ob multitudinem votorum, Ca„nonem, qui eorum reſtringit poteſtatem, „retinendum eſſe arbitror: Porro de or„dinandorum ætate judico, quod Subdia„coni non ante vigeſimum tertium an„num ordinentur, ob cœlibatum an„nexum, juxta Cardinalis Lotharin„gii ſententiam: de Scholaſtico autem ſeu „Seminario, exiſtimo melioribus con„ſiliis ſuccuri non potuiſſe afflictis, „& pene deploratis rebus Eccle„ſiæ, quam ſi primo quoque tem„pore Gymnaſia ubique ſtatuantur, quæ „ſint Seminaria ordinandorum mini„ſtrorum in Eccleſia, in quibus pue„ritia, quæ eſt ſeges omnium rerum „publicarum, in timore Domini, & di„ſciplinis Eccleſiaſticis educetur. Præ-

„terea

Sæcul XVI. A.C.1563.

„terea juxta formam Canonis vigesimi „tertii ex Concilio Toletano IV. fun„ctiones restituendas omnino censeo, „ut quisque sua, ad quæ ordinatus est, „ministeria exequatur, ne nuda sint „nomina, & in ceremoniis posita ma„neant. Idem quoque agendum de „functionibus dignitatum Ecclesiarum „Cathedralium, Decanorum, Archi„diaconorum, Primiceriorum, Canto„rum, Scholasticorum, aliorumque si„milium.

Cum vero Patriarcha Hierosolymitanus, Archiepiscopus Rossanus. & Hydruntinus sententiam suam dicere nollent, Archiepiscopus Bracarensis ad Legatos conversus redarguentis in morem monuit, auctoritate utendum, & adigendos Præsules, ut sententiam suam quisque proferat, nam mali moris exemplum introduci ajebat in Concilium, quasi Patres aut tacere cogantur, aut ambitione quadam loqui nolint, nisi certo scirent, quod post illos alii pariter verba facturi essent: inde autem evenit, ut alii, qui eos imitari constituerant, ac pariter silentium servare decreverant, mox mutato proposito decretum approbaverint.

§. XXIII.

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

§. XXIII.

Lotharingius Cardinalis Purpuratos in decreto de residentia comprehendi postulans.

Feria secunda die duodecima ejus Mensis habito Patrum Conventu Lotharingius Cardinalis proposuit, quod in decreto de lege residendi nominatim Cardinales cum ceteris Episcopis comprehenderentur. Insuper plures alii reformationis articuli agitabantur, de quibus tamen tunc nihil decisum fuit.

Pallav. cap. 11. n. 5. in cap. 4. comit. ante elect. Pii IV. Sarp. l. 8.

Cunctis autem ad celebrandam Sessionem sese accingentibus Præsides a Lunensi Comite nuntium acceperunt, quo significatum, quod ipse quidem omnem navasset operam, ut suæ gentis Præsules ad concordiam induceret, in irritum tamen cecidissent ejus conatus, nisi saltem definiretur id, quod illi de institutione Episcoporum optabant: quocirca se putare, ajebat, sessionem celebrari non posse, propterea eoquod tunc, si contra integræ Nationis judicium ea haberetur, grave detrimentum illatura esset non solum Synodi Patribus, sed & Hispaniæ universæ.

Hoc tamen nuntio Præsides minime deterrebantur, cum ipsis indignum videretur, quod pauci Præsules arrogarent

Sæcul. XVI A. C. 1563.

rent sibi, ut non solum impedirent, ne definiretur id, quod reliqui volebant, sed etiam sessionem, de qua mere tunc agebatur, præpedire vellent, nisi definiretur, quod ipsi petebant: itaque nullo prætermisso labore incœptum opus prosequi satagebant.

§. XXIV.

Cuncta in Generali conventu communi suffragio stabilita.

Pallav. l. c. Psalm. p. 394 Sarp. l. c. Visc. tom. 4. Man. lett. 55. p. 179.

Eapropter die decima quarta Julii Præsides generalem conventum cogebant, ubi Moronus Cardinalis non modo decreta circa doctrinam, sed etiam illa circa Ordinis corruptelam, residentiam, & reformationem proposuit, subjunxitque, quod caput de examine Episcoporum ad proximam sessionem fuerit remissum. Postea colligebantur suffragia, atque a centum nonaginta duobus Patribus ea, quæ sancita fuere, pariter confirmata sunt, quippe viginti octo duntaxat, omnes aut Hispani, aut Itali variis rationibus permoti ceteris obsistebant, quapropter Moronus Cardinalis altera die decima quinta Junii sessionem esse celebrandam concluſit, prout jam antea erat indicta. Demum Patribus, qui hæc decreta recipiebant, grates rependit, ceterosque, ut potiori parti accederent, rogavit.

§. XXV.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. XXV.

Hiſpani ceterorum ſententiæ accedere a Lunenſi Comite perſuaſi.

Ceterum Moronus, quamvis de proſpero ſeſſionis ſucceſſu certus eſſet, iniquo tamen ferebat animo, quod Natio tam numero, quam doctrina, & pietate tantopere celebris a reliquorum ſententia differret, idcirco Comitem Lunenſem rogavit, ut ſua auctoritate, ac dexteritate ſuæ Nationis Præſules ad concordiam cum ceteris, communemque conſenſum permoveret. Nec irrita fuit hujus Legati opera; quippe Comes cum tanto fervore hoc negotium urgebat, ut Præſules veſpere in Comitis Palatio congregati omnibus aſſentiri pollicerentur, dummodo, prout Moronus Præſes promiſiſſet, Epiſcoporum inſtitutio juris eſſe divini declararetur. *Pallav. c. 11. n. 7 Sarp. p. 711.*

§. XXVI.

Seſſio XXII. Concilii Tridentini.

Igitur Feria quinta die decima quinta Julii Seſſio vigeſima tertia in Eccleſia Cathedrali ad S. Vigilium celebratur, præſentibus Synodi Legatis Morono, Hoſio, Symoneta, & Navigero, Cardinalibus Lotharingio, & Madrutio, Oratoribus tribus Imperatoris, duobus Regis Gallorum, Comite de Luna Oratore *Pall. c. 11. n. 1 Sarp. 711. Pſalm. p. 394 Spond. hoc ann. n. 36. Viſcont. lett. 55. p. 177.*

Sæcul. XVI. A. C. 1563

re Regis Catholici, Oratoribus Regiis Poloniæ, & Lusitaniæ, duobus Venetorum, & altero Ducis Sabaudiæ, & ducentis & octo Episcopis, una cum Generalibus Ordinum, Abbatibus, Doctoribus Theologiæ, aliisque. Dabatur Sessioni initium mane circa nonam diei horam, quæ usque ad quartam pomeridianam protrahebatur. Celebrabat ibi sacrum solemne de Spiritu Sancto Parisiensis Episcopus, quo finito Aliphanus conscenso suggestu orationem habuit latinam, qua tamen Galli, Venetique vehementer irritabantur, atque apud Legatos questi efflictim rogabant, ut hic sermo actis non inseretur, eoquod Orator Hispaniæ Regem Galliarum Regi, necnon Sabaudiæ Ducem Venetorum Reipublicæ præposuisset, imo etiam subobscure indicasset, quod hoc Concilium nonnisi Synodi sub Paulo III. & Julio III. inchoatæ continuatio esset, quo pariter Cæsarei, ac Galli offendebantur. Porro Castellanus Episcopus, qui ægrotante Massarello Secretarii munus obibat, quoddam Pontificis diploma prælegit, quo novi duo Præsides fuerant electi. Recitabat postea mandata Oratorum, qui postrema abhinc Sessione advenerant, unacum literis, quas eorum Principes ad Synodum perscripserant, nulla tamen

men fiebat mentio de literis, quæ Melitenſium Oratori tradebantur, eoquod nihil adhuc circa loci prærogativam inter ipſum, & Patriarchas fuiſſet deciſum. Itaque duntaxat prælegebantur I. Literæ Poloniæ Regis, II. Sabaudiæ Ducis, III. Scotiæ Reginæ, ac denique Hiſpaniæ Regis pro Lunenſis Comitis Legatione tranſmiſſæ, literæ tamen Belgii Gubernatricis non fuerunt recitatæ, quia jam a Flandriæ Epiſcopis in generali Patrum conventu fuerant exhibitæ. Sæcul. XVI. A. C. 1563.

Omnibus hiſce prælectis Pariſienſis Epiſcopus, qui rem Divinam perage-bat, conſcenſo ſuggeſtu decreta, ſequentesque Canones prælegit.

§. XXVII.

CAPUT I.

De inſtitutione Sacerdotii novæ legis.

„Sacrificium & Sacerdotium ita Dei „ordinatione conjuncta ſunt, ut u-„trumque in lege extiterit: Cum igitur „in novo teſtamento ſanctum Euchari-„ſtiæ ſarificium viſibile ex Domini in-„ſtitutione catholica Eccleſia acceperit, „fateri etiam oportet, in ea novum eſſe „viſibile, & externum ſacerdotium, in „quod rebus translatum eſt. Hoc au-„tem ab eodem Domino Salvatore no-

Labb. Conc. coll. t. 14. p. 862. Pallav. c. 12. n. 2.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„ſtro inſtitutum eſſe, atque Apoſtolis, „eorumque ſucceſſoribus in ſacerdotio „poteſtatem traditam conſecrandi, of„ferendi, & miniſtrandi Corpus & ſan„guinem ejus, necnon & peccata di„mittendi, & retinendi, ſacræ literæ o„ſtendunt, & catholicæ Eccleſiæ tradi„tio ſemper docuit.

§. XXVIII.

CAPUT II.

De ſeptem Ordinibus ſacris, & quatuor Minoribus.

„Cum autem divina res ſit tam ſancti „ſacerdotii miniſterium; conſen„taneum fuit, quo dignius & majori „cum veneratione exerceri poſſet, ut in „Eccleſiæ ordinatiſſima diſpoſitione plu„res, & diverſi eſſent miniſtrorum or„dines, qui ſacerdotio ex officio defer„virent, ita diſtributi, ut qui jam cleri„cali tonſura inſigniti eſſent, per mino„res ad majores aſcenderent, nam „non ſolum de ſacerdotibus, ſed & de „Diaconis ſacræ literæ apertam men„tionem faciunt, & quæ maxime in „illorum ordinatione attendenda ſunt, „graviſſimis verbis docent: & ipſo Ec„cleſiæ initio ſequentium Ordinum no„mina, atque uniuscujusque eorum „propria miniſteria, Subdiaconi ſcilicet, „Accolythi, Exorciſtæ, Lectoris, & Oſtia„rii, in uſu fuiſſe cognoſcuntur, quam„vis

„vis non pari gradu, nam Subdiaco- Sæcul. XVI.
„natus ad majores Ordines a Patribus, A.C. 1568.
„& sacris conciliis refertur; in quibus
„& de aliis inferioribus frequentissi-
„me legimus.

§. XXIX.
CAPUT III.

De Ordine tanquam vero Sacramento.

„Cum Scripturæ testimonio, Apostoli-
„ca Traditione, & Patrum unanimi
„consensu perspicuum sit, per sacram
„Ordinationem, quæ verbis, & signis ex-
„terioribus perficitur, gratiam conferri;
„dubitare nemo debet, Ordinem esse
„vere, & proprie unum ex septem san-
„ctæ Ecclesiæ Sacramentis: Inquit e-
nim Apostolus: *Admoneo te, ut resusci-* 1. *Tim.* 1.
tes gratiam Dei, quæ est in te per impo- 2. *Tim.* 4.
sitionem manuum mearum: non enim de-
dit nobis Deus spiritum timoris, sed vir-
tutis, & dilectionis, & sobrietatis.

§. XXX.
CAPUT IV.

De Ordinis charactere & Ecclesiastica Hierarchia, atque ordinandi potestate.

„Quoniam vero in Sacramento Ordi-
„nis, sicut & in Baptismo, & Con-
„firmatione character imprimitur, qui
„nec deleri, nec auferri potest; sancta
„Synodus damnat eorum sententiam,
„qui asserunt novi testamenti Sacer-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„dotes temporariam tantummodo po-
„teſtatem habere, & ſemel rite ordi-
„natos iterum Laicos effici poſſe, ſi ver-
„bi Dei miniſterium non exerceant.
„Quod ſi quis omnes chriſtianos pro-
„miſcue novi Teſtamenti ſacerdotes eſſe,
„aut omnes pari inter ſe poteſtate ſpi-
„rituali præditos affirmet, nihil aliud
„facere videtur, quam eccleſiaſticam
„Hierarchiam, quæ eſt *ut caſtrorum acies*
„*ordinata*, confundere: perinde ac ſi
„contra beati Pauli doctrinam, omnes
„Prophetæ, omnes Evangeliſtæ, omnes
„Paſtores, omnes ſint Doctores. Proin-
„de ſancta Synodus declarat, præter
„ceteros eccleſiaſticos gradus, Epiſco-
„pos, qui in Apoſtolorum locum ſucce-
„ſerunt, ad hunc hierarchicum Ordi-
„nem præcipue pertinere, & *poſitos, ſi-*
„*cut* idem Apoſtolus ait, *a Spiritu San-*
„*cto regere Eccleſiam Dei*, eosque Pres-
„byteris ſuperiores eſſe, ac Sacramen-
„tum confirmationis conferre, miniſtros
„Eccleſiæ ordinare, atque alia plera-
„que peragere ipſos poſſe, quarum fun-
„ctionum poteſtatem reliqui inferioris
„Ordinis non habent. Docet inſuper
„ſacroſancta Synodus in ordinatione
„Epiſcoporum, Sacerdotum, & cete-
„rum Ordinum, nec populi, nec cujus-
„vis ſecularis poteſtatis, & Magiſtratus
„conſenſum, ſive vocationem, ſive au-
„ctori-

„ctoritatem ita requiri, ut sine ea irri- Sæc. XVI.
„ta sit ordinatio: quin potius decernit, A. C. 1563.
„eos, qui tantummodo a populo, aut se-
„culari potestate, ac Magistratu vocati,
„& instituti ad hæc ministeria exer-
„cenda ascendunt, & qui ea propria te-
„meritate sibi sumunt, omnes non Ec-
„clesiæ ministros, sed fures, & latrones,
„per ostium non ingressos, habendos
„esse. Hæc sunt, quæ generatim sacræ
„Synodo visum est Christi fideles de
„Sacramento Ordinis docere. His au-
„tem contraria certis, & propriis Cano-
„nibus in hunc, qui sequitur modum, da-
„mnare constituit: ut omnes adju-
„vante Christo fidei regula utentes in
„tot errorum tenebris catholicam ve-
„ritatem facilius agnoscere, & tenere
„possint.

§. XXXI.

Absolutis hisce doctrinæ prælegebantur sequentes octo Canones

CANON I.

„Si quis dixerit non esse in novo Te-
„stamento sacerdotium visibile &
„externum, vel non esse potestatem
„aliquam consecrandi & offerendi ve-
„rum Corpus, & Sanguinem Domini, &
„peccata remittendi & retinendi; sed
„officium tantum, & nudum ministe-

Sæc. XVI. A.C. 1563.

„rium prædicandi Evangelium, vel eos, „qui non prædicant, prorsus non esse „Sacerdotes; anathema sit.

CANON II.

„Si quis dixerit, præter sacerdo„tium non esse in Ecclesia catholica a„lios Ordines, & majores & minores, per „quos, velut per gradus quosdam, in sa„cerdotium tendatur; anathema sit.

CANON III.

„Si quis dixerit, Ordinem, sive sa„cram Ordinationem non esse vere & „proprie Sacramentum, a Christo Do„mino institutum, vel esse figmentum „quoddam humanum, excogitatum a „viris rerum ecclesiasticarum imperitis, „aut esse tantum ritum quemdam eli„gendi ministros verbi Dei & Sacramen„torum; anathema sit.

CANON IV.

„Si quis dixerit, per sacram Ordi„nationem non dari Spiritum sanctum, „ac proinde frustra Episcopos dicere, ac„cipe Spiritum sanctum, aut per eam „non imprimi characterem, vel eum, „qui Sacerdos semel fuit, laicum rur„sus fieri posse; anathema sit.

CANON V.

„Si quis dixerit, sacram Unctionem, „qua Ecclesia in sancta Ordinatione uti„tur, non tantum non requiri, sed con„temnendam & perniciosam esse, simi„liter

„liter & alias Ordinis cæremonias; ana- Sæcul. XVI.
„thema sit. A.C.1563.

CANON VI.

„Si quis dixerit, in Ecclesia catho-
„lica non esse hierarchiam divina ordi-
„natione institutam, quæ constat ex E-
„piscopis, & Presbyteris, & Ministris;
„anathema sit.

CANON VII.

„Si quis dixerit, Episcopos non esse
„Presbyteris Superiores vel non ha-
„bere potestatem confirmandi & ordi-
„nandi, vel eam, quam habent, illis esse
„cum presbyteris communem, vel Or-
„dines ab ipsis collatos, sine populi vel
„potestatis secularis consensu, aut vo-
„catione irritos esse, aut eos, qui nec
„ab ecclesiastica & canonica potestate
„rite ordinati, nec missi sunt, sed aliun-
„de veniunt, legitimos esse verbi, &
„sacramentorum ministros; anathema
„sit.„

CANON VIII.

„Si quis dixerit, Episcopos, qui au-
„ctoritate Romani Pontificis assumun-
„tur, non esse legitimos & veros Epis-
„copos, sed figmentum humanum; a-
„nathema sit.„

§. XXXII.

Decretum de Reformatione.

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

Perlectis hisce Canonibus proponebatur de residentia decretum, quo recitato octodecim reliqua decreta his verbis concepta prælegebantur.

CAPUT I.

Rectorum ecclesiarum in residendo negligentia varie coercetur, & animarum curæ providetur.

Labb. Coll. Conc. tom. 4. p. 864. Pall. p. 12. n. 6

„Cum præcepto divino mandatum sit „omnibus, quibus animarum cura „commissa est, oves suas agnoscere, pro „his sacrificium offerre, verbique divi„ni prædicatione, sacramentorum admi„nistratione, ac bonorum omnium ope„rum exemplo pascere, pauperum a„liarumque miserabilium personarum „curam paternam gerere, & in cetera „munia pastoralia incumbere: quæ o„mnia nequaquam ab iis præstari, & „impleri possunt, qui gregi suo non in„vigilant, neque adsistunt, sed mercena„riorum more deserunt: sacrosancta „Synodus eos admonet & hortatur, ut „divinorum præceptorum memores, „factique forma gregis, in judicio & „veritate pascant, & regant. Ne vero „ea, quæ de residentia sancte & utili„ter jam antea sub felicis recordatio„nis Paulo tertio sancita fuerunt, in „sensus a sacrosanctæ Synodi mente „lienos

„lienos trahantur, ac ſi vigore illius „decreti quinque menſibus continuis „abeſſe liceat: illis inhærendo, decla- „rat ſacroſancta Synodus, omnes pa- „triarchalibus, primatibus, metropoli- „tanis, ac cathedralibus Eccleſiis qui- „buscunque, quocunque nomine & titu- „lo præfectos, etiamſi ſanctæ Roma- „næ Eccleſiæ Cardinales ſint, obligari „ad perſonalem in ſua Eccleſia, vel Dioe- „ceſi reſidentiam, ubi injuncto ſibi of- „ficio defungi teneantur, neque abeſſe „poſſe, niſi ex cauſſis & modis infra „ſcriptis, nam cum Chriſtiana chari- „tas, urgens neceſſitas, debita obedien- „tia, ac evidens Eccleſiæ vel reipu- „blicæ utilitas, aliquos nonnunquam „abeſſe poſtulent, & exigant: decernit „eadem ſacroſancta Synodus, has legi- „timæ abſentiæ cauſſas a beatiſſimo „Romano Pontifice, aut a metropolita- „no, vel eo abſente, ſuffraganeo Epiſco- „po antiquiori reſidente, qui idem me- „tropolitani abſentiam probare debebit, „in ſcriptis eſſe approbandas: niſi cum „abſentia inciderit, propter aliquod „munus, & reipublicæ officium epiſco- „patibus adjunctum, cujus quoniam „cauſſæ ſunt notoriæ, & interdum re- „pentinæ, nec eas quidem ſignificari „metropolitano neceſſe erit. Ad eun- „dem tamen cum Concilio provinciali

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

„ſpectabit judicare de licentiis a ſe, vel „a Suffraganeo datis & videre, ne quis „eo jure abutatur, & ut pœnis cano„nicis errantes puniantur. Interea „meminerint diſceſſuri, ita ovibus ſuis „providendum, ut, quantum fieri pote„rit, ex ipſorum abſentia nullum da„mnum accipiant. Quoniam autem, „qui aliquantiſper tantum abſunt, ex „veterum Canonum ſententia non vi„dentur abeſſe, quia ſtatim reverſuri „ſunt; ſacroſancta Synodus vult, illud „abſentiæ ſpatium ſingulis annis, ſive „continuum, ſive interruptum, extra „prædictas cauſſas, nullo pacto debere „duos, aut ad ſummum tres menſes „excedere, & haberi rationem, ut id „æqua ex cauſſa fiat, & absque ullo „gregis detrimento. Quod an ita ſit, „abſcedentium conſcientiæ relinquit, „quam ſperat religioſam, & timoratam „fore, cum Deo corda pateant, cujus „opus non fraudulenter agere ſub peri„culo teneantur. Eosdem interim ad„monet, & in Domino hortatur, ne per „illius temporis ſpatium, Dominici Ad„ventus, Quadrageſimæ, Nativitatis, „Reſurrectionis Domini, Pentecoſtes, „item & Corporis Chriſti diebus, quibus „refici maxime, & in Domino gaude„re paſtoris præſentia oves debeant, „ipſi ab Eccleſia ſua cathedrali ullo pa-

„cto

„cto absint, nisi Episcopalia munia in „sua Diœcesi eos alio vocent. Si quis „autem, quod utinam nunquam eve„niat, contra hujus Decreti disposi„tionem abfuerit, statuit sacrosancta Sy„nodus, præter alias pœnas adversus „non residentes sub Paulo tertio impo„sitas, & innovatas, & mortalis pecca„ti reatum, quem incurrit, eum pro „rata temporis absentia fructus suos non „facere, nec tuta conscientia, alia e„tiam declaratione non secuta, illos „sibi detinere posse, sed teneri, aut i„pso cessante, per superiorem ecclesia„sticum illos fabricæ Ecclesiarum, aut „pauperibus loci erogare, prohibita „quacunque conventione vel composi„tione, quæ pro fructibus male perce„ptis appellatur; ex qua etiam prædi„cti fructus, in totum aut pro parte ei „remitterentur, non obstantibus quibus„cunque privilegiis cuicunque collegio, „aut fabricæ concessis. Eadem omni„no, etiam quoad culpam, & amissio„nem fructuum, & pœnas, de curatis „inferioribus, & aliis quibuscunque, qui „beneficium aliquod Ecclesiasticum, „curam animarum habens obtinent, „sacrosancta Synodus declarat, & de„cernit, ita tamen, ut quandocunque „eos, causa prius per Episcopum co„gnita & probata, abesse contigerit;

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Vica-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„Vicarium idoneum, ab ipso Ordinario „approbandum, cum debita mercedis „assignatione relinquant: discedendi „autem licentiam in scriptis, gratisque „concedendam, ultra bimestre tempus, „nisi ex gravi caussa, non obtineant. „quodsi per edictum citati, non perso„naliter, contumaces fuerint, liberum „esse vult Ordinariis, per censuras Ec„clesiasticas, & sequestrationem & sub„tractionem fructuum, aliaque juris re„media, etiam usque ad privationem, „compellere, nec executionem hanc „quolibet privilegio, licentia, familia„ritate, exemptione, etiam ratione cu„juscunque beneficii, pactione, statuto, „etiam juramento, vel quacunque au„ctoritate confirmato, consuetudine e„tiam immemorabili, quæ potius cor„ruptela censenda est, sine appellatio„ne, aut inhibitione, etiam in Romana „Curia, vel vigore Eugenianæ constitu„tionis suspendi posse.

„Postremo tam decretum illud sub „Paulo tertio, quam hoc ipsum, in Con„ciliis Provincialibus, & Episcopalibus „publicari sancta Synodus præcipit: „cupit enim, quæ adeo ex pastorum „munere, animarumque salute sunt, fre„quenter omnium auribus, mentibus„que infigi, ut in posterum Deo ju„vante, nulla temporum injuria, aut „homi-

„hominum oblivione, aut desuetudine „aboleantur. Sæc. XVI. A.C. 1563.

§. XXXIII.

De Episcopis intra trimestre consecrandis.

CAPUT II.

Præfecti ecclesiis consecrationis munus intra tres menses suscipiant.

„Ecclesiis cathedralibus, seu superioribus, quocunque nomine, ac titu„lo præfecti, etiamsi sanctæ Romanæ „Ecclesiæ Cardinalis sint, si munus „consecrationis intra tres menses non „susceperint, ad fructuum perceptorum „restitutionem teneantur: si intra totidem menses postea id facere neglexe„rint, Ecclesiis ipso jure sint privati: „Consecratio vero, si extra Curiam Ro„manam fiat, in Ecclesia, ad quam pro„moti fuerint, aut in provincia, si com„mode fieri poterit, celebretur.

§. XXXIV.

Ordines a proprio Episcopo conferendi.

CAPUT III.

Extra ægritudinem Episcopi per e oratines conferant.

„Episcopi per semetipsos Ordines con„ferant: quod si ægritudine fue„rint

Sæcul. XVI A C. 1563.

„rint impediti, subditos non aliter, quam „probatos, & examinatos, ad alium E„piscopum ordinandos dimittant.

§. XXXV.

De recipiendis ad tonsuram.

CAPUT IV.

Qui prima tonsura initiandi?

„Prima tonsura non initientur, qui Sa„cramentum confirmationis non „susceperint, & fidei rudimenta edocti „non fuerint, quique legere & scribe„re nesciant, & de quibus probabilis „conjectura non sit, eos, non secularis „judicii fugiendi fraude, sed ut Deo „fidelem cultum præstent, hoc vitæ ge„nus elegisse.

§. XXXVI.

De Ordinandis.

CAPUT V.

Ordinandi, quibus instructi esse debeant?

„Ad minores Ordines promovendi, bo„num a Parocho, & a Magistro „scholæ, in qua educantur, testimo„nium habeant. Hi vero, qui ad sin„gulos majores erunt assumendi, per „mensem ante ordinationem Episco„pum adeant, qui Parocho, aut alteri, „cui magis expedire videbitur, com„mittat, ut nominibus, ac desiderio eo„rum

„rum, qui volent promoveri, publice in „Eccleſia propoſitis, de ipſorum ordi- „nandorum natalibus, ætate, moribus, „& vita, a fide dignis diligenter inqui- „rat, & literas teſtimoniales, ipſam in- „quiſitionem factam continentes, ad i- „pſum Epiſcopum quam primum tranſ- „mittat.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. XXXVII.

De Beneficiatis & de privilegio fori.

CAPUT VI.

Ætas annorum quatuordecim ad beneficium Eccleſiaſticum requiritur: quis privilegio fori gaudere debeat?

„Nullus prima tonſura initiatus, aut „etiam in minoribus Ordinibus „conſtitutus, ante decimum quartum „annum beneficium poſſit obtinere. Is „etiam fori privilegio non gaudeat, niſi „beneficium Eccleſiaſticum habeat, aut „clericalem habitum, & tonſuram de- „ferens alicui Eccleſiæ ex mandato E- „piſcopi inſerviat, vel in Seminario cle- „ricorum, aut in aliqua ſchola vel in u- „niverſitate, de licentia Epiſcopi, qua- „ſi in via ad majores ordines ſuſcipien- „dos verſetur. In clericis vero conju- „gatis ſervetur conſtitutio Bonifacii o- „ctavi, quæ incipit: *Clerici, qui cum u-*

„nicis:

Sæcul. XVI. A.C. 1563. „nicis: modo hi clerici alicujus Eccle„siæ servitio vel ministerio ab Episcopo „deputati, eidem Ecclesiæ serviant, vel „ministrent, & clericali habitu & ton„sura utantur, nemini quoad hoc pri„vilegio vel consuetudine, etiam imme„morabili suffragante.

§. XXXVIII.

De examine ordinandorum.

CAPUT VII.

Examinandi sunt ordinandi a viris peritis juris divini & humani.

„Sancta Synodus, antiquorum Cano„num vestigiis inhærendo, decer„nit, ut quando Episcopus ordinatio„nem facere disposuerit, omnes, qui ad „sacrum ministerium accedere volue„rint, feria quarta ante ipsam ordina„tionem, vel quando Episcopo videbi„tur, ad civitatem evocentur: Episco„pus autem sacerdotibus, & aliis pru„dentibus viris, peritis divinæ legis, ac „in ecclesiasticis sanctionibus exerci„tatis, sibi ascitis, ordinandorum ge„nus, personam, ætatem, institutionem, „mores, doctrinam, & fidem diligen„ter investiget, & examinet.

§. XXXIX.

De tempore, & loco ordinationis.

CAPUT

CAPUT VIII.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Quomodo, & a quo unusquisque promoveri debeat.

„Ordinationes ſacrorum Ordinum, „ſtatutis a jure temporibus, ac in „cathedrali Eccleſia, vocatis, præſenti„busque ad id Eccleſiæ Canonicis, pu„blice celebrentur, ſi autem in alio „Diœceſis loco, præſente Clero loci, di„gnior quantum fieri poterit, Eccleſia „ſemper adeatur: unusquisque autem „a proprio Epiſcopo ordinetur. Quod „ſi quis ab alio promoveri petet, nulla„tenus id ei etiam cujusvis generalis „aut ſpecialis reſcripti, vel privilegii „prætextu, etiam ſtatutis temporibus „permittatur, niſi ejus probitas, ac mo„res Ordinarii ſui teſtimonio commen„dentur. Si ſecus fiat, ordinans a col„latione Ordinum per annum, & ordi„natus a ſuſceptorum Ordinum execu„tione, quamdiu proprio Ordinario vide„bitur expedire, ſit ſuſpenſus.

§. XL.

De Ordinandis Epiſcoporum familiaribus.

CAPUT IX.

Ordinans familiarem Epiſcopus conferat ſtatim reipſa beneficium.

Sæc. XVI. A.C. 1563.

„Episcopus familiarem suum non sub-
„ditum ordinare non possit, nisi
„per triennium secum fuerit commora-
„tus, & beneficium, quacunque frau-
„de cessante, statim reipsa illi confe-
„rat, consuetudine quacunque, etiam
„immemorabili, in contrarium non ob-
„stante.

§. XLI.

De tonsura per Abbates conferenda.

CAPUT X.

Episcopis inferiores Prælati tonsuram, vel minores Ordines ne conferant, nisi Regularibus sibi subditis: nec ipsi, aut capitula quæcunque dimissorias concedant, graviori in decretum peccantibus pœna statuta.

„Abbatibus, ac aliis quibuscunque,
„quantumvis exemptis, non liceat
„in posterum, intra fines alicujus Dioe-
„cesis consistentibus, etiamsi nullius
„Diœcesis vel exempti esse dicantur,
„cuiquam, qui regularis subditus sibi
„non sit, tonsuram, vel minores Ordi-
„nes conferre, nec ipsi Abbates & alii
„exempti, aut collegia, vel capitula
„quæcunque etiam Ecclesiarum cathe-
„dralium, literas dimissorias aliquibus
„clericis secularibus, ut ab aliis ordi-
„nentur, concedant: sed horum ordi-
„natio, servatis omnibus, quæ in hujus
„sanctæ

„ſanctæ Synodi decretis continentur, „ad Epiſcopos, intra quorum Diœceſis „fines exiſtunt, pertineat, non obſtan„tibus quibusvis privilegiis, præſcri„ptionibus, aut conſuetudinibus etiam „immemorabilibus. Pœnam quoque „impoſitam his, qui contra hujus ſan„ctæ Synodi ſub Paulo tertio Decre„tum, a capitulo, epiſcopali Sede va„cante, literas dimiſſorias impetrant, „ad illos, qui easdem literas non a ca„pitulo, ſed ab aliis quibusvis in juris„dictione Epiſcopi loco capituli, ſede „vacante, ſuccedentibus, obtinerent, „mandat extendi: concedentes au„tem dimiſſorias contra formam De„creti, ab officio, & beneficio per annum „ſint ipſo jure ſuſpenſi.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. XLII.

De interſtitiis inter Ordines ſuſceptos ſervandis.

CAPUT XI.

Interſtitia in ſuſceptione minorum Ordinum, & certa alia præcepta obſervanda.

„Minores Ordines iis, qui ſaltem la„tinam linguam intelligant, per „temporum interſtitia, niſi aliud Epiſ„copo expedire magis videretur, con„ferantur; ut eo accuratius, quantum

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„sit hujus disciplinæ pondus, possint e-
„doceri, ac in unoquoque munere, jux-
„ta præscriptum Episcopi, se exerceant,
„idque in ea, cui adscripti erunt, Ec-
„clesia, nisi forte ex caussa studiorum
„absint, atque ita de gradu in gradum
„ascendant, ut in eis cum ætate vitæ
„meritum, & doctrina major accrescat:
„quod & bonorum morum exemplum,
„& assiduum in Ecclesia ministerium,
„atque major erga Presbyteros & su-
„periores Ordines reverentia, & cre-
„brior, quam antea, Corporis Christi
„communio, maxime comprobabunt.
„Cumque hinc ad altiores gradus, &
„sacratissima mysteria sit ingressus, ne-
„mo iis initietur, quem non scientiæ
„spes majoribus ordinibus dignum o-
„stendit. Hi vero nonnisi post an-
„num a susceptione postremi gradus
„minorum Ordinum ad sacros Ordines
„promoveantur, nisi necessitas, aut Ec-
„clesiæ utilitas, judicio Episcopi, aliud
„exposcat.

§. XLIII.

De ætate pro Ordinibus majoribus.

CAPUT XII.

Ætas ad majores Ordines requisita: digni duntaxat assumendi.

„Nullus in posterum ad Subdiacona-
„tus ordinem ante vigesimum se-
„cun-

„cundum, ad Diaconatus ante vigesi- Sæcul. XVI.
„mum tertium, ad Presbyteratus ante A.C. 1563.
„vigesimum quintum ætatis suæ annum
„promoveatur. Sciant tamen Episco-
„pi, non singulos in ea ætate constitu-
„tos debere ad hos ordines assumi, sed
„dignos duntaxat, & quorum probata
„vita senectus sit: Regulares quoque
„nec in minori ætate, nec sine diligenti
„Episcopi examine, ordinentur: privi-
„legiis quibuscunque, quoad hoc, pe-
„nitus exclusis.

§. XLIV.

De ordinatione Subdiaconorum & Diaconorum.

CAPUT XIII.

Ordinatio qualis Subdiaconi & Diaconi, & eorum munus: nulli duo Ordines sacri conferantur eodem die.

„Subdiaconi & Diaconi ordinentur, habentes bonum testimonium, & „in minoribus Ordinibus jam probati, „ac literis, & his, quæ ad Ordinem exer-„cendum pertinent, instructi: qui spe-„rent, Deo auctore, se continere posse, „Ecclesiis, quibus adscribentur, inser-„viant, sciantque maxime decere, si „saltem diebus Dominicis & solemni-„bus, cum altari ministraverint, Sa-„cram Communionem perceperint.

Sæc XVI. A.C 1563.

„Promoti ad sacrum Subdiaconatus „Otdinem, si per annum saltem in eo „non sint versati, ad altiorem gradum, „nisi aliud Episcopo videatur, ascen„dere non permittantur. Duo sacri „Ordines non eodem die, etiam Re„gularibus, conferantur, privilegiis, ac „indultis quibusvis concessis non ob„stantibus quibuscunque.

§. XLV.

De dotibus ad Presbyteratum assumendorum.

CAPUT XIV.

Quinam ad Presbyteratum assumendi: assumptorum quodnam munus.

„Qui pie, & fideliter in ministeriis anteactis se gesserint, & ad pres„byteratus ordinem assumuntur, bo„num habeant testimonium, & hi sint, „qui non modo in Diaconatu ad annum „integrum, nisi ob Ecclesiæ utilitatem, „ac necessitatem aliud Episcopo vide„retur, ministraverint: sed etiam ad „populum docendum ea, quæ scire o„mnibus necessarium est ad salutem, „ac administranda Sacramenta, dili„genti examine præcedente, idonei „comprobentur, atque ita pietate ac „castis moribus conspicui, ut præclarum „bonorum operum exemplum, & vitæ „moni-

„monita ab eis possint expectari: curet „Episcopus, ut ii saltem diebus Domi- „nicis, ac festis solemnibus, si autem cu- „ram habuerint animarum, tam fre- „quenter, ut suo muneri satisfaciant, „Missas celebrent. Cum promotis per „saltum, si non ministraverint, Epi- „scopus ex legitima causa possit di- „spensare.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. XLVI.

De Confessariis per Episcopos approbatis.

CAPUT XV.

Nullus Confessiones audiat nisi ab Ordinario approbandus.

„Quamvis Presbyteri in sua ordina- „tione a peccatis absolvendi po- „testatem accipiant, decernit tamen „Sacrosancta Synodus, nullum, etiam „regularem, posse confessiones Sæcu- „larium, etiam Sacerdotum, audire, „nec ad id idoneum reputari, nisi aut „parochiale beneficium, aut ab Epi- „scopis per examen, si illis videbitur „esse necessarium, aut alias idoneus „judicetur, & approbationem, quæ „gratis detur, obtineat, privilegiis & „consuetudine quacunque, etiam im- „memorabili, non obstantibus.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. XLVII.

De Eccleſiaſticis vagabundis.

CAPUT XVI.

Arcentur ab ordinibus Eccleſiaſticis inutiles, & vagi.

„Cum nullus debeat ordinari, qui judicio ſui Epiſcopi non ſit utilis, „aut neceſſarius ſuis Eccleſiis; ſancta „Synodus, veſtigiis Sexti Canonis Concilii Chalcedonenſis inhærendo, ſtatuit, ut nullus in poſterum ordinetur, „qui illi Eccleſiæ, aut pio loco, pro „cujus neceſſitate, aut utilitate aſſumitur, non adſcribitur, ubi ſuis fungatur muneribus, nec incertis vagetur ſedibus, quod ſi locum, incon„ſulto Epiſcopo deſeruerit, ei ſacrorum „exercitium interdicatur. Nullus præterea Clericus peregrinus, ſine commendatitiis ſui Ordinarii literis, ab „ullo Epiſcopo ad Divina celebranda, „& Sacramenta adminiſtranda admittatur.

§. XLVIII.

De reſtaurandis Ordinum inferiorum functionibus.

CAPUT XVII.

Qua ratione exercitia minorum Ordinum repetenda?

„Ut

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„Ut ſanctorum Ordinum a diaconatu ad Oſtiariatum functiones, ab „Apoſtolorum temporibus in Eccleſia „laudabiliter receptæ, & pluribus in „locis aliquamdiu intermiſſæ, in uſum „juxta Sacros Canones revocentur, nec „ab hæreticis, tanquam otioſæ, tra„ducantur; illius priſtini moris reſti„tuendi deſiderio flagrans ſancta Syno„dus decernit, ut in poſterum hujusce„modi miniſteria nonniſi per conſtitutos „in dictis Ordinibus, exerceantur, o„mnesque & ſingulos Prælatos Eccle„ſiarum in Domino hortatur, & illis „præcipit, ut, quantum fieri commode „poterit, in Eccleſiis cathedralibus, „collegiatis, & Parochialibus ſuæ Diæ„ceſis, ſi populus frequens, & Eccleſiæ „proventus id ferre queant, hujusmodi „functiones curent reſtituendas, & ex „aliqua parte redituum aliquorum ſim„plicium beneficiorum, vel fabricæ Ec„cleſiæ, ſi proventus ſuppetant, aut „utriusque illorum, eas functiones „exercentibus ſtipendia aſſignent, qui„bus, ſi negligenter fuerint, Ordinarii „judicio, aut ex parte mulctari, aut in „totum privari poſſint, quodſi miniſte„riis quatuor minorum ordinum exer„cendis clerici cœlibes præſto non e„runt, ſuffici poſſint etiam conjugati, „vitæ probatæ, dummodo non bigami,

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

„ad ea munia obeunda idonei, & qui „tonſuram, & habitum clericalem in Ec„cleſia geſtent.

§. XLIX.

De Seminariis.

CAPUT XVIII.

Forma erigendi Seminarium clericorum, præſertim tenuiorum: in cujus erectione plurima obſervanda: de educatione promovendorum in Cathedralibus, & majoribus Eccleſiis.

„Cum adoleſcentium ætas, niſi recte „inſtituatur, prona ſit ad mundi „voluptates ſequendas, & niſi a tene„ris annis ad pietatem, & Religionem „informetur, antequam vitiorum ha„bitus totos homines poſſideat, nun„quam perfecte, ac ſine maximo ac „ſingulari propemodum Dei omnipo„tentis auxilio, in diſciplina Eccleſia„ſtica perſeveret; ſancta Synodus ſta„tuit, ut ſingulæ Cathedrales, metro„politanæ, atque his majores Eccle„ſiæ, pro modo facultatum, & Diæ„ceſis amplitudine, certum puerorum „ipſius civitatis, & Diæceſis, vel ejus „provinciæ, ſi ibi non reperiantur, nu„merum in collegio ad hoc prope ipſas „Eccleſias, vel alio in loco conve„nienti, ab Epiſcopo eligendo, alere, „ac religioſe educare, & in Eccleſia„ſticis

„sticis disciplinis instituere teneantur: Sæcul. XVI.
„in hoc vero collegio recipiantur, qui A.C. 1563
„ad minimum duodecim annos, & ex
„legitimo matrimonio nati sint, ac le-
„gere, & scribere competenter nove-
„rint, & quorum indoles & voluntas
„spem afferat, eos Ecclesiasticis mi-
„nisteriis perpetuo inservituros, pau-
„perum autem filios præcipue eligi vult,
„nec tamen ditiorum excludit, modo
„suo sumptu alantur, & studium præ-
„seferant Deo, & Ecclesiæ inserviendi,
„hos pueros Episcopus in tot classes,
„quot ei videbitur, divisos, juxta eo-
„rum numerum, ætatem, ac in disci-
„plina Ecclesiastica progressum, par-
„tim, cum ei opportunum videbitur,
„ecclesiarum ministerio addicet; par-
„tim in collegio erudiendos retinebit,
„aliosque in locum eductorum sufficiet:
„ita ut hoc collegium Dei ministrorum
„perpetuum seminarium sit: Ut vero
„in eadem disciplina ecclesiastica com-
„modius instituantur, tonsura statim,
„atque habitu cleriali semper utentur;
„grammatices, cantus, computi ec-
„clesiastici, aliarumque bonarum ar-
„tium disciplinam discent: sacram Scri-
„pturam, libros Ecclesiasticos, homi-
„lias Sanctorum, atque Sacramento-
„rum tradendorum, maxime quæ ad
„confessiones audiendas videbuntur op-

„por-

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

„portuna, & rituum, ac ceremoniarum formas ediscent. Curet Episcopus, ut singulis diebus Missæ Sacrificio interfint, ac saltem singulis mensibus confiteantur peccata, & juxta confessoris judicium sumant Corpus Domini nostri Jesu Christi; cathedrali, & aliis loci Ecclesiis diebus festis inserviant. Quæ omnia, atque alia ad hanc rem opportuna & necessaria, Episcopi singuli cum consilio duorum Canonicorum Seniorum, & graviorum, quos ipsi elegerint, prout Spiritus Sanctus suggesserit, constituent, eaque ut semper observentur, sæpius visitando, operam dabunt. Dyscolos & incorrigibiles, ac malorum morum seminatores acriter punient, eos etiam, si opus fuerit, expellendo, omniaque impedimenta auferentes, quæcunque ad conservandum, & augendum tam pium & sanctum instituti tutum pertinere videbuntur, diligenter curabunt. Et quia ad collegii fabricam instituendam, & ad mercedem præceptoribus & ministris solvendam, & ad alendam juventutem, & ad alios sumptus, certi redditus erunt necessarii; ultra ea, quæ ad instituendos, alendosve pueros sunt in aliquibus Ecclesiis, & locis destinata, quæ eo ipso huic Seminario sub eadem

„Epi-

„Episcopi cura applicata censeantur, Sæcul XVI.
„iidem Episcopi cum consilio duorum A.C.1563.
„de capitulo, quorum alter ab Epi-
„scopo, alter ab ipso Capitulo eligatur,
„itemque duorum de Clero civitatis,
„quorum quidem alterius electio simi-
„liter ad Episcopum, alterius vero ad
„clerum pertineat, ex fructibus inte-
„gris mensæ Episcopalis, & quarum-
„cunque dignitatum, personatuum, offi-
„ciorum, præbendarum, portionum,
„abbatiarum, & prioratuum cujuscun-
„que ordinis, etiam Regularis, aut
„qualitatis, vel conditionis fuerint, &
„hospitalium, quæ dantur in titulum
„vel administrationem, juxta constitu-
„tionem Concilii Viennensis, quæ in-
„cipit, *quia contingit*, & beneficiorum
„quorumcunque, etiamsi juris Patro-
„natus cujuscunque fuerint, etiamsi
„exempta, etiamsi nullius diæcesis,
„vel aliis Ecclesiis, monasteriis, & ho-
„spitalibus, & aliis quibusvis locis piis,
„etiam exemptis, annexa, & ex fabri-
„cis Ecclesiarum, & aliorum locorum,
„etiam ex quibuscunque aliis Ecclesia-
„sticis redditibus, seu proventibus, e-
„tiam aliorum collegiorum, in quibus
„tamen seminaria discentium, vel do-
„centium ad commune Ecclesiæ bo-
„num promovendum actu non haben-
„tur, hæc enim exempta esse voluit,

„præ-

Sæcul. XVI. A C. 1563

„præterquam ratione reddituum, qui „ſuperflui eſſent, ultra convenientem „ipſorum Seminariorum ſuſtentationem, „ſeu corporum, vel confraternitatum, „quæ in nonnullis locis Scholæ appel„lantur, & omnium Monaſteriorum, „non tamen Mendicantium, etiam ex „decimis quacunque ratione ad laicos, „ex quibus ſubſidia Eccleſiaſtica ſolvi „ſolent, & milites cujuscunque mili„tiæ, aut Ordinis pertinentibus, fra„tribus Sancti Joannis Hieroſolymitani „duntaxat exceptis, partem aliquam „vel portionem detrahent, & eam por„tionem ſic detractam, necnon bene„ficia aliquot, ſimplicia, cujuscunque „qualitatis, & dignitatis fuerint, vel „etiam præſtimonia, vel præſtimonia„les portiones, etiam ante vacationem „nuncupatas, ſine cultus divini, & illa „obtinentium præjudicio, huic colle„gio applicabunt, & incorporabunt, „quod locum habeat, etiamſi beneficia „ſint reſervata, vel affecta; nec per „reſignationem ipſorum beneficiorum, „uniones & applicationes, ſuſpendi, vel „ullo modo impediri poſſunt: ſed om„nino quacunque vacatione etiamſi in „curia, effectum ſuum ſortiantur, qua„cunque conſtitutione non obſtante. Ad „hanc autem portionem ſolvendam, be„neficiorum, dignitatum, perſonatuum, „&

„& omnium, & ſingulorum ſupra com- Sæcul. XVI.
„memoratorum poſſeſſores, non modo A.C. 1562
„pro ſe, ſed pro penſionibus, quas aliis
„forſan ex dictis fructibus ſolverent;
„retinendo tamen pro rata, quidquid
„pro dictis penſionibus illis erit ſolven-
„dum, ab Epiſcopo loci per cenſuras
„Eccleſiaſticas ac alia juris remedia
„compellantur, etiam vocato ad hoc,
„ſi videbitur, auxilio brachii ſecularis:
„quibusvis, quoad omnia & ſingula
„ſupradicta, privilegiis, exemptionibus,
„etiamſi ſpecialem derogationem re-
„quirerent, conſuetudine, etiam im-
„memorabili, & quavis appellatione,
„& allegatione, quæ exécutionem im-
„pediat, non obſtantibus, ſuccedente
„vero caſu, quo per uniones effectum
„ſuum ſortientes, vel aliter, ſemina-
„rium ipſum in totum vel in partem
„dotatum reperiatur, tunc portio ex
„ſingulis beneficiis, ut ſupra, detracta
„& incorporata, ab Epiſcopo, prout
„res ipſa exegerit, in totum vel pro
„parte remittatur, quod ſi Cathedra-
„lium, & aliarum majorum Eccleſia-
„rum Prælati, in hac Seminarii ere-
„ctione, ejusque conſervatione negli-
„gentes fuerint, ac ſuam portionem
„ſolvere detrectaverint, Epiſcopum Ar-
„chiepiſcopus, Archiepiſcopum & Su-
„periores Synodus provincialis acriter

„cor-

Sæc. XVI. A.C.1563.

„corripere, eosque ad omnia supra „dicta cogere debeat, & ut quam pri„mum hoc sanctum & pium opus, ubi„cunque fieri poterit, promoveant, stu„diose curabit: rationes autem red„dituum hujus Seminarii Episcopus sin„gulis annis accipiat, præsentibus duo„bus a Capitulo, & totidem a Clero „civitatis, deputatis. Deinde, ut cum „minori impensa hujusmodi Scholis in„stituendis provideatur, statuit sancta „Synodus, ut Episcopi, Archiepiscopi, „Primates, & alii locorum Ordinarii, „Scholasterias obtinentes, & alios, qui„bus est lectionis vel Doctrinæ munus „annexum, ad docendum in ipsis Scho„lis instituendos, per seipsos, si ido„nei fuerint, alioquin per idoneos sub„stitutos, ab eisdem Scholasticis eli„gendos, & ab Ordinariis approban„dos, etiam per subtractionem fru„ctuum cogant & compellant, quodsi „judicio Episcopi digni non fuerint, a„lium, qui dignus sit, nominent, omni „appellatione remota, quodsi neglexe„rint, Episcopus ipse deputet. Doce„bunt autem prædicti, quæ videbun„tur Episcopo expedire. De cetero „vero officia, vel dignitates illæ, quæ „Scholasteriæ dicuntur, nonnisi Docto„ribus vel Magistris, aut Licentiatis in „Sacra pagina, aut in jure Canonico, „&

„& aliis perſonis idoneis, & qui per „ſeipſos id munus explere poſſint, con- „ferantur: & aliter facta proviſio, nul- „la ſit & invalida, non obſtantibus qui- „busvis privilegiis & conſuetudinibus, „etiam immemorabilibus.„ Sæcul. XVI. A. C. 1563.

„Si vero in aliqua provincia Eccle- "ſiæ tanta paupertate laborent, ut Col- "legium in aliquibus erigi non poſſit, "Synodus provincialis, vel Metropoli- "tanus, cum duobus antiquioribus ſuf- "fraganeis, in Eccleſia metropolitana, "vel alia provinciæ Eccleſia commo- "diori, unum, aut plura collegia, prout "opportunum judicabit, ex fructibus "duarum, aut plurium Eccleſiarum, in "quibus ſingulis collegium commode "inſtitui non poteſt, erigenda curabit, "ubi pueri illarum Eccleſiarum edu- "centur.

„In Eccleſiis autem amplas Diæce- „ſes habentibus poſſit Epiſcopus unum „vel plura in Diæceſi, prout ſibi op- „portunum videbitur, habere ſemina- „ria: quæ tamen ab illo uno, quod in „civitate erectum & conſtitutum fuerit, „in omnibus dependeant. Poſtremo ſi „vel pro unionibus, ſeu pro portionum „taxatione, vel aſſignatione & incorpo- „ratione, aut qualibet alia ratione, „difficultatem aliquam oriri contigerit, „ob quam hujus Seminarii inſtitutio

Saecul. XVI. A.C. 1563.

„vel conservatio impediretur aut per„turbaretur, Episcopus cum supra de„putatis, vel Synodus provincialis, pro „regionis more, pro Ecclesiarum, & „beneficiorum qualitate, etiam supra „scripta, si opus fuerit, moderando „aut augendo, omnia & singula, quæ „ad felicem hujus Seminarii profectum „necessaria & opportuna videbuntur, „decernere, ac providere valeat.„

Igitur in hoc Tridentinæ Synodi decreto, prout elucet, ac valde notandum videtur, septem capita fuere sancita, in quorum primo præcipiebatur, ut in qualibet Ecclesia Cathedrali erigatur Collegium, seu Seminarium, in quo certus puerorum ex ipsa civitate, & Diæcesi, vel ejus Provincia ortorum numerus ab Episcopo seligatur, ut ibidem hi alantur, ac Religiose educentur, necnon in Ecclesiasticis disciplinis instituantur.

II. Illi, qui ad hoc collegium reciperentur, ad minimum *duodecim habeant annos, & ex legitimo matrimonio nati sint, ac legere, & scribere competenter noverint; & quorum indoles, & voluntas spem afferat, eos Ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros.*

III. Præcipue pauperum Filii eligantur, neque vero *ditiorum excludantur, hi tamen suo sumptu alantur, & stu-*

dium

dium præseferant Deo, & Ecclesiæ inserviendi.

IV. *Hos pueros Episcopus in tot classes, quot ei videbitur, divisos, juxta eorum numerum, ætatem, ac in disciplina Ecclesiastica progressum, cum ei opportunum videbitur, Ecclesiarum ministerio addicet.*

V. Habitu clericali *semper utantur, & grammatices, cantus, computus Ecclesiastici, aliarumque bonarum artium disciplinam discant: sacram Scripturam, libros Ecclesiasticos, homilias sanctorum, atque Sacramentorum tradendorum, maxime quæ ad confessiones audiendas videbuntur opportuna, & rituum, ac ceremoniarum formas ediscant.*

VI. *Saltem singulis mensibus confiteantur peccata, & juxta Confessoris judicium sumant Corpus Domini nostri Jesu Christi.*

VII. *Dyscoli, & incorrigibiles, ac malorum morum Seminatores acriter puniantur, eos etiam, si opus fuerit, expellendo.*

Cetera respiciunt ejusmodi Seminariorum fundationes, ac media, quibus sufficientes proventus hisce Collegiis attribui valent.

§. L.

Quorumdam Patrum oppositio contra Residentiæ decretum.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Hæc Sessionis vigesimæ tertiæ decreta unanimi Patrum suffragio fuere approbata, sex tamen Præsules unice quædam minoris momenti capita immutari, ac clarius explicari petebant, quin tamen decreta rursus examinarentur, sed duntaxat quædam declaratio adderetur. Verum decretum de residentia majori obnoxium erat difficultati, undecim enim Præsules illud impugnabant, quorum aliqui illud penitus rejiciebant, atque alii duntaxat aliqua ex parte approbabant: eorum tamen oppositiones flocci habebantur: unde decretis a potissima parte acceptatis, ac prælectis Sessio proxima per sequens decretum indicebatur.

§. LI.

Decretum pro indicenda proxima Sessione.

Pallav. hist. Conc. Trid. l. 21. c. 12. n. 10. Visconti tom. 2. Mem. lettr. 55. p. 179.

„Insuper eadem Sacrosancta Tridentina Synodus proximam futuram Ses„sionem in diem decimum sextum men„sis Septembris indicit: in qua agetur „de Sacramento Matrimonii, & de aliis, „si qua erunt ad doctrinam fidei perti„nentia, quæ expediri possint: item, „de provisionibus episcopatuum, digni„tatum, aliorumque beneficiorum Ec„clesiasticorum, ac de diversis reser„mationis articulis. Attamen prorogata

„gata fuit hæc Seſſio ad undecimam „Novembris diem anno milleſimo quin-„genteſimo ſexageſimo tertio. Sæcl. XVI. A.C. 1563.

§. LII.

Lunenſis Comes Proteſtantes ad Synodum invitari rogans.

Ex proſpero hujus Seſſionis ſucceſſu Synodi brevi abſolvendæ ſpes augebatur: verum Lunenſis Comes Hiſpaniæ Regis Orator a Legatis petebat, ut Proteſtantes denuo ad Concilium invitarentur: equidem pia erat Comitis voluntas; hac enim ratione Proteſtantibus vel ad Eccleſiam redeundi medium ſuppeditare, vel iis omnem calumniandi anſam præripere ſtudebat: verum iterata hæc convocatio plus juſto Synodum, quæ aliunde nimium protrahebatur, prorogaſſet, ſi Proteſtantes ad illam acceſſiſſent: hinc non deerant, qui hanc petitionem nonniſi ad Regis Catholici ſollicitationem, ac ex ſolo Patres detinendi ſtudio, a Comite fuiſſe interpoſitam arbitrabantur: aſt ut ut res ſe habuerit, id omnino pro comperto habetur, quod hac petitione rejecta Proteſtantes accerſiti non fuerint: porro poſtea nominabantur Theologi, qui articulos diſcuterent a Sacramentis ſejunctos, cujusmodi erant Indulgentiæ, Religioſorum vota, Sanctorum in- *Pallav. l. c. Viſconti & Mem. l. c.*

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

vocatio, S. Imaginum cultus, & Purgatorium: cum vero Lunensis Comes dubia, quibus Synodi progressus retardabatur, identidem moveret, atque obstacula Concilium longius protrahentia opponeret, hac super re Præsides apud Cæsarem, & Pontificem querebantur: hinc ab his rescriptum, harum difficultatum, nisi solidæ fuerint, nullam habendam esse rationem.

§. LIII.

Hæc Capita per Legatos ad Papam transmissa, actumque de Seminario Romæ erigendo.

Pallav. n. 12. & 13. litt. A. Borr. ad Legat. 11. Aug.

Acceptis hisce mandatis Legati discutiendis materiis toto studio incumbere decernebant, ut autem Oratoribus manifestum facerent, quod serio de emendatione agi peterent, quadraginta duos articulos confici curabant, eosque ad Papam transmittebant, non tam ex eo fine, ut Pontifex desuper mentem suam aperiret, quam duntaxat ut de iis certior fieret. Insuper eidem significabant, quod in nuperæ Sessionis decreto circa Seminaria in quavis Diœcesi erigenda, nonnulli disertis verbis declarari petierint, ut ejusmodi Collegium Romæ erigeretur, ipsi vero sese horum petitioni opposuissent, ne Synodus leges sacræ Sedi præscribere videretur,

Sæcul. XVI. A C. 1563.

retur, de cetero autem illis promisissent, quod ipsemet summus Pontifex pro suæ, qua fulget. dignitatis munere hoc decretum effectui daturus esset, hinc a se Sanctitatem suam rogari, scribebant, ut ipsorum promissa operis executione firmare dignaretur. Ad hæc summus Pontifex per Borromæum Cardinalem ad Legatos suos ista rescribi jussit: *Non vult amplius Pontifex quemquam consulere de capitibus memoratis, nec de reliquis, quæ isthinc mittentur in posterum; siquidem certo scit, ob ingeniorum varietatem nunquam nos conventuros, & indies magis dissensuros: adeo autem necessaria est Synodi absolutio ob caussas plurimas sæpius scriptas, ut nihil, quod eam retardet, possit, prout nos arbitramur, culpa gravissima carere: maximum in rebus omnibus, quod fieri possit, bonum, & minimum malum peragite, atque hoc animo progrediamini, quo quam celerrime deveniatis ad exitum Concilii: quod Pontifici videtur potius absolvendum solemniter, quam suspendendum, cum id majus Dei obsequium, major noster honor, ac dignitas ab ipso putetur: & ubi res eo deductas animadvertetis, ut sanctis postea dogmatibus, confectisque jam dictis disciplinæ legibus, opportunum absolvendæ Synodi tempus arbitremini, & vobiscum major Patrum numerus consenserit,* dicit Pontifex, *ut nulla ratione habita re-*

Sæc. XVI. A.C. 1563.

luctantium, nec ullis deterriti minis cujusvis hominis, finem imponatis. Data erat hæc Pontificis epistola die decima quarta Augusti, in qua Pius IV. nullam quidem de Seminario Romæ erigendo mentionem fecerat, nihilominus idem Borromæus in suis literis ad Legatos significabat, quod statim, quam primum de erigendis ejusmodi seminariis Tridenti agi percepissent, animum adjecerit ad id Romæ perficiendum, sicuti autem brevi se id præstiturum intendebat, ita postea executioni dedit.

§. LIV.

Actum de articulo circa matrimonia clandestina.

Pallav. l. 22. c. 1. n. 16.

Postquam hi articuli proponebantur, de duobus præprimis acriter disputatum est, quorum primus erat de clandestinis matrimoniis, ac de iis quærebatur, an ea ob graviſſima mala exinde orta tanquam irrita essent declaranda? idcirco Oratores Galli, quorum regna fortassis hoc incommodum frequentius, nocentiusque patiebantur, vigesimo quarto Julii a Concilio Regis nomine solemniter petierunt, ut hujusmodi matrimonia in posterum irrita decernerentur, renovatis antiquis nuptiarum ritibus: si vero gravi de

causſa

causſa interdum aliter fieri opportunum cenſeretur, ſaltem matrimonia pro non legitimis haberentur, quoties non adeſſent Parochus, cum tribus, aut pluribus teſtibus: inſuper petebant, ut etiam redderentur irrita matrimonia contracta a filiis absque parentum conſenſu, cum hæc plerumque eſſent noxia, ac familiis indecora, & odiorum potius, quam amoris fomes inter conjuges, proin ut iidem filiifamilias hac ratione in officio contineantur, & familiis ſuis ignominiæ labem inurere, ac ejusmodi matrimonia inire præpedirentur, ad quæ nonniſi immoderata libido incitat

Sæc. XVI. A.C. 1563.

§. LV.

Oratores Galli hæc matrimonia tanquam irrita declarari petentes.

Inſuper iidem Oratores petebant, ut ſimul remedium adhiberetur parentum ſocordiæ in curando filiorum ſtatu, ac certus annorum numerus præſcriberetur, quo abſoluto, ſi nondum filius a parentibus matrimonio fuiſſet collocatus, fas illi eſſet, per ſeipſum uxorem ducere. *Pallav. l. c.*

Hæc quæſtio haud exiguam concitabat diſputationem tam circa Eccleſiæ poteſtatem, quam ejusmodi legis utilitatem: Pontifex autem pro eo,

Sæcul. XV. A. C. 1563.

quod apud se jam statuerat, scribi jussit ad legatos mandans, ut id conficeretur, quod magis opportunum putarent: insuper illos certos reddi volebat, quod quidem adeo abhorreret a mulierum raptu, ut animo meditaretur Decretum hujusmodi, quo nunquam posset verum matrimonium contrahi inter raptorem, ac raptam, quam in rem antiquorum Canonum rigorem restitui vellet, gratum autem ipsi foret, si hoc negotium pariter illis committeretur.

§. LVI.

Episcopi omnium Parochiarum collationem sibi solis relinqui postulantes.

Alter articulus admodum arduus, agebat de collatione Beneficiorum, animarum curam complectentium: etenim Episcopis rationi, ac æquitati consentaneum videbatur, quod nullus Anni Mensis esset, in quo Papa ad illa nominare posset, adeo, ut cuncta Episcoporum potestati relinquerentur, cum hi cunctos in Diæcesi idoneos melius cognoscerent. Equidem Pius IV. satis intelligebat, & quantum id sibi detraheret, & ubi rei deliberatio Tridentinis Patribus remitteretur, ipsos pro se decreturos, noluit tamen, ut obex ille Synodi progressum, ejusque deci-

decisionem retardaret, sed cœpit etiam Legatis suis triplex remedium proponere, ut ex illis unum eligerent: porro eorum primum eo tendebat, ut cuncta Sacerdotia, quibus animarum cura est annexa, quocunque vacarent mense, ad Episcopos ita spectarent, ut pariter cuncta beneficia simplicia ad Pontificem pertinerent: altero autem petebatur, ut quemadmodum sæpe scripserat Borromæus, darentur ea Sacerdotia non alio modo, quam *in forma dignum*, prout hæc vocabula in Dataria explicantur, adeo, ut illud impetraturus, coram Ordinario testatum redderet, se dignum esse: si tamen neutrum istorum acciperetur, Legati ad tertium descendere jubebantur, videlicet ut Pontifex cuncta Paræciarum Sacerdotia in ipsius mensibus vacantia conferret solum dignis viris, & ex ipsa Diœcesi, quorum album ab Ordinariis ipsi mitteretur: insuper emendationis capita, quæ Legati Cardinali Lotharingio, ac postea Ferrerio, sicuti pariter ceteris Oratoribus communicaverunt, gravi molestiæ duobus prioribus fuere, cum ipsis videretur rejici, ac despici suum consilium, & oblatam opem ad absolvendam Synodum absque tanti temporis, novarumque sanctionum impendio. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Nihilo-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Nihilominus Cardinalis Lotharingius hæc capita rata habuit, ad summum Pontificem reſcribens, quod omnibus ſuis viribus progreſſum, ac Concilii continuationem promoveret, atque illius exitum ardenter deſideraret.

§. LVII.

Lunenſis Comitis poſtulata a Legatis rejecta.

Pallav. c. 3. num. 1.

Cum pro felici Concilii exitu Romæ cuncta agerentur, interea Principum Oratores plura immutari petebant, hasque mutationes exponebant, & quidem inter alias poſtulabant, ut ex ſingulis Nationibus certus Patrum numerus ſeligeretur, qui Canones concinnarent, & ſuffragia colligerent. Hanc innovationem, quam jam ſæpius fruſtra petebat, rurſus Lunenſis Comes propoſuit, qui tamen nunc quoque ſucceſſu fruſtratus eſt, quippe eidem Præſides hæc in reſponſis dabant: „tuæ „petitioni adverſatur conſuetudo non „ſolum reliquarum omnium Synodo„rum, exceptis aliqua ex parte Conſtan„tienſi, ac Baſileenſi, ſed etiam repu„gnat ejusdem Tridentinæ ſub Paulo III. „ac Julio III. celebratæ mos, quapropter „cum adeo urgeret Rex Catholicus, ut „tres illæ convocationes declararentur „tanquam una Synodus, & præſens „ſub

„ſub Pio IV. tanquam præteritarum con- Sæcul. XVI.
„tinuatio diceretur, poſtulandum non A.C. 1563.
„eſt a te, ut prætermitteretur, ac ta-
„cite damnaretur mos in ipſis adeo pru-
„denter adhibitus: nam id ſi fieret, anſa
„porrigeretur ad impugnandas omnes
„conſtitutiones firmatas non ſolum illis
„temporibus, ſed etiam poſt poſtremam
„convocationem, quaſi modo non le-
„gitimo ſancitas, adeo, ut ad everten-
„dam funditus Synodi auctoritatem ea
„res tenderet.„

In hoc colloquio utrinque nonnihil acrius diſceptatum, ac præcipue Lunenſis Comes vehementius excandeſcebat, quin tamen importunius ea a ſe poſtulata impetraret: unde unacum Legatis diſcedens Navagerum Cardinalem adiit, queſtus, quod ſuæ poſtulationis modica haberetur ratio, quinimo a non paucis accuſaretur, quod Synodi exitum præpedire unice intentus foret. Navagerus ingenue fatebatur, quod de illo ejusmodi fama increbreſceret, ad quam tamen ipſemet anſam dediſſet, proin, ut hujus rumoris falſitatem contrario opere confunderet, quantum in ipſo eſſet, Synodi acceleration em totis viribus procuraret. Id equidem promiſerat Comes, Navagerus autem ab omni adulationis ſtudio alienus paucis reſpondit: „Spero, quod promiſſionis facili-

Sæcul. XVI. A.C.1563.

facilitati operis constantia non sit defutura.„ Postea ambo sermonem convertebant ad articulum, qui de Principibus Laicis pariter reformandis agebat: id vero sibi minus probari, significabat Comes, quamvis autem Navagerus ei persuadere niteretur, omnes emendationis articulos tam arcto nexu inter se conjunctos esse, ut aliqui acceptari nequeant, quin etiam ceteri recipiantur, nihilominus Comes hac etiam ratione nondum sibi satisfactum credebat.

§. LVIII.

Lunensis querelæ de gestis in nupera Sessione.

Pallav. n. 4.

Insuper Lunensis de iis, quæ in nupera Sessione gesta fuere, querebatur, hæc exponens: „quamvis cunctæ "nationes exoptassent, ut declararetur, "unde procederet Episcoporum institu"tio, nihilominus hac in re nihil huc"usque fuit decissum: imo ex adverso "duæ nationes nimirum Itali, atque "Hispani differentes, quibusnam præ"polleret Romani Pontificis potestas, "benignis auribus excipiebantur, dun"taxat Gallis hac in re repugnantibus. "Ad id respondebat Navagerus: ex hoc "ipso recenti facto confici potest, quan"tum in ipsis Præsidibus concordiæ a-

„mor

"mor valeret, eoquod repugnantia na- Sæcul. XVI.
"tionis unicæ, quæ ſuffragiorum nu- A.C.1563.
"mero minus potens erat, ipſos tamen
"continuiſſet, ne res tanti momenti ad
"Romani Pontificis utilitatem definire-
"tur: poſtea igitur ea omiſſa, haud con-
"decens videbatur, ut circa minorum
"Præſulum poteſtatem declaratio habe-
"retur, cum caput præcedere debuiſſet,
"de quo Itali cum Gallis conveniſſent,
"adeoque juſtæ querelæ cauſſa iſtis
"non ſuppeteret, quod ex Hiſpanorum
"duntaxat ſententia, ac voto non fuiſ-
"ſet ad eam definitionem deventum.

§. LIX.

Legati ſuam innocentiam coram Lunenſi Comite vindicantes.

Poſtea Legati frequentius in ædibus Cardinalis Moroni conveniebant, quo etiam Lotharingius, & Madrutius Cardinales accerſebantur, ut ibidem res ab Oratoribus circa Reformationis articulos annotatas diſcuterent, atque ad eam redigerent normam, quæ graves contentiones declinaret: verum accepto interim Roma exemplo illius epiſtolæ, quam calumniis plenam Lunenſis Comes adverſus Legatos ad ſummum Pontificem, & Avilam Oratorem perſcripſerat, Legati initio ſtatuebant, Comiti ejusmodi dare reſponſum, ex quo

Pallav. u. 5. Viſconti t. 2. Mem. lett. 65. du 16. Aug. p. 265.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

quo nonnisi mendacia ab eo fuisse expositа manifestum fieret, nihilominus cum hoc responso Comitis animum magis exasperari, & proin morum reformationi, ac Concilio absolvendo nova obstacula opponi considerarent, privatam offensionem lenitate, ac modestia ulcisci decreverunt, unice in id intenti, ut suam innocentiam vindicarent, eumque persuasum redderent, quod in omnibus juxta prudentiæ, & honestatis præcepta egissent.

§. LX.

Comitis querelæ de privatis Italorum Præsulum conventibus.

Pallav. c. 3. num. 6.

Ad hæc reposuit Comes: „nunquam in animum induxi quidquam minus honestum ab ejusmodi viris con„fectum fuisse, sed fateor, sæpius audi„tas a me fuisse graves susurrationes ob „eos privatos cœtus, qui in ipsorum „ædibus habebantur, eo viginti Italis, „& duobus solum Hispanis, totidemque „Gallis accitis.„ Ad hasce querelas mox Synodi Præsides hæc reponebant: „cum nostrum munus esset, sicuti dixi„mus, difficultates amovere, & con„troversias componere, id effici a nobis „non potuit absque illorum consilio, & „ope, quos ad hoc idoneos putavimus, „proin etiamsi verum sit, Italos longe „majo-

„majori, quam alios frequentia intereſſe, „non tamen id diſſonum videri debet, „cum Synodo centum quinquaginta ex „Italis adeſſent, reliqui vero ex aliis „Provinciis tantum ſeptuaginta: præ„terquam ſi Comes rem absque præoc„cupati animi impetu, diſcutere vellet, „facile cognoſcere poſſet, quod ſua opi„nione plures aliarum Nationum Epiſ„copi convenerint, ac præſertim duo „Cardinales Lotharingius, & Madrutius, „necnon Eccleſiaſtici Cæſaris, ac Regis „Poloniæ Oratores interfuerint, imo i„pſemet Comes, ſi eſſet Eccleſiaſticus, „in eos cœtus convenire potuiſſet, quod „nos ſummopere exoptaſſemus, ut ipſe „cognoſcere valeret, qua ratione res i„bidem diſcutiantur, & cur Epiſcopi „convocentur.„ Denique abſolutum eſt hoc colloquium, cum ambo acquieſcerent, ac polliceretur Lunenſis Comes, daturum ſe operam celeritati, ſuæque Nationis Præſules hortaturum, ut cuncta prudenter, ac moderate decidenda approbarent. Sæcul. XVI. A. C. 1563.

§. LXI.

Legatorum literæ ad Papam circa ſuſpenſionem Concilii.

Poſtea Legati, ubi ſummum Pontifi- *Pallav. c. 3.*
cem de hujus colloquii ſucceſſu cer- *n. 7. & 8.*
tiorem reddiderunt, ſimul reſponde-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

runt ad articulum de Concilii ſuſpenſione, ab eodem propoſitum, mox autem rejectum: itaque hanc in rem Pontifici exponebant, quod mere ex humanis rationibus Principes hanc Concilii ſuſpenſionem exoptarent, qui tamen potius privata ſua coñoda communi totius ChriſtianæReipublicæ utilitati poſtponere deberent. Ceterum reipſa conſilium de interrumpenda Synodo brevi evanuit, imo quod antea ardenter petebatur, mox penitus oblivione ſepultum jacuit. Attamen Comes Lunenſis a ſuis querelis non deſtitit præcipue queſtus, quod Legati in ſuis ædibus privatos cogerent conventus, quocirca minabatur, ſi id agere perſiſterent, ſe quoque in ædibus ſuis convocaturum cunctos Præſules Regi ſubjectos, tum Hiſpanos, tum Italos, adjecta ipſis prohibitione, ne Præſidum coetus adirent, ſed unaomnes ad novum hunc conventum accederent. Verumtamen Legati haſce minas, cum illarum imbecillitatem ſibi ſat compertam haberent, flocci pendebant, ac ſemper pro more ſuo conveniebant, adhibita tamen ea circumſpectione, ut Comitis indignationem magis accenderé veriti privatos hoſce cœtus haud amplius in ſuis ædibus, ſed in Præſulum Palatiis agerent. Poſtea die decima tertia Auguſti Præſides habito generali

Con-

Conventu rursus agebant de causa Grimani Veneti Patriarchæ, cujus supra meminimus. Intererant omnes Judices excepto Premislienſi Epiſcopo tum ægrotante. Sæcul. XVI. A. C. 1563.

§. LXII.

Patrum ſententiæ pro abſolvendo Grimano Patriarcha.

Hæc Congregatio ad ſeptimam usque horam protrahebatur, ubi omnes unanimi conſenſu declarabant, quod epiſtola a Grimano ad Utinenſem ſuum Vicarium generalem pluribus abhinc annis ſcripta, cui tota innitebatur accuſatio, circa quasdam propoſitiones a quodam Prædicatore de Prædeſtinatione enuntiatas nihil cenſura dignum, nullamque propoſitionem contineret, quæ non æque in Sanctis Auguſtino, Proſpero, Bernardo, Thoma Aquinate, atque in pluribus aliis Doctoribus reperiretur. Idem quoque ſenſere cuncti Theologi, quibus ea res fuerat communicata, & tantum Guererus Granatenſis Archiepiſcopus, atque Ayala Segobienſis Antiſtes quadam utebantur reſtrictione, affirmantes, quod quidem in eandem etiam opinionem convenirent, cum tamen res nondum maturius diſcuſſæ, nec ſententiæ ea de cauſſa a Theologis Romanis prolatæ fuerint, hinc *Pallav. l. c.*

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

minus contenti essent. Verum quorumdam opinio fuit, in ea epistola Theologiæ Scholasticæ methodum haud fuisse observatam, sed in quadam apologia, a Grimano Patriarcha postea ad eam defendendam confecta, dubitationem omnem fuisse ablatam. Porro Præsides a judicibus petierunt, quatenus suam quisque sententiam scripto breviter traderet, ut forma judicii servaretur: pariter Veneti Oratores cursorem illico ad Senatum misere, ut de hoc eventu eum facerent certiorem, nec minus Legati de eodem negotio scripserunt ad Pontificem, qui postea illis respondit, monens, ut id, quod æquum esset, perageretur, quare sequenti mense lata fuit de Grimano sententia, quemadmodum ostendemus.

§. LXIII.

In quadam congregatione circa matrimonia clandestina disputatum.

Pall. c. 4. n. 1. Viscont to. 2. Lett. 63. du 12. d'Aous. p. 351.

Postquam cum summa solertia in privatis Theologorum coetibus æque, ac in Prælatorum Congregationibus circa articulum de Matrimonii Sacramento, ejusque abusibus disceptatum erat, ac post quatuordecim alios particulares Patrum conventus demum in generali Canones, & decreta fuerant digesta, tandem die trigesima prima Julii

lii colligebantur suffragia, ubi acriter disputatum est de matrimoniis clandestinis, utrum illa tanquam irrita, vel legitima declaranda essent. Sæcul. XVI. A. C. 1563.

Præprimis asserebant nonnulli, quod nonnisi unicum emendationis decretum conficeretur, illudque ad Canonum calcem apponeretur; cum autem per hosce Canones damnaretur opinio illorum, qui ea matrimonia, quæ antea fuerant contracta, subsistere negabant, hinc in eo decreto declaratum, quod non valerent illa matrimonia, quæ imposterum absque testibus numero saltem tribus contraherentur, aut sine Parentum consensu celebrarentur, si filius necdum decimum octavum, vel filia decimum sextum, ætatis annum attigisset: ut autem hoc decretum eo facilius reciperetur, non tanquam dogmatis decisio, sed duntaxat veluti reformationis decretum proponebatur.

§. LXIV.

Decretum circa Matrimonia varie conceptum.

Ab initio hoc decretum sub his verbis proponebatur: *Sacrosancta Dei Ecclesia, Spiritu Sancto afflata, animadvertens magna incommoda, & gravia peccata, quæ ex clandestinis conjugiis ortum habent, præsertim vero eorum, qui* Pallav. l. 4. n. 3. & 4.

Sæcul. XVI. A. C. 1563

in ſtatu damnationis permanent, dum ſæpe priore uxore, cum qua clam contraxerunt, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt, alias graviſſimis poenis ea prohibuit, eademque tamen irrita non fecit: ſed hæc Sacroſancta Synodus, cum animadvertat, remedium illud propter hominum inobedientium hucusque parum profuiſſe, decernit, ut in poſterum matrimonia illa, quæ clam contrahuntur absque tribus teſtibus, irrita ſint, quemadmodum præſenti Decreto irrita facit: præterea eadem Synodus irrita facit ea matrimonia, quæ contraherentur a filiis familias ante annum decimum octavum completum, & a filiabus ante decimum ſextum completum, abſque genitorum conſenſu, remanentibus tamen in ſuo robore aliis legibus, contra matrimonia clandeſtina promulgatis.

Altera die ſeptima Auguſti idem Decretum nonnihil correctum Patribus congregatis proponebatur, eratque his verbis conceptum: *Præcipit ſancta Synodus, ut cunctæ perſonæ, quæ in poſterum audebunt contrahere matrimonium, aut ſponſalia, abſque præſentia ſaltem trium teſtium, ſint inhabiles ad ejusmodi matrimonia, aut ſponſalia contrahenda adeoque cuncta ab ipſis geſta ad matrimonium, aut ad ſponſalia contrahenda, irri-*

ta

ta sint, sicuti præsenti decreto irrita red- Sæcul. XVI.
duntur. A. C. 1563.

Porro de conjugiis Filiorum familias varia erat Patrum opinio, an nimirum matrimonia a masculis ante vigesimum ætatis annum, a puellis autem ante completum decimum octavum absque Parentum consensu contracta, declarentur nulla, nisi ubi parentes de suo consensu rogati ad nuptias honeste a filiis expetitas inique dissentirent, cujus tamen repulsæ cognitio Episcopi judicio relinqueretur, adeo, ut tunc, si Episcopus nullam legitimam hujus repulsæ caussam subesse judicet, filii familias obtenta ejusdem Præsulis facultate matrimonium contrahere valeant.

§. LXV.

Lotharingii Cardinalis sententia circa hoc argumentum.

Suaserat Lotharingius Cardinalis, ut ad Canones propositos alius adiceretur, ubi damnaretur opinio Calvini, docentis, ob diversam religionem, aut ob affectatam conjugis absentiam, vel ob alias caussas, quæ conjuges a mutuo vitæ consortio impedirent, matrimonii vinculum dissolvi. Id tunc quadraginta solum Patribus probatum est, sed postea reliquis consentientibus acceptata est hæc Cardinalis propositio: de clande-

Sæcul XVI A.C 1563.

stinis vero matrimoniis ita idem effatus est: „quamvis offensæ, quæ in „Deum inde proveniunt, non expendentur, sed solum civilis status detri„menta considerarentur, liquido tamen „cognoscitur non utilitas modo, sed ex„trema etiam necessitas ea irrita de„clarandi: præterea omitto cuncta bo„na, quæ in Rempublicam redundant, „dum legitima conjugia instituuntur, „& vaga prohibentur: quatuor autem „numerantur hujusmodi bona scili„licet I, cognationum unitas, II. fides „conjugalis, III. beneficium prolis, IV. „gratia Sacramenti: dum econtra cum „summo damno amittitur maritalis fi„des, si alter conjugum, arbitratu suo „potest vinculum conjugale dissolvere, „adeo, ut sæpe adulteram quasi uxo„rem impune in thorum inducere va„leret, vera uxore veluti concubina re„pulsa: insuper inde Ecclesiæ occasio „frequenter præbetur rejiciendi verum „conjugium, & adulterium tanquam „legitimum conjugium comprobandi: „nec minus tollitur bonum prolis, quan„doquidem sæpe contingit, liberos le„gitimos despici tanquam nothos, no„thos vero tanquam legitimos antefer„ri, ac denique ob tam grave delictum, „Sacramenti gratia in sceleris sordes „convertitur. Opto itaque, ut præ-

„ter

„ter solemnes alios ritus ad Sacramen- Sæcul. XVI.
„ti virtutem etiam Sacerdotis benedi- A.C.1563.
„ctio in decreto adderetur: si enim
„hæretici petierunt, ut impii ipsorum
„ministri nuptiis bene precentur, mul-
„to convenientius id agendum in Ec-
„clesia catholica, in qua veri sunt Dei
„ministri, verique Sacerdotes: præte-
„rea irrita esse reddenda censeo matri-
„monia contracta a Filiis absque paren-
„tum voluntate, sicuti decretum præscri-
„bit; rationis enim, & naturæ lumen di-
„ctat, quod munus Patris sit filio dare u-
„xorem, prout idem habetur in exemplis
„sacræ Scripturæ, ubi semper constat,
„filias fuisse ab earum Patribus in ma-
„trimonio collocatas: attamen si vel-
„lent fortasse parentes, assensu non præ-
„stito, eas cogere, aut ad claustra sub-
„eunda, aut ad contrahendum conju-
„gium cum viro ipsis minus accepto,
„poterit ab Episcopo huic rei prospici.„
His dictis Cardinalis unicum in hoc decreto mutandum proposuit, cum enim hæc auctoritas utrique parenti tribuenda non sit, ideo loco vocis, *Parentum*, dicatur potius, *Patris:* id vero consonum esse ajebat, non modo juri naturali, sed civili etiam, necnon legibus latis a Christianis Imperatoribus, quales erant Theodosius, Valentinianus, & Justinianus, qui diserte prohi-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

buerunt ejusmodi matrimonia, quibus deest Patris consensus, quin tamen hisce prohibitionibus Episcopi, & Concilia unquam repugnassent.

§. LXVI.

Madrutii Cardinalis, & Patriarchæ Veneti sententia.

Pallav. c. 4. n. 7. & 8. Viscont. to. 2. dans le billet de la Lett. 63. p. 257.

Madrutius Cardinalis contraria opinatus ita differebat: „ Profecto „non occurrunt validæ rationes, ob quas „Ecclesia post continuam tot sæculo„rum consuetudinem ad rem adeo no„vam adducenda sit, hinc corrupte„las potius reparandas censeo, easque „conditiones interdicendas, quibus hæc „matrimonia sæpe noxia reddebantur, „idque severis etiam pœnis inflictis pro„hibendum arbitror: „ Ejusdem quoque sententiæ erat Joannes Trevisanus Patriarcha Venetus, qui hæc edixit: „ Ecclesia potestate caret nulla de„clarandi hæc matrimonia, eoquod illa „irritum pronuntiare non valeat id, cui „tota natura, & Sacramenti essentia in„est, quamvis ritus ad illud requisiti de„sint: proin minus adhuc irrita effici „possunt matrimonia contracta a filiis „familias absque parentum voluntate, „cum per hoc libertas ab illis tolla„tur, quam tamen ab ipsa natura acce„perunt, nam si naturæ lex eos reddit „ ido-

„idoneos ad copulam, cum fœmina duo- Sæcul. XVI.
„decimum annum complet, & mas de- A.C. 563.
„cimum quartum, hinc juri naturali
„obsistitur, si genitoris arbitrio per-
„mittatur prorogatio hujusce temporis
„ad decimum sextum, & decimum o-
„ctavum ætatis annum.

§. LXVII.

Granatensis Archiepiscopi sententia de ejusmodi matrimoniis omnino nullis.

Alia fuit opinio Granatensis Archi-
episcopi, qui ita censebat: „Si po- *Pallav n.9.*
„tuere irrita fieri ab Ecclesia etiam con-
„jugia, quæ prius contracta ex jure
„naturali subsistebant, cujusmodi erant
„inter infidelem, & fidelem, multo
„magis id ab Ecclesia fieri potest in ma-
„trimoniis primum contrahendis: pro
„certo autem habetur, quod ipsi Eccle-
„siæ potestas insit dirimens impedimen-
„tum inducendi inter eos, quibus an-
„tea id liberum erat ex quovis alio jure:
„id enim declarat impedimentum pro-
„veniens ex affinitate spirituali, quæ
„meræ legis Ecclesiasticæ vinculum est:
„Pœnitentia quoque Sacramentum est,
„& tamen sublata fuit ab Ecclesia vis
„absolutioni, quæ ab aliis, quam a pro-
„prio Pastore conceditur: dubitatio i-
„gitur non in Ecclesiæ potestatem ca-
„dit,

Sæc. XVI. A.C.1563.

„dit, sed in hujusmodi constitutionum „opportunitatem: hæc vero mihi ma„xima videtur, ob incommoda ab aliis „adducta: porro quod hoc novum sit, „nihil obstat: si enim talis ratio valeret, „fieret, ut nulla unquam sanctio nova „pro bono regimine, atque Ecclesiæ u„tilitate sit statuenda.

§. LXVIII.

Rossanensis Archiepiscopi judicium.

Postea ordine suo Castanea Rossanensis Archiepiscopus hæc proponebat: „Supervacaneum videtur, in disputatio„nem vocare, an ejusmodi potestas „competat Ecclesiæ; quamvis enim „re ipsa communior Theologorum opi„nio hanc potestatem in Ecclesia agno„scat, ab ea tamen quæstione Concilio „abstinendum est, nullamque desuper „legem condere oportet; quippe cete„ra exempla circa impedimenta, quæ „induxit Ecclesia, nihil comprobare vi„dentur, nam ea per illam statueban„tur, ut inhabiles ad contrahendum in„ter se reddiderit duas personas, quæ „antea erant ad id aptæ: ast in præ„senti casu, habilitate in Personis per„manente, duntaxat naturæ Sacramen„ti adjiceretur modus: verum utcunque „res se habeat, legem desuper condere „non expedit, ne occasio detur hæreti„cis

„cis deſtruendi Sacramenta, quia prio- Sæc. XVI.
„ribus ſæculis id factum non erat, quam- A.C. 1563.
„vis tunc eædem cauſſæ militaſſent: „ porro quod ſpectabat ad filios, animadvertit, quod a juvene e patria ſua egreſſo parentis aſſenſus facile haberi non poſſit, adeoque, ſi prohiberetur eo non obtento uxorem ducere, proximo violandæ caſtitatis periculo exponeretur.

§. LXIX.

Variæ Præſulum ſententiæ circa idem argumentum.

Poſtquam hæc ſententia a Fuſcarario Mutinenſi Epiſcopo impugnabatur: Antonius vero Ceronius Almerienſis Epiſcopus aliorum plurium opinioni accedens cenſebat, quod Eccleſia clandeſtina connubia tanquam irrita declarare deberet: eandem quoque ſententiam amplectebatur Martinus Rithovius Belga Yprenſis Epiſcopus, quamvis aliqui, dum ſuas proferebant ſententias, in rebus non adeo magni momenti ab eo diſcrepare viderentur. Ceterum prætermittimus ſententias aliorum Præſulum, quorum alii hæc clandeſtina matrimonia eſſe valida, alii nulla fore cenſebant. *Pallav. n. 11.*

§. LXX.

Patris Layneſii opinio de hiſce matrimoniis, ut validis.

Jam

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Pallav. n. 25.

Jam referemus ſententiam Patris Layneſii ſupremi Jeſuitarum Moderatoris, qui probare aggrediebatur, quod ex natura ſua malum non ſit conjugium clandeſtinum, cum ita contraxiſſent veteres parentes noſtri, & in compluribus conditionibus id tanquam licitum comprobaretur a moralis Theologiæ Magiſtris. His præmiſſis ſecundo comprobatum reddere nitebatur, ita inquiens: „nunquam Eccleſia ejusmodi „matrimonia reddidit irrita, nam in „allegato Evariſti Papæ decreto poſtu„lantur eodem modo multa alia, quæ „tamen connubio minime neceſſaria „ſunt, cum credi vix poſſit, quod ille „ea requiſierit, tanquam ejus efficaciam intime conſtituentia: inſuper a„pud Tertullianum, Evariſto propin„quum, legitur, quod matrimonia oc„culta ſint firma: Evariſtus igitur in„telligendus eſt, quod voluerit matri„monium irritum eſſe, ubi in ipſum non „influxerit interior conſenſus, ſicut in „hujusmodi conjunctionibus ſæpe con„tingebat.„ Hanc interpretationem ſuam Layneſius comprobabat verbis ad finem additis ab eodem Papa: *niſi propria voluntas acceſſerit.* Præterea idem affirmabat, ſibi non videri profuturum Decretum propoſitum, eoquod eſſet in parentum poteſtate filiorum conjugia per

per multos annos impedire, eosque periculo licentioris vitæ exponere. Poſtea monuit, ejusmodi decretum nec ab hæreticis, nec apud complures Catholicorum nationes acceptum iri, adeoque innumera illic adulteria ſecutura, ex quibus oriretur legitimæ ſucceſſionis inverſio. Denique cauſſas ad hoc decretum conficiendum allatas, in Eccleſia easdem ſemper perſtitiſſe edixit, atque addidit, ab hujusmodi Decreto illud præſtitum iri, quod Calvini doctrina jam effectum affirmabat. Tandem aſſeruit, quod in dubiis tutior ſit a culpa, ac reprehenſione, qui nihil innovat: nec reticuit, valde incertum eſſe, an ejusmodi decretum ab Eccleſia effici poſſit; non ergo illius auctoritatem in diſcrimen eſſe adducendam concluſit, ac prolixius demonſtravit, quod non ſit in Eccleſiæ jurisdictione variare divinum jus, atque coarctare id, quod ab Evangelio conceditur.

Sæcul. XVI. A C. 1563.

HISTO-

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ CONTINUATÆ

LIBER CLXVI.

PIUS IV. PONTIF. MAXIMUS, FERD. I. OCC. IMP.

§. I.

Patris Layneſii ſcriptum contra clandeſtini connubii damnationem.

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

Interea de matrimoniis clandeſtinis, necnon de Filiorum-familias connubiis inter Præſules, & Theologos a vigeſima quarta Julii die uſque ad exitum hujus Menſis diſceptatum eſt: re autem rurſus agitata, diſputationes ab undecima Auguſti uſque ad decimam tertiam ejusdem Menſis diem protrahebantur, præſentibus Theologorum celeberrimis, qui unacum Procuratoribus ad audiendos Patres hac de re diſſerentes accerſebantur: nulli ergo labori, ac ſtudio parcebatur, ut hæc quæſtio omni, qua par eſſet, ſolertia diſcutere

Pallav. n. 26. Viſcont. to. 2. lett. 63. p. 059

cuteretur, simulque in decreto utilia, ac proficua ab iis, quæ minus decebant, exacte segregarentur: eapropter singulis communicabatur Patris Laynesii scriptum, quo hic Jesuita decretum contra matrimonia clandestina promulgandum impugnabat, ac ejusmodi matrimonia non esse damnanda defendebat: verum exigua habebatur hujus scripti ratio. Sæcul. XVI. A. C. 1563.

§. II.

Venetus Orator matrimonium ob adulterii caussam dissolvendum petens.

Paulo majorem attentionem merebantur Venetæ Reipublicæ Oratores, qui, cum anathema parari intelligerent contra eos, qui matrimonia consummata ob adulterium dissolvi affererent, mox suas rationes exponebant, ita perorantes. „ Hoc anathemate, nisi illud „a Canone hanc in rem confecto delea„tur, inferenda timetur non modica „offensio Orientalis Ecclesiæ populis, „præsertim vero Venetorum Insulis, „Cretæ, Cypro, Corcyræ, Zazyntho, Ce„phaloniæ, aliisque multis, non so„lum cum publicæ quietis, sed cum Ec„clesiæ Catholicæ detrimento: com„pertum quoque est Patribus, quod, ta„metsi Græca Ecclesia a Romana ex „parte dissentiat, non tamen eo despe- *Pallav. n. 27. Visc. lettr. 63 p. 251.*

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

„rationis deventum sit, ut unio sperari „non posset; præsertim cum Græci in „subjectis Reipublicæ locis degentes, „quamvis ritu suo vivant, Præsulibus ta„men a Romano Pontifice assumptis „obtemperent: eapropter tam rerum „convenientia, quam Oratorum mune„re compellimur, ne eos populos per„cuti sinamus ejusmodi anathemate, „quo ad tumultum, integramque a Sede „Apostolica secessionem provocarentur: „satis enim constat, in more positum a„pud Græcos, ut uxorem adulteram „deserant, & aliam ducant, veterrimam „Majorum consuetudinem, ut ipsi di„cunt, secuti, nec idcirco illi damnati, „aut anathemate perculsi sunt ab ulla „Synodo Oecumenica, etiamsi Roma„næ, & catholicæ Ecclesiæ hujusmodi „mos liquido innotuisset: existimamus „igitur nostri esse muneris, quam effica„cissime possumus postulare, ut illæ Ca„nonis voces adeo moderate leniren„tur, ne Græcis detrimentum inferant, „præsertim intentato anathemate, quod „abs dubio confici poterit non solum „nullatenus læsa Ecclesiæ Catholicæ „dignitate, sed fortasse retenta plurimo„rum Doctorum reverentia, si hoc de„cretum sequentibus verbis concipe„retur.

§. III.

§. III.

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

Canonis forma a Venetis Oratoribus propoſita.

His prolatis Canonem ejusmodi verbis confici poſſe ajebant: „ Ana- *Pallav. l. 8.*
„thema ſit, ſi quis dixerit, ſacroſanctam „Romanam, Catholicam, & Apoſtoli„cam Eccleſiam, quæ Mater, & Magi„ſtra aliarum eſt, erraſſe, aut errare, „cum docuit, & docet, propter adulte„rium alterius conjugum, matrimo„nium non poſſe diſſolvi, nec utrumque, „vel etiam innocentem conjugem, qui „cauſſam adulterio non dedit, debere „novum matrimonium contrahere, mæ„charique eum, qui dimiſſa adultera „alteram duxerit, & eam, quæ dimiſſo „adultero alteri nupſerit. „

Veſpere eadem die in quadam Congregatione hæc Venetorum Oratorum petitio unacum norma ab eis propoſita diſcutiebatur, ubi Patrum non pauci cenſebant, eorum precibus eſſe deferendum: quapropter concluſum, anathema duntaxat eſſe pronuntiandum in illum, qui dixerit, Eccleſiam erraſſe, aut errare, dum docet, quod matrimonii vinculum per adulterium non diſſolvatur.

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

§. IV.

Antinorus unacum mandatis a Papa Tridentum ablegatus.

Pallav. c. 5. n. 1. & 2.

Cum Pontifex exiguam transmissi mandati sui rationem a Legatis fuisse habitam ægre ferret, hinc ut eadem jussa illis oretenus significarentur, ad eos ablegabat Antinorum, qui cum Lotharingio Cardinale conferens, ut illius consilia penitius exploraret, eidem exponebat, se Tridentum venisse, ut illum Romam comitaretur, eumque suo in itinere omnibus honoribus ipsius dignitati debitis afficeret: verum obsequiosa hæc verba erant nonnisi urbanitatis prætextus, quippe Antinorus huic Cardinali potius persuadere jubebatur, ne Tridento discederet, priusquam Synodus esset absoluta: insuper eidem injungebatur, ut Legatis exponeret, quam vehementer Papa Concilium tandem ad exitum deduci peroptaret, quocirca eos hortari jubebatur, ut præsentem rerum vicissitudinem in rem suam verterent, ac Lunensis Comitis oppositionibus se terreri minime paterentur.

§. V.

Legatorum Responsum ad Papam circa Lunensis Comitis oppositionem.

Legati

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Legati ſummo Pontifici hæc in reſponſis dabant: „nos non minus „ferventer, ac Sanctitas veſtra proſpe„rum Synodi exitum deſideramus, at„que in id omnes vires intendimus: „verum ægerrime flecti poteſt Lunen„ſis Comes, quem tanta Epiſcoporum „cohors reveretur, ac ſequitur, multi„que Oratores, ac præcipue Cæſariani „ſibi conjunctum habent: expediret e„quidem, ut honor Cardinali Lotha„ringio deferretur, ſed in eo peccari „poteſt non ſolum defectu, ſed & exceſ„ſu, ac præſertim nimia honorum ſpe„cie, quæ aliorum oculos perſtringe„ret, & umbris obvolveret: inſuper „quamprimum agitatum memoratæ Le„gationis negotium in aures multorum „pervenerat, mox plures, imo ipſos „etiam Gallos, qui illud tamen promo„verant, hoc negotium moleſtia ſimul „affecit, nam iidem aut ejus legatio„nis opinionem, aut effectum extinctu„ri aſperiores de induſtria annotatio„nes, & appendices appoſuerunt ad e„mendationis capita, quæ ipſis commu„nicabantur. Ceterum vix ſperare li„cet, quod Lotharingius Tridenti poſt „Seſſionem permanere velit, idque ei„dem ægerrime perſuaderi poſſet.

Pallav. n. 3. Viſcont. l. 8. p. 243.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. VI.

Cæsaris Literæ ad Moronum, & Lotharingium Cardinales.

Pallav. n. 7. Sub idem ferme tempus Cæsar datis ad Moronum literis hæc significabat: „Synodi prorogationem minime „quidem comprobo, sed opto, ut Synodus non finiatur, donec Respublica Christiana inde fructum decerpat, & Ecclesiæ suos Præsules recuperent, hinc „mihi non displicet consilium Pontificis, „quod perscribebat Cardinalis Lotharingius, de sollicitando Synodi fine Italorum simul, & Gallorum Præsulum „opera, interim tamen cuncta juxta Canones peragenda censeo, ne ullum „caput absque decisione relinquatur ex „iis, quorum gratia conventus fuerat „habitus, neque illa minori diligentia, „quam consueverat, ac decebat, ob festinationem agitentur: secus enim „Concilio derepente præciso, in gravissimam offensionem, ac periculum amplioris ab Ecclesia secessionis incursum „iri timeo, majori cum detrimento, „quam si nunquam fuisset coactum.„ Ceterum cum Moronus ad Cæsarem scripsisset, Synodum de sola universali emendatione tunc acturam, postea vero ad peculiares pro singulorum Regnorum commodo descensuram, hinc

Cæsar

Cæsar in memoriam eidem revocabat, quod is Oeniponti pro certo spopondesit, stabilitum iri celeriter, quidquid ad utilitatem populorum subjectorum pertineret, proin se sperare ajebat, quod tunc, si quid occurreret, quod a Pontifice aut a Concilio peteret, id ab illis pro eo, ac par est, expenderetur, cum ipse nihil in gratiam privatæ utilitatis suæ petiturus esset, sed in emolumentum animarum ditionis suæ, Imperii, ac Religionis, ut ejus reliquiæ adhuc superstites conserventur. Pariter Cæsar speciatim Lotharingio Cardinali hæc perscribebat, „ præter opinio„nem ad me pervenit notitia, quod „Pontifex tam accensam Synodi termi„nandæ voluntatem habeat, ut eo festi„net via non trita, & acclivi: porro nun„quam ego in animum inducere po„tui, hac in occasione rationes huma„nas adeo præpollere, ast ubi id peragi„tur, plurimum offensionis exinde ori„turæ prævideo. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. VII.

Lotharingii Cardinalis animus ad hanc Cæsaris epistolam.

Paucis hisce Ferdinandi verbis in Lotharingio Cardinale deferveſcebat desiderium, quo Synodum absolvi, seque tanquam Legatum in Gallias decerni vehementer usque ad hoc tempo- *Pallav. n. 18.*

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

ris momentum exoptabat: eapropter tum spargere cæperat, quod usque ad proximam Sessionem Tridenti persistere, usumque Calicis concedi, totis viribus urgere velit, ut hac ratione Protestantes eo facilius ad sinum Ecclesiæ revocari possent: declarabat insuper, quod cum Cleri consensu procurare vellet, ut quædam Ecclesiastica bona divenderentur, hocque pacto Regnum ære alieno levaretur, nunquam vero Franciæ Legationem, quamvis ei offerretur, se acceptaturum dicebat, ut maledicorum calumnias, atque hæreticorum accusationes eluderet: denique promiserat, quod non velit quidquam in Galliis sancire, ne per Pontificiam quidem auctoritatem, absque reliquorum Præsulum consensu.

§. VIII.

Lotharingii Cardinalis literæ ad Papam.

Pallav. n. 11. *Mem pour le Conc. Lett. de Loth. au Pape* 16. *Aug. p.* 483.

Verum biduo, antequam ampla hæc verba proferret, longe diversam animi sui sententiam die decima sexta Aprilis calamo summo Pontifici manifestabat; suis enim literis hæc exponebat: „ Percepi, quod Sanctitas vestra „Synodum feliciter absolvi exoptet, „cum non modo ea, quæ dogma respiciunt, sed etiam cuncta ad solidam omnium

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

„mnium Ordinum emendationem ne-
„ceſſaria plene ſint deciſa: hinc Lan-
„ſacum ad Franciæ Aulam reverti cu-
„rabam, dato eidem negotio, ut is, quæ
„deſuper mens mea eſſet, Reginæ Ad-
„miniſtratrici exponeret, qui etiam
„hanc provinciam ſibi demandatam
„cum tanta prudentia, ac dexteritate
„obibat, ut proſperum hujus legationis
„ſucceſſum expectans ſpem concipiam,
„fore, ut ne Rex quidem Synodi exi-
„tum quovis obſtaculo retardare velit,
„nec dubito, quin Sanctitas veſtra
„meam agendi rationem æqui, boni-
„que conſulat, præcipue cum mihi nun-
„tiatum ſit, quod ipſemet Cæſar meas
„rationes ratas habeat, exactius tamen
„ea de re edoceri petat per illum No-
„bilem Virum, quem ea de cauſſa ad
„Cæſarem ablegavi: quamprimum igi-
„tur hic gratum reſponſum tulerit, mox
„illud Sanctitati veſtræ communicabo:
„interea vero rem eo deducere cona-
„bor, ut ad hujus Menſis exitum Ses-
„ſio celebrari valeat, in qua omnia e-
„mendationem, & Matrimonii Sacra-
„mentum concernentia abſolvi pote-
„runt; quamvis enim Patres circa
„clandeſtina connubia in diverſas ab-
„eant ſententias, adjutorio tamen Spi-
„ritus Sancti confiſus unionem inter
„illos revocari ſpero: finita autem Seſ-

Sæcul XVI. A. C. 1563.

„sione quantocius Romam contendere „decrevi, ut ad Sanctitatis vestræ pe„des provolutus obsequii mei studium „rursus manifestum reddere, ac testari „valeam, quod nemo alius me magis „Sanctitati vestræ addictus nil intenta„tum relinquam, ut benignam, quam „de me concepit, opinionem conser„vare possim.

§. IX.

Oratores Cæsarei juncta cum Lunensi Comite opera agere jussi.

Pallav. l. 22. c. 5. n. 12. & 13.

Die vigesima septima ejusdem Mensis Augusti rursus aliæ Cæsaris literæ ad Synodum deferebantur, in quibus Ferdinandus suis Oratoribus significabat, quod reformationis decreta sibi transmissa cum tanto artificio essent confecta, ut Principibus ejusmodi reformatio haud toleranda ostenderetur, eo fine, ut illam rejicerent, necnon in ipsos infamia recideret, atque Aula Romana regesta in alios culpa in antiqua dissolutione sua persisteret.

Postea ad particularia progressus ajebat: „multa continentur in hisce „articulis de Ordine Ecclesiastico, quæ „quidem mihi egregia videntur, ut ta„men intelligerem, quo pacto ea in „usum deduci possent in Imperii locis, „optarem, ut illic adessent Episcopi „Ger-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„Germaniæ, aut certe illorum Procu-
„ratores: nec mihi dubium est, illos,
„ubi certiores ea de re fierent, bono-
„rum Præsulum muneri non defuturos.
„Ceterum in vigesimo nono capite dici-
„tur, irritas, ac nullas reddi cunctas
„sanctiones, constitutionesque Princi-
„pum, quæ adversus Clericorum, & bo-
„norum Ecclesiasticorum immunitates
„pugnarent, hujusmodi autem decre-
„tum mihi, ac fortasse cunctis Principi-
„bus haud tolerandum videtur; nun-
„quam enim oppressi, sed semper de-
„fensam volui libertatem Ecclesiasticam:
„animadvertendum tamen, quod præ-
„ter leges communes, quodcunque Re-
„gnum suis propriis, & antiquissimis
„consuetudinibus regatur, præterquam
„quod etiam ex jure communi Eccle-
„siasticorum immunitati suæ distinctio-
„nes, ac limitationes insint: hinc puto,
„cunctos Principes in varias super eo
„Decreto difficultates offensuros, sicuti
„nonnullas in quodam Gallorum scripto
„jam perlegi: certum igitur responsum
„nunc reddere non possum de articulo
„tam amplo: si vero Præsides vellent
„adhuc progredi, & curare, ut decre-
„tum comprobetur, tunc mihi mei Orato-
„res ob oculos ponent prævalidas diffi-
„cultates, in quas impingeret in locis sub-
„jectis ejus acceptio, nedum executio,

„id-

Sæc. XVI. A.C. 1563.

"idque potissimum fieret ob subsidia, a "quibus ex vetustissima consuetudine "Ecclesiastici non erant immunes ob "communem incolumitatem, quoniam "ea bona cum hoc onere devenerant in "illorum manus, Apostolica Sede con- "sentiente, & comprobante, si tamen "neglectis hisce rationibus ad sancien- "dum, atque approbandum hujusmodi "Decretum procederetur, mei Orato- "res, communicato cum Hispanis, Gal- "lisque consilio, solemni ritu declara- "bunt, quod sibi non liceat illi consti- "tutioni assentiri, cum ea detrimentum "afferret sacri Imperii juribus, ut proin "adversus perturbationes omnes inde "proventuras reclamare cogantur.

§. X.

Reformationis articuli a Cæsare immutati.

Pallav. n. 14 Denique Imperator plura in ceteris articulis immutabat, quo tamen variationes menti sacræ Synodi admodum consonæ erant, aut jam antea factæ sunt, quippe Imperator in articulo tertio, ubi in templis interdicebatur mollior harmonia, optabat, ne cantus, quem figuratum appellant, excluderetur, cum sæpe is ad pietatis sensum excitet: insuper in quarto, & in postremo, per quos vetabantur Principes violare

precibus, minisve libertatem Ecclesiasticorum in habendis electionibus, petiit idem Cæsar, ne Principes moderatas, & justas deprecationes interponere prohiberentur. Postea articulo octavo, in quo beneficiorum Dominis erat interdictum, ne plures, quam unum præsentarent, opposuit, quod potius in Ordinariorum, quibus jus conferendi competit, quam in Dominorum emolumentum cederet, si hi plures Clericos nominaverint, idcirco laudavit, quod Oratores sui petiissent, ut a Dominis singuli singulis vicibus nominentur, adeo, ut tunc, si primus haud censeretur idoneus, secundus nominaretur. Ceterum in nono articulo habebatur, quod ibi, ubi Paræciarum proventus tenuiores essent, hi a Parochianis aut per decimas, aut collationes supplerentur: observabat autem Cæsar, quod in Germania id fieri non possit, cum ibi decimæ a Laicis, qui ab Ecclesia illas coemerunt, plerumque possideantur, & collationes adeo frequentes sint ad alias necessitates, ut novum hoc onus addi populis nequaquam posset, adeoque satius foret, si per aliquam beneficiorum conjunctionem illis consuleretur. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

In decimo tertio aufferebantur jura patronatus iis, qui ea non obtinebant titulo

Sæcul.XVI. A.C. 1563.

titulo fundationis, aut dotationis, eademque legitimis Scripturis non probarent: cum autem hujus articuli dispositione detrimentum inferretur pluribus antiquissimam possessionem obtinentibus, quamvis hi primæ possessionis literas temporum injuriis deperditas producere non possent, vel hoc jus etiam ex privilegiis, aut ex Cæsarum, aut aliorum Principum gratia obtinuissent, hinc Cæsar petebat, ut Oratores sui aliis Oratoribus se jungerent, atque efficerent, ut hic articulus deleretur.

In vigesimo secundo cunctis Laicis, etiam Cæsari negabatur osculum Evangelii, & instructæ in pacis signum imaginis; verum hic Princeps opponebat, prudentius videri sibi, si Principes ad eas sacras functiones singulari quodam honorum, ac prærogativæ signo allicerentur. In eodem Articulo continebatur, quod Episcopi præcederent in quavis actione privata, & publica cunctos Laicos, cujuscunque status, eminentiæ, & administrationis forent. Ast Cæsar contendebant, id videri sibi potius depravationem, quam reparationem, cum superbiam, & non demissionem Ecclesiasticam spiraret: præsertim autem in Germania fieri posse negabat, ut veteres ritus mutarentur.

In

In vigesimo tertio præcipiebatur cunctis Episcopis, ut invisérent Diæceses suas, populique sumptus, atque expensas ad id suppeditarent. Verum affirmabat Cæsar, quod neutrum observari posset in Germania, ubi Præsules nolunt suas diæceses visitare sine magno comitatu, adeoque cum magno dispendio, nec ibidem ob eandem caussam propter Diæcesium amplitudinem possunt eas integre invisere, quare sibi videri opportunius ajebat, si Episcopi suis sumptibus propinqua loca per se, remota autem per suos Archidiaconos invisere juberentur. Sæcul. XVI. A.C.1563.

In trigesimo tertio observabat, apte consuli Ecclesiæ in decimis exigendis, sed esse retinendam indemnitatem complurium Laicorum, qui justo titulo eas sibi acquisiverant.

Insuper Imperator discutiebat annotationes a suis Oratoribus factas, quarum plures approbabat, & quidem voluit, in primo capite sanciendum esse, ut ex omni regione Cardinales eligerentur: in tertio autem petiit, ut sacra Psalmodia non præcipitanter, sed cunctatim recitaretur, ad captum, & pietatem composita, atque Ecclesiasticis venationes, ludi, & choreæ prohiberentur: in quadragesimo secundo autem voluit, ut mulctæ pecuniariæ in

pios

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

pios usus converterentur ab Ordinariis in ipso delicti loco: denique Cæsar alias hujusmodi annotationes ratas habuit, & tandem suam epistolam absolvit, Oratores suos hortatus, ut ipsum de omnibus deinceps gerendis exacte certiorem redderent, atque hac in re Franciæ Oratores, qui cuncta ad suum Regem retulerunt, (*) imitarentur, antequam sua responsa Legatis redderent: hanc enim accurratam omnium communicationem, inquiebat Cæsar, Principes severe, & quidem jure a suis Oratoribus exigunt, eoquod Legati tam exactam relationem præstent erga summum Pontificem, ut propterea accusarentur, perinde acsi Synodo libertatem adimerent. (**)

§. XI.

(*) Addit Pallavicinus: *prout Cæsar arbitrabatur, tametsi falso, ut patet ex iis, quæ ipsius Oratores rescripsere.*

(**) Hæc Continuator quidem ex Pallavicino mutuabat, ex incuria tamen ea refert, tanquam a Cæsare dicta, quæ tamen nonnisi animadversio fuit a Pallavicino facta: hic enim ita ait: *Tam severe (& jure quidem) Principes a suis Oratoribus exigebant antecedentem illam communicationem, & in agendo subjectionem, quæ si a Legatis exercebatur erga Pontificem, ab iis accusabatur, quasi Concilii servis-*

§. XL.

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

Lunensis Comitis consilium a Cæsareis rejectum.

Priusquam hæ Cæsaris literæ afferebantur, jamjam Tridentini Patres reparatæ disciplinæ articulos corrigebant, eosque ad minorem numerum reducebant, ut ante diem Sessioni præfixam plene digeri possent, necnon gratificarentur Oratoribus, qui eorum nonnullos minime approbabant, nec minus supererant duo articuli, qui Cæsari valde molesti videbantur, eorumque primus de Principibus laicis, qui verbis licet magis moderatis, quam ad Cæsarem fuerat missus æque, ac ceteri reformationi subjiciebantur: altero autem irrita reddebantur *jura patronatus* in privilegio fundata: igitur Cæsarei Oratores accepta mandata Comiti Lunensi aperuerunt: ipse vero censebat, nihil peculiariter opponendum duobus hisce articulis, quando proponerentur, ne ipsi viderentur libertatem Concilii perturbare. *Pallav. l. 22. c. 6. n. 1.*

servitus, adeo ut Pius, sicuti vidimus, ad tam multas vociferationes sedandas coactus fuerit demandare, ut ad quodcunque Decretum pergeretur, ipsius sententia non cognita, neque rei notitia prius ad se delata.

Sæc. XVI. A. C. 1563.

turbare, sed generatim respondendum, eos non probari: si vero ad firmandos articulos ventum esset, tunc pro viribus strenue, acerrimeque reluctandum: verum Cæsariani hoc Consilium non admittebant, utpote nimis violentum, ciendisque tumultibus sat opportunum: Cum autem Quinqueecclesiarum Episcopus æger decumberet, solus Archiepiscopus Pragensis huic consilio obluctatus Legatos adiit, eosque docuit, quod Cæsar omnino peteret, ne duo illa Decreta proponerentur. Ad hæc gravem animi mæstitiam præseferens Cardinalis Moronus respondit, mirari se, Cæsarem, qui semper tam acre emendationis universalis studium professus fuisset, velle nunc Laicos Principes necessariæ correctioni subtrahere.

§. XII.

Legati Moroni consilium de statuenda Principum emendatione.

Pallav. l. c.

Hanc in rem Moronus Legatus hæc subjunxit: „cum ego, meique so„cii, antequam rem proposuimus, ex„plorare voluimus voluntatem Pontifi„cis, qui tamen se quasi spoliaverat ea „prærogativa, & concesserat liberam „Concilio potestatem cuncta conficiendi, „adeo, ut nequidem præmoneretur: „nunc vero Cæsar adeo non Pontificis exem-

"exemplum imitatur, ut etiam leges "præscribere velit: quare si Cæsariani, "dum res proponetur, suas contestatio- "nes objicerent, nos nihilominus nostra "jussa exequemur, Patresque postea di- "mittemus, quamquam, etiamsi velle- "mus, haud ultra erit in nostro arbitrio "Episcopos adducere ad ferendam de "aliis articulis sententiam, illo, qui "præcipuus, ac controversus erat, re- "licto: porro palam questi sumus de "abusibus, & incommodis, quæ variis "in regnis tolerata fuere, non quidem "in Cæsaris, sed in aliorum Principum "ditionibus, unde affirmare cogimur, "ab Episcopis severum residentiæ De- "cretum fuisse frustra confectum, nisi "tollantur omnes residendi obices, ab "eisdem Principibus injecti, cum fieri "non possit, ut illic residerent, ubi Pa- "storum, & Præsulum honor adeo vi- "lescceret, ut ipsi Præsules se quasi pro "famulis haberi a quovis minimo dy- "nasta cognoscerent: si Cæsari ejus- "modi injuriæ innotescerent, certe non "adversaretur Concilio, sed potius il- "lud, ut tantæ necessitati consuleret, "vehementer incitaret.„

Sæcul. XVI. A.C 1563.

§. XIII.

Pragensis Archiepiscopi oppositio, ac Moroni Legati responsum.

Sæc. XVI. A.C. 1563.

Pragensis Archiepiscopus reposuit: „nunquam speraſſem, id a Legatis statutum iri, in comperto enim est, quam modeste se gesserit Cæsar ad eam usque diem, cunctaque reposuerit in Legatorum prudentia, etiam ea, quæ suo jure exigere fas sibi fuisset: at vero Imperator putabat, quod posset absque vitio incommoda referre, quæ in suis ditionibus eventura timebat, ut proin eidem tam vehementi responso occurrendum haud fuisset: ceterum existimo, de duobus illis reformationis articulis expendendam omnino esse deliberationem Cæsaris, utpote cui præ reliquis compertum est, quidnam Imperii saluti congruat.„ Ast Cardinalis Moronus hæc reposuit quamprimum per eundem Tabellarium duo illi articuli Cæsari mittentur ea forma, qua correcti fuerant, speramus, eos mox ab illo comprobatum iri. His acquievit Archiepiscopus Pragensis.

Paulo post Moronus Cardinalis, cum Cæsareos inter se dissidere animadverteret, Archiepiscopum Pragensem hac de re certiorem reddidit, cui hic in responsis dedit: „Cæsar decreta hoc pacto emendata acceptare non renuit; aliam tamen offensionis causſam habet, eo quod crederet, hisce articulis omnes sanctiones in Germaniæ comitiis de rebus

"rebus Ecclesiasticis factas condemnari: "hinc optat, ut major ipsius ratio "habetur, ejusque responsum, quod "brevi afferendum est, exspectetur.„ Ex altera parte Moronus, si quid durius enuntiasset, excusabat, atque ut Pragensi Archiepiscopo palam faceret, quanto studio Cæsari addictus esset, accepta silentii fide legendum illi obtulit id, quod Pius IV. scribebat circa confirmationem Romanorum Regis. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. XIV.

Pontificis dubia circa electionem Romanorum Regis.

Ut tota hujus rei series probe percipiatur, ea ab alto repetenda est; præcipue (*) cum hoc negotium, quod tum non sine ingenti fervore agitabatur, cum Synodi rebus valde connexum videatur. Maximilianus Ferdinandi Cæsaris Filius Francofordiæ anno priori die trigesima Novembris in Romanorum Regem eligebatur: cum autem Maximilianus nollet observare suorum Prædecessorum consuetudinem, *Pallav. c. 6. num. 6.*

(*) Pallavicinus ita ait: præsertim cum Suavis haud cesset eam rem sui carbonis ductibus depingere, quantum sibi valeat ad Sedis Apostolicæ dignitatem, ac famam denigrandam.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

vi cujus a summo Pontifice agnoscebantur, ac confirmabantur, hinc Pius IV. toto illo tempore plurimum instabat, ut Maximilianus suæ electionis confirmationem a Pontifice peteret; id enim urgere Cardinalis Moronus, cum Oenipontum ad Cæsarem pergeret, præcipue a Papa jussus erat. Præterea alia adhuc vitia quoad Maximiliani electionem notabantur, quæ tamen Pontifex se suppleturum spopondit, dummodo hic Princeps Catholicorum partes tueri vellet. Verum hanc sibi demandatam provinciam Moronus obire præpediebatur, hinc Delphinus Papæ Nuntius postea rem in se suscepit, eoque sollicitante Papa exigebat, ut Maximilianus suam electionem a sacra Sede confirmari peteret, necnon fidelitatis juramentum scripto præstaret.

§. XV.

Maximilianus Pontificis petitioni de præstando fidei juramento obluctatus.

Pallav. c. 6, num. 7.

Verum Maximilianus consentiente etiam Ferdinando Patre suo suam confirmationem a Papa petere recusabat, fidei autem Sacramento, quod exsolvere rogabatur, opponebat, illud a suis Prædecessoribus usurpatum non fuisse

fuisse, si vero eorum nonnulli per suos Oratores diadema a Papa recepissent, ac tum se fidem Catholicam defensuros promisissent, ne ipse quidem idem præstare renueret. Pontifex cum Maximiliani pertinaciam animadverteret, etiam ipse remissius egit, contentus, quod hic Princeps saltem erga Sedem Apostolicam quovis pacto fidem suam obstrictam demonstraret: verum Maximilianus juramento se adstringere recusabat, eoquod illud nec Maximilianus I. nec Carolus V. ut inquiebat ille, præstitissent. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. XVI.

Cæsareorum rationes contra juramentum a Papa petitum.

Ceterum Cæsarei objiciebant, quod, si de ejusmodi juramento vetera adducantur exempla, ea fuerint tum fortasse accommoda illius temporis Imperatoribus, a quibus par erat, ut Apostolica Sedes exigeret hujusmodi cautiones ob eas vexationes, quas sæpe illis infectantibus tolerabat: rebus autem nunc mutatis, ac regnantibus Imperatoribus, qui sunt veri Ecclesiæ defensores, eique apprime addicti, ejusmodi cautela omnino superflua videatur. Præterea hæc addebant: „jusjurandum illud Canonis, *tibi Domino*, fuit in usu, *Pallav. n. XI.*

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

"dum Cæsar Coronam susceperturus Ro-
"manum territorium ingrediebatur,
"cum autem nunc Romanorum Reges
"prima coronatione contenti sint, id-
"circo hæc lex præsentibus conditioni-
"bus haud aptari potest: nec memoria
"exstat hujusmodi recentis juramenti,
"antequam Reges Romanorum secun-
"dum *Bullam auream* eligerentur: illud
"vero quod hodie in usu est, utpote ha-
"bitum in tam celebri Germaniæ con-
"cursu, longe majoris æstimationis vide-
"tur, quam quidquid ageretur in Vati-
"cano Senatu: porro recentius Caroli
"IV., quod affertur juramentum, non
"videtur plurimi faciendum: cum enim
"ille Princeps electus fuisset eo tem-
"pore, quo Ludovicus Bavarus regna-
"bat, mirum non est, inductum illum
"fuisse ad quamcunque legem a Ro-
"mano Pontifice accipiendam, prout
"ab eo fieri solet, qui nonnisi nomine
"Principatum obtinet, & aliena indi-
"get ope ad reipsa possidendum: præ-
"terea ab Oratore arbitratu suo, non
"autem suorum Principum mandato il-
"lud aliud jusjurandum oblatum fuit,
"quod habebatur a Cæsare jam regnante,
"dum a Pontifice coronam accipiebat;
"verum valde indecora videtur confusio
"rituum, officiorumque in hujusmodi
"actionibus, quæ adeo variabant, ad-

jectis

"jectis cæremoniis diutius usurpatis, si "tamen talia juramenta secundum il- "lorum veterum tenorem, quæ Ponti- "fex adducit, reipsa fuissent habita sive "a Carolo V., sive a Maximiliano I. non "esset credendum, hujus rei tabulas, "prout Papæ fautores concedunt, in Ur- "bis direptione fuisse deperditas, cum "hæ conservari soleant a Romanis Pon- "tificibus in arce Ælia, quo Clemens "VII. & se, & pretiosissima quæque "receperat.„ Sæcul. XVI. A. C. 1562

§. XVII.

Hanc controversiam decidendi media.

Eadem ratione Cæsarei cetera argumenta a Romanis allata refellebant, atque exinde inferebant, quod Maximilianus juramentum a se petitum præstare non teneretur: cum autem summus Pontifex hanc Romanorum Regis constantiam probe prævideret, hinc jam antea, cum sua mandata dederat, Legatis injungebat, ut, si Maximilianus flecti non posset, mox totum hoc negotium silentio involverent, ne ipsius animum magis exasperarent: itaque moderatum hoc Pontificis consilium effectui datum, quamvis id nonnulli Romanæ Curiæ studiosi veluti nimis benignum reprobarent, atque ægre ferrent, quod Pontifex omni-

Pallav. l. 6. num. 13. Visc. lett. 59. du 26. D' Aout pag. 299.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

bus ſuis juribus cederet: nihilominus per crebras ſollicitationes impetrabatur primo, ut ſcriptum fide dignum de juramento, quod Maximilianus Francofordiæ præſtiterat, Romam mitteretur, ubi Archiepiſcopus eidem regium diadema imponens ab eo ſciſcitabatur: *Vis Sanctiſſimo in Chriſto Patri, ac Domino Romano Pontifici, & Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ debitam ſubjectionem, ac fidem reverenter deferre?* Rex vero reſponderat, *volo*, ad hæc, & alia a ſe promiſſa obſtringebat ſe jurejurando ſuper Evangeliorum libro: inſuper permittebatur, ut Maximiliani Orator ad Pontificem in ſuo cubiculo ſtantem deferret ejusdem Principis epiſtolam, qua ſe obſtringeret ad exhibendum illi omne officium, omnemque profeſſionem obſequii, quæ quovis tempore reperiretur exhibita ab ejus deceſſoribus, aut a Parente ſuo Ferdinando, aut a Patruo Carolo V. tandem obtinebatur, ut idem Orator in publico Purpuratorum Senatu deſcriptam recitaret formam illius reverentiæ, quam Rex ſacræ Sedi deferret, ſimulque ibidem prælegeret epiſtolam Regis ad Pontificem, quæ tametſi non contineret vocabulum *obedientiæ*, multum tamen *obſequii*, *ſubjectionisque* indicaret.

His

His ita ſtabilitis poſt maturam de- Sæcul. XVI.
liberationem ultro, citroque habitam A. C. 1563.
in Patrum Senatu, qui anno priori Menſe Februario cogebatur, prælecta fuit latina Maximiliani epiſtola ad Papam his verbis concepta: „Beatiſſime in "Chriſto Pater, Domine, Domine Re- "verendiſſime, poſt demiſſam commen- "dationem, & continuum incrementum "meæ filialis obſervantiæ, mitto ad "Sanctitatem tuam Georgium Comitem "Elfeſtain, qui pro meorum deceſſo- "rum more a te reverenter petat, ut "ea peragas, & concedas poſt meam "electionem in Regem Romanorum, "quæ Sanctiſſimi Pontifices agere, & "concedere conſueverunt: itaque dum "ego profiteor præſtari a me Sanctitati "tuæ, & Sanctæ Apoſtolicæ Sedi, nunc "& in poſterum, quidquid reperiretur "præſtitum a Majoribus meis, præci- "pue a divis Maximiliano, & Carolo V. "atque a Sereniſſimo Ferdinando, Do- "mino, ac Parente meo, non dubito, "a Sanctitate ſua viciſſim declaratum "iri in præſentia benevolam erga me "propenſionem ſuam: me quidem ſem- "per reperies in officio obſervantiſſimum "Sanctitatis tuæ, Sanctæque Sedis Apo- "ſtolicæ, cui Deus immortalis proſpera "cuncta concedat.

Poſtea

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Postea summus Pontifex ex Cardinalium Consilio, consensuque electionem, de qua diximus, confirmabat, supplens defectus jam enarratos, & in eo actu distincte numeratos: postea vero decretum est, ut in sequenti Senatu, qui post biduum die septima Februarii habitus est, exciperetur Legatus Maximiliani tanquam Regis Romanorum Orator: qui delatis Principis sui literis fidem conciliantibus, consuetam orationem præmittebat, pollicitus in illa ejusdem amorem, reverentiam, observantiam, & obsequium, studiose tamen hac voce *obedientia* usus non est, sed ejus loco verbum hoc: *obsequium* usurpabat. (*)

§. XVIII.

Hispaniæ Regis Consilium de Inquisitione Mediolani instituenda.

Pallav. l. 8. num. 2. Thuan. l. 36. initio.

Interea Philippus II. Hispaniæ Rex, cum sibi sat comprobatum haberet, quod tutissimum contra hæreses propugnaculum sacræ Inquisitionis tribunal esset, illud quoque in Mediolanensi Ducatu erigere constituit, ac Pontifex Regis hujus consilium ratum habens, eidem hanc facultatem concessit: vix autem

(*) Quod tamen, inquit Pallavicinus, latine idem sonat, ac obedientia.

autem hujus rei fama per Mediolanen- Sæcul. XVI.
ſem ditionem percrebuit, cum illico A. C. 1563.
nonnulli ad indignationem, alii autem
ad terrorem, ac ſaniores ad ſeditionem
concitarentur, quamvis vero illis pro-
poneretur, hujus Tribunalis judices
nequaquam Hiſpanos, ſed natione Ita-
los fore, qui minori ſeveritate uteren-
tur, nihilominus hi quoque ſua aucto-
ritate abuſuri credebantur, atque exem-
pla, quæ vel oculorum, vel aurium
teſtimonio erant comprobata, magis
adhuc mali timorem augebant. Deni-
que tam crebræ audiebantur indigna-
tiones, ut illæ tandem ad communem
Mediolanenſium ſeditionem ſpectare
timerentur: unde ad præcavendum
ejusmodi malum Pontifex conceſſam
facultatem revocabat, atque hoc Tri-
bunal erigi non permittebat.

§. XIX.

Melitenſis Orator in generali Congregatione exceptus, ac de Sacramento Matrimonii ſuam ſententiam edicens.

Die ſeptima Septembris generalis ha- *Pallav. c. 8.*
bebatur Patrum conventus, in *n. 7. & 9.*
quo præprimis Orator Melitenſis exci- *Pſal. p. 399.*
piebatur, ubi eidem ultimus locus poſt
Eccleſiaſticos Principum Laicorum Ora-
tores,

Sæcul. XVI A. C. 1563.

tores, seu post Episcopum Cortonensem assignabatur, & postea recitabatur Pontificis diploma, quo Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Antistitum jura illæsa servabantur.

Porro hic Melitensis Orator vocabatur Martinus Royas, qui ita perorabat: „Supremus Ordinis mei Magister haud "citius Oratorem Tridentum ablegare "poterat, eoquod rumor ubique insonaret, quod Turcarum classis immineret, ac Dragutes Pirata suam rabiem "in Insulam nostram effundere minitaretur.„ Postea de suo Ordine sermonem ingerens, illius antiquitatem, privilegia, expeditiones bellicas, & Religionis studium extollebat, simul pollicitus, quod totus Ordo eundem quoque fidei Zelum semper exercere paratus sit. Ad hæc Synodi Promotor respondit, quod Synodus supremi Magistri excusationem, ac fidei suæ promissum ratum habeat.

His peractis rursus de matrimonii Sacramento agebatur, ubi præcipuus disputationis cardo circa matrimonia clandestina vertebatur: ut vero decretum circa illa facilius perfici posset, alia proponebatur formula, in qua lex, quæ ejusmodi connubia prohiberet, his verbis restringebatur: „nisi tamen Episcopus opportunum censeret, matrimo-

„nium

„nium publice contractum coram Ec- Sæcul. XVI.
„cleſia cum aliquo impedimento, quod A. C. 1563.
„ſine ſcandalo detegi non poſſet, ite-
„randum poſtea, eodem impedimento
„ſublato, ſine teſtibus: declarat præ-
„terea Sacroſancta Synodus, matri-
„monium, ac ſponſalia contracta coram
„tribus teſtibus, probari poſſe per duos
„illorum, aut per aliam legitimam pro-
„bationem.

§. XX.

Decretum circa matrimonia Filiorum familias rurſus correctum.

Poſtea decretum, quod matrimonia Filiorum familias concernebat, rurſus corrigebatur, licet vero certa ætas, ſicut in priori forma, exigeretur, nimirum in maribus annus decimus octavus, & decimus ſextus in fœminis, adjectum tamen eſt, opus eſſe conſenſu Patris, aut avi paterni Catholici: ſedadhuc aliquo moderamine leniebatur, hæc neceſſitas, ut tunc, ſi illi licet rogati, diſſentirent injuſte, aut diutius abeſſent, contractus celebraretur cum Ordinarii facultate: denique præcipiebatur, ut ea decreta ſingulos obſtringerent poſt diem a prima promulgatione trigeſimum. *Pallav. c. 8. num. 10.*

§. XXI.

Sæc. XVI. A.C. 1563.

§. XXI.

Examen de neceſſario Teſtium numero.

Pallav. n. 16. & 17.

Cum Franciæ Rex ſuos Oratores inſtigaret, ut matrimonia, quæ coram Sacerdote, & tribus teſtibus non ſunt contracta, irrita declarari peterent, hi reipſa idem poſtulabant, hancque in rem publicas literas nomine Regis Chriſtianiſſimi in conventu die vigeſima quarta Julii habito porrigebant: verum Lotharingius Cardinalis petebat, ut decreti forma mutaretur, ac Sacerdotis præſentia tanquam valido Matrimonio neceſſaria præſcriberetur, quia tamen per hanc tot hominum, ac præcipue Sacerdotis præſentiam videbatur efficacia matrimonii nimium coarctari, idcirco non in prima ſolum, ſed etiam in ſecunda, ac tertia forma, quam Patres ad id a Synodo deſtinati propoſuerant, præſentia trium duntaxat teſtium requirebatur, nulla facta mentione Parochi, aut Sacerdotis; tametſi ob Gallorum poſtulata Patres diſſiderent dubii, an necne hujusmodi conditionis neceſſitas eſſet imponenda, plures tamen in eam abibant ſententiam, non modo duos, ſed tres teſtes eſſe adhibendos, eoquod facile contingere poſſet, ut unus ex duobus moria-

moriatur, aut peregre proficiſcatur, adeoque matrimonii probatio haberi non poſſit. Sæcul. XVI. A C. 1563.

Poſtea actum de teſtium conditionibus, ubi nonnulli cenſebant, non admittendos eſſe homines haud cognitos, atque hinc inde circumvagantes, ſed potius tales, qui fixum domicilium haberent: denique ſancitum, ut connubii contracti teſtimonia in codices referrentur, non a ſcriba, qui forte idiota, aut a partibus facile corrumpi poſſet, ſed a Parocho melius hujusmodi rem edocto, cum hic magis pœnas Eccleſiaſticas pertimeſceret, ſi forte ſuo miniſterio haud integra fide defunctus deprehenderetur. His omnibus rationibus permoti Epiſcopi, Oratores, ac Principes conſenſere, ut Parochi præſentia tanquam ad legitimi Matrimonii Sacramentum neceſſaria declararetur: petebant tamen Patres, ut Parochus nonniſi velut ſimplex teſtis præſens adſit, cum tamen Galli poſtularent, ut ipſe Sacramento per ſuam voluntatem, atque auctoritatem *præeſſet*, quod verbum utique plusquam ſimplicem teſtis præſentiam ſonabat.

§. XXII.

Duo articuli poſt longam diſceptationem a Patribus approbati.

Sæc. XVI. A.C.1563.

Denique decimo Septembris die absoluta est sententiarum collectio, quæ in quatuor classes dividebantur, quarum prima negabat, quod Ecclesia habeat potestatem nulla declarandi matrimonia, quæ clandestine, aut a filiis familias absque Parentum consensu contraherentur: altera ex adverso sentiebat, esse hanc in Ecclesia potestatem, & esse ab illa exercendam; porro tertia asserebat, quod insit quidem Ecclesiæ hæc auctoritas, ubi sufficiens subsisteret causa, quæ tamen causa in casu controverso deesset: tandem quarta opinabatur, quod hæc quæstio, cum Ecclesiæ potestas a multis affirmaretur, negaretur autem a multis, ad dogma redigi nequaquam possit, imo nequidem deceat, ut decretum hac de re conficeretur tam multis contradicentibus: verum post habitam prolixam disputationem, priusquam Sessio celebraretur, pene omnes de duobus concordarunt articulis, quorum primus erat, in deliberatione involvi dogma: alter vero continebat, dogma verum esse pro ea parte, quæ non opponeretur Decreto, cum ea profiteatur, quod in Ecclesia sit facultas illa, ubi alioqui digna causa suppeteret, in quo fere unanimes convenie-

Pallav. n. 21. & 22.

bant secundi Ordinis Theologi: quam

obrem

obrem denique eo deducta res est, ut perpenderetur, an vere hujusmodi adesset caussa, propter quam matrimonia clandestina pro irritis haberentur: hac igitur quæstione examini subjecta centum triginta sex Patres decreto favebant, quinquaginta vero sex sese eidem opponebant, reliqui vero media via incedebant. Sæcul XVI. A.C. 1563.

§. XXIII.

Congregatio pro conciliandis Patribus circa matrimonia clandestina.

Postquam cuncta ad matrimonium spectantia fuerant discussa, die undecima Septembris examen circa morum Reformationem parabatur: ast priusquam de hoc argumento agebatur, Synodi Præsides veriti, ne ob maximum illorum, qui sese adhuc decreto contra matrimonia clandestina opponebant, numerum inter Patres dissensio esset, prius illos ad concordiam revocare nitebantur: ergo die decima tertia ejusdem Mensis in primi Legati ædibus conventus habetur, ubi præsentes aderant ceteri Legati, aliique Cardinales una cum cunctis Oratoribus Ecclesiasticis, & quamplurimis Præsulibus scientia clarissimis præter secundi Ordinis Theologos, pluresque laicos; *Pallav. c. 9. num. 5.*

Sæcul. XVI A. C. 1562.

ab illa enim die omnibus confessum ingredi permittebatur.

§. XXIV.

Præsens negotium Patribus ab Osio Legato propositum.

Pallav. n. 6. Itaque Osius Legatus, qui solus inter Legatos doctrinis Theologicis eminebat, dicere oriebatur, ac tam decreto faventes, quam eidem adversos ita hortabatur: „convocati estis Patres non „ad subtilitatis ostentationem, sed ad „veritatis inquisitionem in tantæ molis „controversia; nam Præsides judicio „vestro multum tribuunt, hinc vos non „in Synodo sistatis tanquam arbo„res sensu carentes, qui se flecterent, „quo ab impetu majoris partis impel„lerentur, nam oportet vos commo„veri ab interiori vi cognitarum ratio„num: porro in anteactis disputatio„nibus omnis difficultas non fuit sub„lata, ac præcipue haud decisum, quo „pacto posset Ecclesia novum hoc im„pedimentum inducere, quandoqui„dem in cunctis reliquis obicibus, us„que ad eum diem constitutis, sem„per fuerit habita ratio alicujus faci„noris antecedentis, ob quod obex ori„retur inter contrahentes: sed hoc non „accidit in præsentia: idcirco quiete, „& placide vestras sententias exponatis.

§. XXV.

Sæcul. XVI. A.C 1563.

§. XXV.

Reliquorum Theologorum ſententiæ circa hoc argumentum.

Hi, qui decreto favebant, præprimis aſſerebant: „adverſariis noſtris incumbit nos impugnare: nobis enim tanquam poſſeſſoribus, ſufficit reſpondere, hæc autem poſſeſſio nititur communi judicio tum Theologorum, tum Patrum: porro id ſatis eſt ad Decretum propugnandum, quamdiu ab objectis argumentis haud vincetur.„ Ad hæc Adverſarii reponebant:„ jus poſſeſſionis favet iis, qui defendunt veterem Eccleſiæ conſuetudinem, quam ullo pacto immutare nefas eſt.„ Alii ex adverſo decretum propugnantes ajebant, quod potius poſſeſſionem conſtituendi obices, qui conjugia irrita facerent, Eccleſia obtineat, adeoque is, qui jurisdictionem ad id eidem denegat, probandi debitum contrahat: tandem primus Legatorum petiit, ut illi, qui novum decretum promovebant, ſuas rationes proferrent: aſt inde nova diſputandi anſa præbebatur, illis ſiquidem mens erat de ſola poteſtate agere, non autem de decentia, cujus trutinam dicebant ad Patrum prudentiam, nec ad Theologorum doctrinam pertinere. Hæc ipſa controverſia Joanni

Pallav. c. 9. lib. 22. n. 7. & 8.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Peletiero Sorbonico Doctori occasionem suppeditabat demonstrandi, quod debita Ecclesiæ reverentia lædatur, si quis asserere audet, quod Ecclesia hac potestate careat, potius igitur dicendum, quod ea uti non deberet. Verum ad hoc est responsum, nihil indecorum in hac loquendi ratione observari, dum agitur de Sacramentis, neque id esse deterius, quam si negaretur, quod Ecclesia potestatem habeat aqua e rosis expressa baptizandi, vel nucis oleo Sacramentum Confirmationis conferendi.

Postea Didacus Payna verba faciens ita perorabat: „Est in Ecclesiæ „facultate matrimonii naturam mutare, „sublata contractui efficacia, quemad„modum patet in impedimentis inter „contrahentes ab illa stabilitis, idque „Ecclesiæ efficere licuit ex eo, quod eo„rum conditio adversaretur alicui bo„norum illorum, propter quæ matri„monium institutum est: porro certum „constat, quod magis repugnet bonis „matrimonii obscuritas clandestini, „quam quarti gradus affinitas. Ad „hæc alius quidam respondit: „ mala „ex clandestino matrimonio suborta „præter intentionem contingunt, ac „nonnisi ex hominum nequitia, adeo„que par non est ratio inter illa, & in-

„ter

„ter ea, quæ vel duntaxat ex legibus „circa hoc Sacramentum ſancitis quæ„ſita occaſione proveniunt, cujusmodi „ſunt in conjugio gradus prohibiti in„ter affines. „Repoſuit Payna:„ in „legibus ſanciendis, atque in impe„diendis per eas quibusdam actionibus, „unica eſt norma, quam obſervare „oportet, an nimirum malum ſæpius e„veniat, ſive demum ex accidente, aut „ex natura ſive alio quocunque modo „contingat, quia hoc malum in utro„que caſu æque nocet, & proin reme„dio indiget. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Forerius Dominicanus Luſitaniæ Regis Theologus, ad idem alio exemplo uſus, hunc in modum diſſeruit: „irritum fit ab Eccleſia matrimo„nium ob præcedens adulterium illius, „qui in Uxoris, vel Mariti mortem moli„tus eſt, licet igitur Eccleſiæ pariter „irritum reddere matrimonium ob adul„terium imminens, quodque valde fre„quenter contingere conſuevit.„ Hac ratione Forerius Oſii Legati objectionem diluere nitebatur, quia non minor neceſſitas monet, ut occurramus delicto imminenti, ſublata illius patrandi facilitate, quam pœnam præſcribamus contra illud crimen, quod jamjam perpetratum eſt.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Hæc congregatio ad bidui spatium protrahebatur, quo tempore reliqui Patres subinde suas quoque sententias proponebant, inter quos Pater Laynesius, qui non modo supremus Jesuitarum Moderator, sed & Theologi Pontificii munus obibat, in dubium vocare videbatur, an matrimonia clandestina irrita declarandi jus, ac potestas Ecclesiæ competat: suam autem sententiam hoc fulciebat argumento, quod Ecclesia ab illa sanctione per continua quindecim sæcula abstinuerit, tametsi eadem, de quibus nunc querela movetur, accidissent incommoda: sed ei respondebatur, quod Ecclesia semper contra hoc malum fructuosa speraverit remedia, quæ tamen cum experimento inefficacia esse cognosceret, ad hoc tandem devenire coacta fuerit: si vero Lainesii ratio vim haberet, haud expediret legem ullam novam in Concilio condere, cum liceret opponere singulis, ab Ecclesia per quindecim sæcula eas conditas non fuisse.

§. XXVI.

Disputatio sine ullo successu finita.

Pallav. n. 9.

Majorem adhuc concitabat contentionem Adrianus Valentinus, patria Venetus ex Ordine Fratrum Prædicatorum, qui exemplum produxit Pseudo-

Sæcul XVI. A.C. 1563.

Pseudo-Synodi Ariminensis, & secundæ Ephesinæ, in quibus minor Patrum numerus saniores sententias propugnabat: ad hæc ingens strepitus excitabatur, perinde acsi cum Tridentina Synodo illa nequaquam legitima Concilia conferre, atque ex illis comprobare voluisset, quod nunc, etsi major suffragantium numerus suæ sententiæ obsisteret, non tamen propterea ab ea recedendum esset.

Denique post crebras altercationes ultro, citroque habitas Congregationes absque successu finiebantur; quovis enim suæ sententiæ pertinaciter inhærente nulla concordia iniri potuit: imo ob hasce contentiones Sessio die decima sexta Septembris, prout convenerat, haberi non valuit, sed illam ad diem undecimam Novembris sancto Martino sacram prorogare oportuit, insuperhabitis quorumdam Præsulum querelis, quorum tamen rationem non esse habendam, credebant ceteri: Interea Grimani Patriarchæ caussa componebatur; quippe Judices ad discutiendum hoc negotium nominati, ubi Mense Septembri conventum habuerunt, ac Theologorum sententias perceperunt, declarabant, quod ejusdem Patriarchæ epistola, atque apologia nec hæreticæ, nec de hæresi suspectæ essent,

Sæcul. XVI A C. 1563.

imo nec scandalosæ, neque tamen typis publicis edendæ, eoquod in illis quædam difficiliora occurrerent loca, quæ ibidem non satis exacte explicata sunt; nihilominus Grimanus nec Patriarchale *Pallium*, nec Romanam Purpuram obtinere poterat, proin in hac Synodo unice juris quæstio, quæ quædam hujus Patriarchæ scripta concernebat, examinabatur, & quæstio facti circa accusationum capita sacræ Inquisitioni relinquebatur, nam is inter alia insimulabatur, quod arctam foveret amicitiam cum ejusmodi Viris, qui postea de hæresi convicti fuerant: insuper aliæ adhuc accusationes contra illum, ejusque sententias proferebantur.

§. XXVII.

Lotharingius Cardinalis Romam profectus.

Pallav. c. 11. n. 2. Mem. p. 503.

Die decima octava ejusdem Mensis Septembris, vel circiter hac die Lotharingius Cardinalis iter cœpit Romam versus, comitantibus eum diversarum Nationum Episcopis, ac Theologis, inter quos Pragensis Archiepiscopus numerabatur: porro eundem summus Pontifex perhonorifice excepit, atque in Vaticano Palatio habitaculum assignans illum publice visum ibat.

§. XVIII.

Sæcul. XVI. A.C. 1536.

§. XXVIII.

Commendonus tanquam Sedis Apostolicæ Nuntius in Poloniam decretus.

Sub idem tempus Joannes Franciscus Commendonus Venetiis Tridentum venit, accitus a Synodi Legatis: cum autem Pontifici nuntiatum esset, quod tumultus in Polonia indies magis augerentur, ac timendum foret, ne hæreticorum factio prævaleret, ac primi hi seditionis motus, utpote semper magis violenti, magnam in hoc regno mutationem inducerent, hinc Commendonum tanquam Papæ Nuntium in Poloniam ire jussit, præcepitque, ut Legationis suæ mandata acciperet ab Osio Cardinale Varmiensi Episcopo, ac Synodi Legato, qui etiam summo Pontifici author exstitit, ut hunc Nuntium omni celeritate eo decerneret, quatenus comitiis Varsoviæ celebrandis interesse, ac quantum in ipso foret, sua præsentia præpedire posset, ne in hoc Regno fides orthodoxa depravaretur, sed potius Ordo Ecclesiasticus, qui in Senatu, ac Poloniæ comitiis primum honoris gradum obtinet, contra hæreticorum furorem, & Novatorum violentiam defenderetur, præcipue autem Religionis caussa propugnaretur: ergo

Pallav. n. 3. Gratian. vie de Commend. l. 2. c. 6.

Sæcul. XVI A.C. 1563.

ergo Commendonus Menſe Novembri profectus Varſoviam opportuno tempore venit, omni ea celeritate uſus, quam ei tempeſtatis iniquitas, atque itinerum aſperitas indulſerant. Hunc Rex cum omni benevolentia, atque amicitia, qua majorem expectare haud poterat, excipiebat, atque in tanto pretio hujus Nuntii modeſtiam, honeſtatem, ac ingenii aciem habebat, ut, quamvis plerumque pravis ſuis affectibus, ac voluptatibus cedere aſſuetus eſſet, ſemper tamen Commendoni virtutem plurimum admiraretur, ac nunquam debitam ei venerationem, ac reverentiam exhibere omitteret: Verum hujus Legationis ſucceſſum poſtea referemus.

§. XXIX.

Vicecomes a Papa Romam ablegatus.

Pallav. n. 4. & 5. Viſcont. lett. du 6. Sept. tom. 2. p. 33.

Eodem tempore, quo Commendonus Tridentum venerat, inde Vicecomes Ventimilienſis Epiſcopus diſceſſit non quidem, ut Cardinalem Lotharingium Romam comitaretur, prout antea decreverat Pontifex, ſed ut ad Hiſpaniæ Aulam contenderet: cum autem Romam verſus iter ſuum inſtituere cogeretur, Cardinalem prævenerat, ut de præſenti Concilii ſtatu Pontificem certiorem reddere, ac proin eundem magis

gis instructum facere posset, quatenus postea cum Lotharingio, quem adventantem præstolabatur, accuratius conferre valeret: duo autem præcipue Vicecomiti in mandatis dabantur, & quidem in primis literis, seu Synodi actis a Paleotto concinnatis exponebatur, quidquid peractum, & agitatum fuerat in cœtibus tam generalibus, quam peculiaribus, nec minus ibidem referebantur rationum capita, quoad singulos emendationis articulos expensa: porro altera epistola a Legato Morono suo, & Collegarum nomine dicta ta concernebat omnia Principes tangentia, nec non conditiones, & potentiam Oratorum, ac præsertim Præsulum affectiones, & consilia in posterum seligenda, an scilicet Synodus esset continuanda, vel dissolvanda, aut absolvenda, vel duntaxat interrumpenda. Sæcul. XVI. A.C 1563.

§. XXX.

Legatorum rationes pro Synodo haud amplius continuanda.

Ceterum Legati Synodum ulterius protrahere valde periculosum censebant, cum inde hæc incommoda oriri possent, nam primo timebant schismatis periculum, sive ob discordias semper enascentes inter Patres, sive ob mor- *Pallav. n. 5.*

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

mortem alicujus Principis, quæ totam rerum faciem facile inverteret: II. caussabantur tam diuturnam tot Episcoporum absentiam a suis Ecclesiis: III. perpendebant sumptus ferme immensos, quos Sedes Apostolica suppeditare cogebatur: IV. Legatos terrebat audacia, quam sibi plures arrogabant Episcopi inter se conjuncti, qui se reddiderant pene formidandos, eoquod semper novas tam in communi prærogativas, quam nova privatim beneficia petebant: porro idem etiam præsumebant Principes, rati, quod extante Synodo ipsis liberum esset, pro suo arbitratu Pontificem importunis precibus molestare, ac divexare.

Ast non minoribus periculis obnoxium censebant Legati, si Synodus dissolveretur, præsertim ob communem, quæ inde oriretur, populi offensionem, quam nihilominus imminui posse arbitrabantur, si prius emendationis perfectæ decreta promulgarentur, adeo, ut omnes animadverterent, quod Synodus ex reformationis metu non fuerit dissoluta: verum hoc quoque consilium semper noxium Legatis videbatur, eoquod Oratores nimiam auctoritatem sibi arrogarent.

§. XXXI.

Sæc. XVI. A.C. 1562.

§. XXXI.

Legatorum rationes pro absolvenda Synodo.

Cum Legati tam Synodi continuationem, quam illius dissolutionem impugnassent, demonstratum ibant, quod optimum esset, absolvi Synodum, tam ad fidelium utilitatem, quam ad Ecclesiæ dignitatem: ast dubitabatur, an non obstituri essent Cæsar, & Galliæ, atque Hispaniæ Reges: cum tamen Synodi absolutionem expeterent Lusitaniæ Rex, Italiæ Principes, & præcipue Veneti & insuper cum Synodi diuturnitatem Galli exosam haberent, nequaquam extra spem esse Concilii absolutionem existimabant Legati. *Pallav. n. 7.*

§. XXXII.

Legatorum sententia de suspendendo Concilio.

His denique addebant, se credere, quod Synodum interrumpere facillimum foret, ac huic suspensioni aquieturi essent omnes Principes a bello alieni, & hoc pacto non damnarentur solemniter hæreticorum errores, ac proin ita neque hi ad ultionem irritarentur, neque illi compellerentur ad arma capessenda, qui convocatam ad suas petitiones Synodum, ac Religionem

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

nem propugnarent: si vero emendationis leges, quarum potissimum desiderio Principes Synodum flagitaverant, ante illius suspensionem absolverentur, & in opus deducerentur, fore existimabant, ut alacres cuncti acquiescerent, interim haud decere putabant, ut Pontifex hujus suspensionis auctor esset, imo nequidem eam proponeret, sed alios audiret, solum impellens Principes, ut illam a Sanctitate sua peterent, ipsemet tamen suum immobiliter animum absolutioni præseferret: monebant pariter, quod Cæsar, cum jam annis gravis, & infirmæ valetudinis esset, magnam negotiorum partem committeret Maximiliano Filio suo Romanorum Regi, inter quem, & Hispaniarum Regem, sororis suæ virum, cum intercederet arctissima necessitudo, hinc omni studio curandum, ut Maximilianus bene affectus haberetur, cum vero hic idem exoptet, ut ipsius res cum Aula Romana ex voto componantur, atque ibi in pretio ipse haberi videretur, ideo suadebant, ut tunc, cum ipsius caussa juxta sententiam a Legatis Romam transmissam absoluta esset, peculiaris Nuntius ad eum mitteretur tam honoris, quam benevolentiæ comparandæ gratia, præsertim cum Delphinus, quoniam Maximilianus a Ferdinan-

dinando parente suo plerumque abes- Sæcul. XVI.
set, atque in variis regionibus mora- A.C. 1563.
retur negotiis cum illo transigendis satis esse non posset.

§. XXXIII.

Legatorum opinio de Reformatione in quocunque casu perficienda.

Denique sic concludebant Legati: *Pallav. n. 9. & 10.*
„quodcunque demum consilium „arripietur, præprimis ad Synodum fa„cile terminandam, vel utiliter su„spendendam, aut denique ad eam mi„nori cum detrimento, & majori cum „dignitate abrumpendam potissimum „conferet, si disciplinæ reparatio prius „stabiliatur, hoc autem consilium absque „bio prosperum sortietur exitum, quam„primum Patres intelligent, quod Pon„tifex velit decreta sanciri pro majori „suffragiorum numero, tametsi complures obstarent in rebus ad dogma non spe„ctantibus, confecta autem morum e„mendatione licet confidentius loqui, „nec minus etiam de articulo ad Prin„cipes laicos spectante fieri poterit, ut „aliqua iniretur ratio, qua utrique par„ti mutuo fieret satis.„ Ceterum Legati duo capita observabant his verbis I. „inest quidem nobis auctoritas aliqua, „& intima amicitia cum Oratoribus, hi „tamen, cum tradita eis sint specialia

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„mandata ab eorum Principibus, illa „exequi obstringuntur, II. Lotharingius „Cardinalis sua auctoritate plurimum „quidem valet apud Hispanos, non ta„men tanta est illius auctoritas, ut ad „eos pertrahendos satis esset. „ Ita Legati scripsere in literis Vicecomiti traditis.

§. XXXIV.

Franciæ Regis epistola ad Oratores suos contra Principum emendationem.

Pallav. l. 23. c. 1. n. 1. Mem. p. 479.

Cum hæc interea gererentur, Legati mox in majores angustias redigebantur per mandata, quæ Franciæ Rex ad Lotharingium Cardinalem, suosque Oratores circa laicorum Principum emendationem, ejusque decretum dederat, nam mittebantur ad hunc Regem reformationis articuli nondum expurgati, sed prout in priori forma, quæ severissima videbatur, concepti erant: cum vero Gallici Senatus Ministri in jurisdictionem Ecclesiasticam male affecti interpretarentur hæc reformationis capita, acsi ad deprimendam Regis auctoritatem tenderent, hinc Rex ad Ferrerium, & Pibracum suos in Synodo Oratores die vigesima octava Augusti hæc perscribi jussit: „ Perlectis vestris „literis die undecima ejusdem Mensis „datis,

„datis, atque reſtaurandæ diſciplinæ „articulis, quos ad me tranſmiſiſtis, be- „ne perpenſis ad vos perſcribere cogor, „quod nullatenus permittere velim, ut „in Concilio ea decernantur, quibus Re- „gia auctoritas imminueretur, Eccle- „ſiaſtica vero augeretur, hinc vobis „præcipio, ut omnibus viribus juxta „tenorem illius ſcripti, quod ad vos „tranſmitto, obſiſtere velitis, ac præpe- „dire omnia, quæ meis, meique Regni „juribus noxia eſſe poſſent: facta autem „hac oppoſitione Venetias ſecedatis, „ubi id, quod deinceps agendum, vobis „ſignificabitur: priusquam vero diſce- „detis, cunctos Franciæ Prælatos mo- „neatis velim, ut Tridenti perſiſtant, ac „Concilii, totiusque Eccleſiæ utilitatem „procurare pergant.

Sæc. XVI. A. C. 1563.

§. XXXV.

Franciæ Regis ſcriptum ad ſuos Oratores tranſmiſſum.

Itaque in hoc ſcripto, quod Franciæ Rex (*) ad ſuos Oratores tranſmiſerat,

Mem. pour le Conc. de Trente p. 481

(*) Melius diceretur, illius Miniſtri, cum Rex nonniſi duodenis puer nequidem propriæ ſuæ utilitati, minus vero Eccleſiæ rebus proſpicere potuerit.

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

rat, hæc in compendium redacta continebantur. „Perlegi articulos a Prælatis propositos, cum autem omnes ad „imminuendam Regiam auctoritatem, „atque ad Ecclesiam magis augendam „tendere censeam, permittere nequeo, „ut ea, quæ in Franciæ Regum, ac Principum damnum sancita sunt, meorum „Oratorum præsentia fuisse approbata „credantur: quamvis autem persuasum „habeam, quod vos omni diligentia exhibueritis, ac Synodi Patribus illos „articulos exposueritis, quos per mandatum meum exponere jussi estis, nihilominus spectata agendi ratione in „Concilio servata præcipio, ut præsentibus literis ad vos allatis mox omni „verborum pondere Patribus exponatis, „quod nil unquam ardentius desiderarim, nec optem, quam ut tam sancti Concilii fructus per probam, ac necessariam Ecclesiasticorum emendationem decerpere liceret, cum hi omnibus, qui sese ab Ecclesia Romana „segregarunt, ingenti offensioni sint: „unde vobis injunxi, ut præ ceteris rebus præfatam Ecclesiæ Reformationem tam in suo Capite, quam suis membris urgeretis (*). Præterea vobis „haud

(*) Mirum sane, quod corruptis moribus, ac

„haud incognitum est, imo ex ipsis e- Sæcul. XVI.
„mendationis articulis, qui vobis com- A.C. 1563.
„municati fuere, sufficienter percipere
„poteritis, quod Synodi Patres Re-
„gum, ac Principum vitia corrigere,
„eisque sua jura, prærogativas, & pri-
„legia, quibus a tempore hominum me-
„moriam excedente illorum Prædeceſſo-
„res fruebantur, auferre attentent,
„cunctisque Regiis edictis derogare, ea-
„que irrita declarare, præfatosque Re-
„ges,

ac vitiis nullibi magis, quam in Aulis graſſantibus omnis reformatio abhorreatur, atque auctoritas profana lædi credatur, ſi a ſummo Eccleſiæ Capite neceſſaria præſcriberetur emendatio, ex adverſo autem Eccleſiaſtica auctoritas labefactari non credatur, ſi a laica Miniſtrorum poteſtate reformatio urgeretur tam in ſupremo Eccleſiæ Capite, quam in ejus membris: Ita nempe deinceps oves Paſtorem, non Paſtor oves regat, quia oves vitiis, quæ corrigantur, non ſunt obnoxiæ, ſed ſoli Paſtores offenſioni eſſe dicuntur. Ecce! ad quos limites ſe extenderit Gallorum zelus in petenda morum reformatione non univerſali, ſed tantummodo quorumdam, ut vilipenſa, ac depreſſa illorum auctoritate ſub reformationis obtentu agendi, & ſentiendi libertas impune invaleſceret.

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

„ges, & Principes, eorumque subditos „censuris perstringere præsumant, ex „quo inobedientia, seditio, ac subdito„rum rebellio contra suos Principes o„riri possent, quamvis autem præfatis „Patribus ejusmodi articulos concin„nandi jus non competat, omnibusque „persuasum sit, quod eorum facultas „duntaxat ad propriam suam, suique „Ordinis hominum emendationem sese „extendat, quin sese in civile regimen, „& profanam jurisdictionem immi„sceant, cum hæc ipsorum forum ex„cedat, ac penitus a Jurisdictione Ec„clesiastica differat: nihilominus iisdem „Patribus haud incognitum esse potuit, „quod toties, quoties Concilia sese ejus„modi rebus ingerere voluerint, sem„per Reges, ac Principes illis adeo po„tenter obstiterint, ut exinde seditiones, „& bella fuerint orta, quæ Christianæ „Reipublicæ maxima damna intulere: „porro ejusmodi res multum discre„pant ab iis, quæ ab hoc Concilio spe„rabam: eapropter vobis præcipio, ut „Synodi Patribus injunctum vobis es„se declaretis, ut vehementer repu„gnetis omnibus iis, quæ juribus meis, „aliisque Regum privilegiis adversa „fient, vel decidentur, si tamen insu„perhabita vestra declaratione, atque „oppositione aliquid attentaretur, a Sy„nodo

„nodo recedatis: quantum vero Fran- Sæcul. XVI.
„ciæ Prælatos, qui Tridenti agunt, con- A.C. 1563.
„cernit, mea mens est, prout jam
„in mea epistola significavi, ut sua
„prudentia, & zelo ibidem persistentes
„Synodum adjuvent, atque amplectan-
„tur id omne, quod ad Christianæ Rei-
„publicæ incrementum fore proficuum
„censuerint, ea tamen lege, ut statim,
„quamprimum quicquam Franciæ juri-
„bus, ac Regiæ auctoritati contrarium
„a Synodo decidi viderint, ve-
„strum exemplum sequantur, & æque,
„ac vos, ante rei decisionem secedant,
„nec hac de re nova mea jussa præ-
„stolentur.

§. XXXVI.

Ejusdem Regis Epistola ad Cardinalem Lotharingium.

Mittebatur insuper epistola ad Cardinalem Lotharingium, ad quem Rex his verbis perscripsit: „notum mi-
„hi est sincerum studium tuum erga
„Concilium, quantoque zelo in eodem
„hucusque egeris: nec etiam te la-
„tet necessitas, ob quas Regnum meum
„remediis, quæ a Concilio præstolor,
„summopere indiget: unde merito spe-
„rare valeo, quod nil eorum præter-
„mittere velis, quæ juxta piam volun-
„tatem tuam efficere poteris, ut fru-

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

„ctum, qui exinde pullulare debet, pro„moveas: rogo itaque, ut præclara, „quæ Religio a te exſpectat, obſequia „præſtare pergas, quatenus Synodi ſuc„ceſſus meis deſideriis reſpondeat: ſi „vero Patres voluerint etiam Regum „vitia corrigere, eorumque jura, & pri„vilegia labefactare, ſpero, quod hanc „agendi rationem tua præſentia ap„probare, aut ejusmodi auſui omnibus „Regibus, & Principibus Chriſtianis no„xio, ac tantopere præcavendo occa„ſionem ſuppeditare nolis: quin potius „a te exſpecto, ut inde recedas, prout „etiam, ut id facias, rogo.„

§. XXXVII.

Lotharingii Cardinalis reſponſum ad has Regis literas.

Pallav. c. 1. n. 2.
Mem. p. 501. Lett. 17. Sept.

Hæ literæ tradebantur Lotharingio, cum jamjam itineri Romam verſus accinctus eſſet, quapropter pridie ante diſceſſum ſuum Regi hunc in modum reſpondit: „Non ſine animi volu„ptate, per literas die vigeſima octava „Auguſti datas percepi, quod Regia „ſua Majeſtas, poſtquam de Anglis glo„rioſam reportavit victoriam, urbem„que, quæ Portus Gratiæ dicitur, in „ſuam poteſtatem redegit, omnes ſuos „ſubditos fauſto nuntio recreare, ac ſe „ex Tutorum poteſtate exceſſiſſe, de„nun-

„nuntiare voluerit: ſpero autem, quod „ejus regnum, ac regimen felix, fau- „ſtumque ſit, hinc Deum precor, ut Ma- „jeſtatem ſuam longo tempore omni „cumulatam felicitate, quam ejus ſub- „diti deſiderant, conſervare velit. De „cetero ut de Synodo mentionem fa- „ciam, placuit Majeſtati veſtræ mihi „per ſuas literas ſignificare, ſe perce- „piſſe, quod Præſules, ex quibus ſacro- „ſancta Synodus conſtat, Reges corri- „gere, ac poſtea eorum aliquos ad „poſſidenda ipſorum regna indignos de- „clarare voluerit: porro Majeſtas ſua „id ægre a ſe accipi ſcribit. Verum „circa hoc fidem meam obſtringere va- „leo, quod res longe aliter, ac Maje- „ſtati veſtræ nuntiatum, geſtæ fuerint, „ut proin ſupervacaneum fuerit, quate- „nus deſuper ad nos perſcriberet, atque „a Synodo in tali eventu recedere ju- „beret: quis enim ſibi imaginetur, quod „tam ſancta Societas, qualis eſt Triden- „tina, ubi nil, niſi ea, quæ ad tran- „quillitatem, ac Chriſtianæ Reipublicæ „bonum conducere judicantur, pro- „poſita fuere, adeo exitioſa conſilia cu- „dere attentet, quibus tamen nec „tuorum Oratorum, nec noſtrorum Præ- „ſulum ullus conſenſiſſet, cum nobis o- „mnibus probe perſpectum ſit, quan- „tum noſtro Principi debeamus, unde

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

„illico animadvertissemus, si ejusmodi „propositiones fuissent factæ: quod au„tem Principum emendationem atti„net, id quidem Legati proponebant, „impensis coacti precibus quorumdam „Præsulum, qui quibusdam Principibus „obnoxii ab illis contra omnia jura, „& Ecclesiæ privilegia adeo indigni ha„biti fuerant, ut ardenter solidam, ac „generalem reformationem fieri deside„rarent: hisce tamen oppressionibus re„medium fuit oppositum: nunquam „tamen probari poterit, quod Synodus „cogitaverit, aut aggredi voluerit Prin„cipum jura, supremamque Principum „potestatem, minus vero Majestatis „vestræ potestatem, aut quicquam at„tentare, quod noxium esse potuisset; „sunt enim in Concilio Cæsaris, Ma„jestatis vestræ, Regis Catholici Ora„tores, pluresque alii, qui id nullo pa„cto permitterent. Nos quoque, qui „inter humillimos Majestatis vestræ, cui „inter Reges Christianos primus locus „debetur, subditos esse gloriamur, nun„quam consentiremur cuicunque rei, „quæ contra eam attentaretur; econ„trario spero, quod Spiritus Sanctus, „qui semper sacrosanctis ejusmodi Con„ciliis assistit, nobis favorem conces„rus sit, ut in omnibus nostris deci„sionibus ea decernamus, quibus Chri„stia-

„ſtiana Respublica auxilium experietur, „& Majeſtati veſtræ ſatis fiet; non er- „go Majeſtas veſtra ejusmodi nugis au- „res præbeat, ſed certa ſit, quod hu- „millimi veſtri ſubditi, ac ſervi, qui nunc „præſentes ſunt, nunquam quicquam „ſtatui ſint conceſſuri, de quo non illico, „ac fideliter Majeſtas veſtra certior „reddetur. Sæcul. XVI. A.C.1563.

§. XXXVIII.

Ferrerii Oratoris quærelæ contra Synodum.

Die vigeſima ſecunda Septembris paucis poſt Lotharingii Cardinalis diceſſum diebus Ferrerius Orator obtenta colloquii venia præſentibus Synodi Patribus hæc exponere non dubitabat: „Centum quinquaginta anni „ſunt, & amplius, ex quo Reges chri- „ſtianiſſimi petierunt a Pontificibus Ro- „manis Eccleſiaſticæ diſciplinæ jam „tum labantis reſtitutionem, eamque „ob cauſſam tantum, miſerunt Orato- „res ad Synodum Conſtantienſem, Ba- „ſileenſem, Lateranenſem, Tridentinam „primam, & hanc ſecundam, in qui- „bus, quæ fuerunt eorum petitiones, „ſcripſit

(*) Concilium ſub Julio III. ſubdole reticebat, eoquod Galli eidem reſtiterint.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„scripsit in primis Doctissimus Theolo-
„gus Joannes Gerson Regis Christia-
„nissimi Orator in Concilio Constan-
„tiensi, & deinde testantur eruditissimi
„Petri Danesii Antistitis Vaurensis, O-
„ratorisque in prima Synodo Tridenti-
„na, & in hac secunda clarissimi, & e-
„loquentissimi Oratoris Collegæ nostri,
„qui hic est, Guidonis Fabri, Illustrissi-
„mique Principis, & Reverendissimi
„Cardinalis Lotharingii Orationes, ni-
„hil enim in illis actum est, quam de
„emendandis Ministrorum Ecclesiasti-
„corum moribus: nihilominus adhuc
„nobis jejunandum, & plorandum est,
„non per septuaginta annos, ut olim
„Judæis, sed continuis ducentis, & uti-
„nam, non trecentis, & amplius annis.

Zach. cap. 7. v. 3. & 5.

„At inquiunt: abunde nobis satisfa-
„ctum est quatuor Sessionibus, per tot
„Canones, decreta, & anathemata;
„verum si aliud pro alio solve-
„re invito creditori est satisfacere, fa-
„temur satisfactum: sin minus, credi-
„tores adhuc sumus, quos nunquam a-
„nathemata, aut dogmata, vel doctri-
„næ Catholicæ definitionem postulasse
„sciunt manes Illustrissimorum Legato-
„rum, quorum memoria sit in perpetua
„benedictione Mantuani, & Seripandi,
„vosque ipsi scitis, qui adhuc super-
„stites estis, Illustrissimi, Osi, & Simo-
„netta,

Sæcul. XVI. A. C. 1563

„netta, quibus septuagies septies hoc „ipsum prædiximus: insuper etiam nec „vos ignoratis illustres Cæsareæ Majesta„tis Oratores, quibus toties Regis nostri „mandata obtulimus, nec vos nescitis „Præsules, Itali, & Hispani, quibuscum „sæpius Lansacus in bonum, ac Dei glo„riam zelo animatus desuper contu„lit. Attamen rursus dicunt, haben„dam fuisse rationem eorum, qui dog„mata, Canones, certamque doctrinæ „catholicæ definitionem petierunt. „Hæc certe illis concedimus, si modo „etiam nobis concesserint, in judicio fa„miliæ Erciscundæ semper habitam „fuisse rationem, in primis Filii primo„geniti, hoc est, Regis Christianissimi, „quem pro primogenito agnovit Ec„clesia Romana ante octingentos an„nos. Postremo ajunt, hoc magno, & „ingenti reformationis libello superiori „mense proposito, de quo nunc vos „sententiam dicitis, omnia contineri, „quæ ad disciplinam Ecclesiasticam re„stituendam necessaria esse videntur: „ast audite Patres Sanctissimi, nam „hic est status orationis nostræ: vidi„mus libellum illum parvis additis, „& brevibus nostris animadversionibus, „quas jam diu dedimus, ac, quæ de il„lo esset nostra sententia, significavi„mus: ne vero videremur in re tanti mo-

„men-

Sæc. XVI. A.C.1563.

„menti judicio noſtro nimium tribuere, „miſimus illum ad Regem noſtrum expe- „ditiſſimum: porro is conſultis Principi- „bus, & Regni Proceribus, ſecretioris- „que conſilii viris prudentiſſimis, & e- „ruditiſſimis nobis reſcripſit, ſibi qui- „dem gratiſſimum fuiſſe, quod omnes „animum applicueritis ad negotium re- „formationis adeo exoptatæ, & exſpe- „ctatæ in toto orbe Chriſtiano: verum „pauca in eo libello reperiri patebat, „quibus catholici homines in officio „contineri, adverſarii conciliari, & in- „firmi, aut dubii confirmari poſſe vi- „derentur: inſuper pauca etiam in eo „eſſe dicebantur, quæ ſacris literis, at- „que antiquæ Patrum diſciplinæ re- „ſponderent, multa vero, quæ adver- „ſarentur. „

„Hoc ſane non erat illud Iſaiæ Pro- "phetæ medicamen, quo Chriſtianæ "Reipublicæ vulnera ſanarentur, ſed "potius remedium, quo augeretur "malum, quale erat illa Ezechielis li- "tura, quæ duntaxat malum contegit: "porro ea, quæ de Principibus in dicta "cauſſa excommunicandis, & anathe- "matizandis adjiciebantur, ſunt ſine "ullo veteris, & Catholicæ Eccleſiæ "exemplo, atque hujusmodi, ut ea- "dem in tanto propter Religionem per "univerſum orbem diſſidio, & diſcor-

dia,

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

"dia, ampliſſima quaſi feneſtra ad de-
"ſectionem, & rebellionem ſeditioſis
"hominibus, quorum hodie magna eſt
"copia, aperta videantur: denique to-
"tum illud caput de Principum refor-
"matione, ad nihil aliud tendit, quam
"ut antiquiſſima Eccleſiæ Gallicanæ li-
"bertas convellatur, & Regum Chriſtia-
"norum auctoritas, & Majeſtas minua-
"tur: Reges enim Chriſtianiſſimi, qui
"ſemper in fide, & obſequio ſanctæ Ro-
"manæ Eccleſiæ, maximique Pontificis
"permanſerunt, multa de rebus ſacris,
"& religioſis juxta Conſtantini Magni,
"Theodoſii, Juſtiniani, aliorumque Chri-
"ſtianiſſimorum Imperatorum exempla
"conſtituerunt, nam leges Eccleſiaſti-
"cas tulerunt, quæ antiquis Pontifici-
"bus Romanis non ſolum non diſplicue-
"runt, ſed etiam plures illorum inter
"ſua decreta retulerunt, & præcipue
"Auctores Carolum Magnum, & Ludo-
"vicum, necnon Reges Chriſtianiſſimos
"Divorum nomine dignos cenſuerunt:
"Antiſtites autem Galliæ, & totus Ordo
"Eccleſiaſticus ex illarum legum præ-
"ſcripto pie, & Chriſtiane Eccleſiam
"Gallicanam multos annos rexerant, &
"gubernaverant, idque non tantum poſt
"pragmaticæ ſanctionis, aut concorda-
"torum, prout quidam falſo exiſtimant,
"tempora, ſed octuoginta annos, & am-

Sæcul. XVI. A.C.1563.

"amplius ante editum librum decreta-
"lium: hæ deinde leges succedenti-
"bus, & in earum locum substitutis De-
"cretalibus partim antiquatæ sunt, &
"partim magno Ecclesiæ Gallicanæ stu-
"dio, edictis Philippi Pulchri, & Va-
"lesii, Caroli V. VI. VII. & aliorum
"Christianissimorum Regum approbatæ,
"& defensæ: nunc quoque Rex noster
"Carolus, cujus nominis Regibus sin-
"gulari Dei providentia religio Christia-
"na semper præcipuæ curæ fuit, jam
"major factus vehementer optat, ut le-
"ges, libertatesque Ecclesiæ Gallicanæ,
"quas proximis temporibus ambitioso-
"rum quorumdam hominum importu-
"nitas immutavit, posteris sartæ, &
"tectæ relinquantur, nam nihil conti-
"nent, quod repugnet, imo omnino
"consentiunt cum dogmatibus Eccle-
"siæ Catholicæ, antiquis Pontificum,
"& Conciliorum Decretis.„ Tandem
post nonnulla, quibus Episcopos de sa-
crarum literarum imperitia perstrinxit,
carpsit quoque Pontifices ob collationem
Sacerdotiorum, & sic prosequebatur.

„Hæ leges non modo Episcopis
"præcipiunt, ut in suis Diœcesibus per
"novem anni menses præsentes adsint,
"aut duntaxat festis diebus, prout so-
"nat nuperæ Sessionis decretum, ad
"populum dicant, sed etiam toto anno
„resi-

Sæcul. XVI A.C.1563.

"reſideant, & ſingulis diebus in Ad-"ventu, jejunio verno, & diebus Do-"minicis Dei verbum annuntient, nec "eædem leges illis prohibebant ſobrie, "& pie vivere, ac diſtribuere, ſeu po-"tius bona, quorum uſum, non autem "uſumfrnctum habent, pauperibus re-"ſtituere, qui veri illorum ſunt Domini.„

Poſtea Ferrerius cetera Concilii decreta cum eadem propudioſa ironia ſugillabat: demum vero ita ſuum ſermonem continuabat. „Franciæ Reges, "ac Gallicanæ Eccleſiæ leges ſemper "prohibebant penſiones, necnon reſigna-"tiones in favorem, aut cum regreſſu "factas, beneficiorum pluralitatem, "Annatas, & præventiones. (*) Inſu-"per ſiquis de poſſeſſione rerum ſpiri-"tualium coram aliis, quam Regis ju-"dicibus, de proprietate autem, vel "quacunque civili, aut criminali cauſſa "coram aliis, quam Eccleſiaſticis Ordi-"nariis, vel viris a ſummo Pontifice in Gal-"lia delegatis velit litigare, aut interpone-"re antiquiſſimam, quam *ab abuſu* vocant, „appel-

(*) Raynaldus ad hunc annum num. 170. hæc verba referens ait: *Ferrerius invectus eſt in decreta Concilii pro tuenda immunitate Eccleſiaſtica edita, finxitque Gallos Reges bona Eccleſiaſtica jure rapere poſſe.*

Sæc. XVI. A.C. 1563.

"appellationem, cujus in iſtis capitibus "mentio fit, cuique tantum in Gallia "locus eſt, & quo remedio Galli ſoliti "ſunt non eludere ſummorum Pontiff. "cum decreta, quibus ſemper & hono- "rem, quem debent, præſtitere, ſed "agere contra illorum mentem, ſi hæc "Regis Conſtitutiones, & Eccleſiæ Gal- "licanæ libertatem violat, dum obrep- "titiæ, & ſubreptitiæ literæ impetran- "tur, quibus impeditur, quo minus Re- "gibus Chriſtianiſſimis omnes fere Gal- "liæ Eccleſias fundantibus, & patronis, "qui primum Gallorum, deinde totius "Galliæ Reges, & Domini ſunt, om- "nia Gallici regni bona, & redditus e- "tiam Eccleſiaſtici, inſtante, & urgente "Reipublicæ neceſſitate, qua nulla ma- "jor neceſſitas, aut paupertas excogi- "tari poteſt, ſubſidio eſſe poſſint, ii ergo "ſciant, quod ipſis antiquiſſimæ Regum "Chriſtianorum leges, libertasque Ec- "cleſiæ Gallicanæ impedimento fuerint: "Ceterum admodum mira Regi meo "duo videntur: quorum primum eſt, "quod Patres, magna poteſtate in di- "vino Miniſterio inſignes, ac unice ad "reſtaurandam Eccleſiæ diſciplinam "congregati, præſumpſerint corrigere "eos, dum tamen iisdem obedientiam "præſtare, & pro iis ſuas preces offerre "tenentur, etſi ſint Principes auſteri, ac

Sæc. XVI. A.C. 1563.

"ac dyscoli. (*) Insuper nec minus mi- "ratur, quo jure anathema pronuntiari "valeat in Reges, & Principes nondum "admonitos, qui a Deo instituti "sunt: cum tamen hæc admonitio apud "infimæ plebis hominem, qui in quo- "dam horrendo scelere contumax per- "sistit, præmitti soleat. Non audebat "sanctus Michael maledicere diabolo, "nec Michæas, & Daniel tribus impiis "Regibus, & tamen Patres cunctas "suas maledictiones in Reges, & Prin- "cipes effundunt, & quod adhuc longe "pejus est, in ipsum etiam Regem Chri- "stianissimum, qui Majorum suorum le- "ges, & Ecclesiæ Gallicanæ libertates "tueri desiderat.

(*) Raynaldus l. c. hujus Declamatoris verba ita refert: *prorupit Ferrerius in virulenta verba, quibus eversam voluit Ecclesiæ auctoritatem, ut anathema Regibus decreta Concilii violaturis intentare non posset, contenditque, quantacunque patrarent mala, illis parendum ab Ecclesiasticis, quibus tantum imperatum esset pro illis orare, non in eos animadvertere, quasi idem esset status Ecclesiæ sub Regibus Christianis, quos filios habet, non Dominos, quosque in capessendo Regno legibus obstringit, ac sub Ethnicis Cæsaribus, quos non filios obsequentes, sed adversantes Tyrannos passa est.*

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

„Itaque, prosequebatur Legatus, "nomine Regis Domini mei vos rogo, "ut nihil contra leges decernere veli- "tis: si vero id attentaveritis, declaro, "quod ego, & socius meus, necnon om- "nes ceteri Galli jussi simus, vestris "decretis obluctari, imo jam nunc nos "eisdem opponimus: si vero, quin "Principes corrigere audeatis, serio e- "mendationi, quam totus orbis a vo- "bis exoptat, incumbere volueritis, Rex "pio hoc consilio opem præstare desi- "derat.„

Hucusque Ferrerius perinde, acsi Regis nomine peroraret, hæc effutiebat, postea vero Cœlum, terramque obtestabatur, Synodumque rogabat, ut perpendere velit, an non hujus Regis petitio æquitati consonet, necnon ea, quæ in Francia usitantur, ab universo orbe statuantur: „An non, loque- „batur ille, in præsenti rerum vicissi- „tudine vestrarum partium est, ut „non modo Ecclesiæ, & Franciæ ratio- „nem habeatis, sed attendatis e- „tiam ad propriam vestram existimatio- „nem, & vestros reditus, qui conser- „vari nequeunt per alia media, quam „per ea, quibus fuerunt acquisiti: ita- „que in tanta rerum perturbatione sa- „niora perpendantur, non autem, dum „Christus appropinquat, exclametur: „Si

„*Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem* Sæcul. XVI.
„*porcorum:* porro ut Ecclesiæ pristinum A.C. 1563.
„splendorem suum reddere, atque di-
„spersas oves ad ovile reducere, &
„Principes reformare possitis, imite-
„mini Ezechiam, qui non detestandum
„Patris sui, nec impiorum præceden-
„tium trium Regum exemplum secu-
„tus, usque ad Majores suos ascendit,
„ut inter illos reperiret quosdam per-
„fectos, qui vitæ suæ norma atque
„exemplum esse possent: itaque nec
„vos amplius noviſſimorum Prædeces-
„sorum vestrorum, quamvis illi fuerint
„Viri doctissimi, actionibus insistere de-
„betis, sed potius ascendere usque ad
„Ambrosium, Augustinum, Chrysosto-
„mum & cunctos illius temporis Epi-
„scopos Catholicos, quibus idem fuit
„olim negotium cum Donatistis: porro
„hi licet plures numero, non tamen
„armis, aut bellis, ad quæ suos Prin-
„cipes provocassent, vicerunt, sed ora-
„tionibus, bonæ vitæ exemplo, &
„assidua, puraque verbi Dei prædica-
„tione triumpharunt: sic boni etiam
„isti Patres, cum se Augustinos, Am-
„brosios, & Chrysostomos efformarunt,
„hæresibus Ecclesias purgarunt, &
„Principes in Theodosios, Honorios,
„Arcadios, Valentinianos, & Gratia-
„nos commutarunt, idque vos factu-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„ros illorum exemplo speramus, atque „ut brevi faciatis, oramus Deum Om„nipotentem, Patrem Domini nostri Jesu „Christi.„ (*)

§. XXXIX.

(*) De hac oratione Raynaldus hæc habet: „Cum ista Præsidis Ferrerii oratio ex„pensa fuisset, atque excussa, illam pravo „animo acerbe, ac mendaciter in Ecclesiæ con„temptum fuisse compositam, observatum est, „atque animadversiones editæ ea de re fuerunt „in singulas ejus sententias, ac periodos, at„que inter alia dicebatur, non decuisse virum „Catholicum, ut quereretur, fidem Catholicam „invitis Gallis promulgatam fuisse, hæresesque „condemnatas, male effutiisse, disciplinam Ec„clesiæ Decretis Concilii non sancitam, male iis intercessisse. *Præterea si ad hoc*, inquiunt *debita est Sancta Synodus, ut ad Ecclesiæ reformationem leges condat, certe etiam illorum debitum erit illis parere, non autem intercedere, aut reclamare.* Male asseruisse, Galliæ Reges „de rebus sacris, deque Religione constituere „posse, spiritualemque potestatem Magistratui „civili concessisse. *Hanc potestatem* inquiunt, *non agnovit Constantinus, cui cum in Concilio Nicæno Episcopi libellos obtulissent, respondit: Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem dedit de nobis quoque judicandi, judicari autem ab hominibus non potestis.* His præmissis Ray„naldus

§. XXXIX.

Sæcul. XVI
A.C. 1563.

Ferrerii Oratio a Faliſcorum Epiſcopo confutata.

Hanc orationem (*) Patres non ſine maxima indignatione excipiebant, imo ferme ab omnibus adverſus illam querelæ audiebantur: unde Præſul ille, qui in Congregatione prior differendi

Pallav. l. 23. c. 1. n. 11.

„naldus addit: „Hanc Ferrerii orationem, „cum non ſine ſtomacho Patres pene omnes „accepiſſent, quam plures, ex ipſis etiam „Gallis deteſtabantur, in ſequenti die Carolus „de Graſis Epiſcopus tunc Faliſcorum, ac „poſtmodum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Car„dinalis egregie refutavit, quem & alii quo„que ſunt ſecuti.

(*) De ea hoc judicium fuiſſe latum teſtatur Pallavicinus. *Incredibile eſt, quonam odio excepta fuerit a Conventu ea Concio: Oratores Cæſarei ad Ferdinandum ſcripſere, ab illa cunctos gravi animi dolore affectos fuiſſe, & quibusdam etiam ex Gallis vehementer eam diſplicuiſſe. Salmanticenſis addit, in ſuis Actis, cui pariter aſſonant literæ Jadrenſis Archiepiſcopi, auctam ex eo ſuſpicionem fuiſſe, prius de Ferrerio conceptam, non ſinceræ Religionis: noluerunt itaque retardare confutationem illius orationis, quam diſſonam a Religione objurgationem, non regiam legationem exiſtimabant.*

Sæcul. XVI. A.C.1563.

copiam obtinuerat, postea die vigesima tertia Septembris hunc sermonem confutare aggressus est. Erat is Carolus de Grassis Bononiensis Montis-Falisci Episcopus, qui postea ad purpuram evehebatur: cum autem Galli præviderent, quod in hac confutatione eorum calumniæ acrioribus verbis perstringerentur, hinc consulto ab hoc conventu abstinebant: porro Grassius, priusquam de rei summa ageretur, orationem suam his verbis exorsus est. „Aliud „omnino proemium habui paratum Ora„tioni meæ, sed Ferrerii concio prius „audita in caussa fuit, ut illud mu„tarem: vehementer autem exopto, „ut hic Orator producat diserta Regis „mandata ad id peragendum: etenim „nec rei peractæ conditio hujus Viri „præsumptioni favet, nec in hujusmodi „ministris sufficit universalis quædam „facultas, ut quis sibi persuadere pos„set, id ex Regis voluntate committi: „dum enim in memoriam revoco Pi„pinum, qui Zachariæ Pontificis opera „Rex inunctus fuerat a Bonifacio Epi„scopo Moguntino: insuper dum in „mentem reduco Carolum Magnum, e „Pipino natum, qui ob eximias in in„fideles expeditiones a Leone III. pri„mus Occidentis Imperator constitutus „est, dum etiam recogito subsequentes

„Galliæ

„Galliæ Reges, qui propter egregiam „Ecclesiasticæ libertatis defensionem „promeruerunt ab Apostolica Sede no- „men *Christianissimorum:* quonam pacto „mihi posset in animum venire, quod „voluntati Principis, qui illorum in re- „gno, in sanguine, atque in nomine „Successor est, consonent ea legationis „mandata, quæ tam audacter exposue- „rat Orator, & a Patribus tam molestе „fuerant audita? cuinam ex eruditis- „simis illis Patribus in aures unquam „inciderat, in Oecumenicis Conciliis „adversus eorum decreta opponi prote- „stationem, ut vocant, quasi tribuni- „tiam, quæ in populi Romani sedi- „tionibus usurpata erat. Priscis tem- „poribus, ubi nonnunquam in Synodis „de moribus deliberatio habebatur, ipsi „Cæsari etiam denegatum fuerat inter- „esse, uti Nicolaus primus ad Michae- „lem Imperatorem scripsit, nunc vero „Oratores non solum interesse, sed de „moribus Ecclesiasticorum leges præ- „scribere præsumunt, & ibi, ubi divi- „nus Spiritus per ora Sacerdotum lo- „quitur, Orator laicus gloriatur, quod „Spiritui Sancto resistat, & contra e- „jus oracula reclamet: ubi magnus ille „Constantinus, tametsi rogatus a tot „Patribus, judicium proferre ausus non „est, Orator quidam præsumit ore suo

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Sæc. XVI. A.C. 1563.

„quasi cunctos Patres damnare: ve-
„rum nulla ratione credi potest, id
„Christianissimi Regis consensu, ac vo-
„luntate peractum, quo tandem nomine
„Galli comprobare audent, quod Sy-
„nodus suam auctoritatem ipsis in ac-
„ceptis referre cogatur? num fors illi
„ex eo creditorum jus adepti sunt ad-
„versus Patres, quod hi calamitates
„illius Regni, non modo sibi communes,
„sed proprias existimarint? num id ex
„eo factum, quod sola charitas subve-
„niendi collapso illi Regno, ipsos ex
„omnibus Christiani orbis partibus tra-
„xerit ad impendendas facultates suas,
„sudorem, & fortassis etiam vitam?
„quid porro ad hujus Oratoris expro-
„brationem dicendum, qua ad tuen-
„das suæ Religionis leges asserebat,
„quod hæ Episcopis conciones, elee-
„mosynas, & ejusmodi pia opera per-
„agere non prohiberent? porro ad hoc,
„quin Orator offendatur, juxta debi-
„tam hujusmodi loco libertatem isti ve-
„nerando cœtui dicere licet, quod il-
„lud ipsum sit schisma doctissimis eo-
„rum auribus indignum: perinde, quasi
„piis hisce operibus non interdictis, par
„sit præterea, pro Regis arbitratu per-
„sumdare reliqua ad Ecclesiasticam im-
„munitatem, jurisdictionemque spe-
„ctantia, dissipare Ecclesiæ bona, dijudicare

„dicare Episcopos, & Clericos ad lai- Sæcul. XVI.
„corum tribunalia rapere, quamvis hoc A.C. 1563.
„Apostolicæ traditioni, Decretis Con-
„ciliorum, atque Pontificum, & om-
„nium fere Patrum documentis repu-
„gnet, nam legatur tantum, quod ea
„de re Nicolaus I. in literis ad Episco-
„pos in oppido Convicino congregatos,
„& Symmachus Papa in sua secunda
„Synodo Romana decreverant: insu-
„per perpendantur ea, quæ idem Nico-
„laus scripsit ad Michaelem Imperato-
„rem, & S. Gregorius Nazianzenus ad
„suorum temporum Cæsares: nec mi-
„nus consulatur Sanctus Augustinus
„in dialogo contra Petilianum, ubi af-
„firmat, quod possint leges Cæsareæ
„favere, sed non adversari Ecclesiasti-
„cis, præterea Decreta Gregorii VII.
„& Innocentii III. in Concilio Generali
„Lateranensi pervolvantur, ac perpen-
„dantur denique ea, quæ sanxerat de
„libertate, & immunitate Ecclesiæ Sy-
„nodus Constantiensis Sessione decima
„nona: porro Orator, quando tam ar-
„denter Patres revocat ad Ecclesiæ pri-
„mævæ nitorem, ipsemet quoque o-
„missis recentioribus Regis privilegiis,
„odio non habeat candorem, pristi-
„namque libertatem Ecclesiæ, atque in
„memoriam sibi redigat id, quod ore
„Danielis eidem Ecclesiæ dixit Deus:

„eo

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„*ea gens, & illud regnum, quod tibi non* „*serviet, peribit.* Ceterum quoad id, „quod Orator narrat, Galliam per cen„tum quadraginta annos a summis Pon„tificibus petiisse quædam peculiaria, „& per id temporis novarum rerum Con„silia fuisse nutrita, nimis in comperto „est, quo pacto id in rem evaserit Gal„liæ Regibus, in populorum illorum con„cordiam, atque in illius Regni salu„tem.„ His dictis concludebat Grassius, Legatos, ac Patres rogans, ut cum ageretur de re gravissima, curarent sibi tradi Oratoris concionem ac Regis mandata, ut de illis deliberarent.

§. XL.

Ferrerii Apologia pro sua oratione.

Cum Ferrerii oratio accerrime confutaretur, in lucem prodiit illius Apologia, in qua Auctor sermone ad Synodum converso ita effatus est, „Sy„nodi Patres nobis non possunt respon„dere, sicut Propheta Judæis, nam nos „Galli postulavimus, ut reformeturOrdo „Ecclesiasticus præcipue in Galliis, ubi „illorum vitia sunt satis comperta, ea„que Galli norunt, non ad modum ju„dæorum, quibus merito, quod pro„prios nævos ignorarent, causa jeju„nii, & planctus imputata fuit: de cetero

„cetero caveant Patres, ne tunc, dum „Regi Chriſtianiſſimo cauſſam adſcri- „bunt depravatæ in Eccleſiaſticis di- „ſciplinæ, idem aſſerant, quod Ada- „mus dixit, qui culpam ſuam rejecit in „mulierem ſociam ſibi a Deo datam: „*mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit „mihi de ligno & comedi:* fatemur equi- „dem, quod Reges noſtri gravis peccati „ſe reos faciant, cum Epiſcopos om- „nino indignos nominent, ſed viciſſim „aſſerimus, gravius eſſe peccatum Pon- „tificum, qui hanc nominationem ad- „mittunt: (*) Si vero duntaxat refor- „mationem poſtulavimus ante dogmata, „non ea mens nobis fuit, ut relinquan- „tur incerti præcipui Religionis noſtræ „articuli, hodiedum adeo controverſi, „quoniam tamen de iis inter omnes „Catholicos convenit, neceſſarium ju- „dicavimus, quod potius a morum de- „pravatione eſſet incipiendum, cum ab „ea hæreſes omnes ſuam trahant ori- „ginem. (*) Diximus, quod articuli pro-

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

(*) Supple, graviſſimum illorum, qui Pontifices, ut indignos ad Epiſcopatus admittant, armatis precibus, minisque compellunt: caveant ſane illi, ne ipſis illud Chriſti dicatur, *majus peccatum habet ille, qui me tradidit tibi.*

(*) Excuſatio plane futilis.

Sæcul. XVI. A.C.1563.

„propositi non sint remedium ad confir-
„mandos Catholicos, ac hæreticos re-
„ducendos idoneum, quia in illis nihil
„statuitur de morum reformatione in
„Ecclesiæ Ministris, & præcipue in Epi-
„scopis idiotis, quorum ingens fane
„numerus hodie nec sacras literas
„intelligit: nec pœnitentia ducimur,
„quod effati simus, multa esse in hisce
„articulis, quæ antiquis sanctorum Pa-
„trum decretis repugnant, nam talia
„sunt Beneficiorum pluralitas, pensio-
„nes, & resignationes in favorem, quo-
„rum cognitio cuivis patet, (*) quam-
„vis ibidem disertis verbis non nomi-
„nentur, ubi etiam exprimuntur aliæ
„beneficiorum provisiones antiquitati
„neutiquam cognitæ, nec non id, quod
„concernit Annatas, & tributa, quæ
„antiquorum Pontificum Constitutioni-
„bus derogant: equidem nuper affir-
„mavimus, quod Carolus Magnus, & Ludo-

(*) Supple rursus, in Galliis, nullibi enim jam diu ante Tridentinum adeo invaluit Pensionum usus, ut vix ullus detur Episcopatus, Abbatia &c. cujus reditus non majori ex parte Laicis, vel pensionis, vel commendæ titulo relinquendi sunt: nullibi etiam reperiuntur frequentiores Episcopatuum, & Beneficiorum cessiones in favorem Nepotum factæ, quam in Francia.

„Ludovicus IX. Reges christianissimi „leges Ecclesiasticas sanxerint, juxta „quas Galliæ Episcopi Ecclesiam gu- „bernent: ast nequaquam asseruimus, „quod Rex noster jam tutelam egressus „animum nunc foveat novas leges Ec- „clesiasticas condendi, (*) nam hæc in „nostris mandatis non fuere contenta, „si vero etiam ita locuti fuissemus, hic „sermo noster consonasset sacris lite- „ris, civilibusque Romanorum legibus, „necnon Canonum decretis, atque illis, „quæ scripta leguntur apud Authores „Ecclesiasticos tam Græcos, quam La- „tinos ante librum Decretorum editos; „porro quoad id, dum diximus, quod Epi- „scopi nonnisi redituum Ecclesiasticorum „usum habeant, excusari petimus, siqui- „dem asserendum nobis fuisset, eos „tantummodo Administratores esse, „quod valde quidem ab illo differt, in- „terim consonat exemplo Divi Pauli, „qui maluit labore manuum suarum vi- „vere, quam fidelibus oneri esse: si vero „ii, qui nostra verba in sinistram par- „tem sunt interpretati, nos excusare „noluerint, accusent S. Hieronymum, „Augu-

Sæc. XVI. A. C. 1563.

(*) Inepta excusatio: Si priores Reges id jure poterant, cur non etiam subsequentes, qui ex suorum Prædecessorum factis sua jura deducunt?

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

„Auguſtinum, aliosque antiquos Pa„tres, qui nos docuerunt, quod bona „Eccleſiaſtica non tantum ad pauperes „pertineant, ſed etiam Clerici ea duntaxat Eccleſiis, non autem ſuis pa„rentibus aquirant: illi vero, qui di„cere, & ſcribere non erubuerunt, nos „publice falſos eſſe, quod Reges libe„ram habeant poteſtatem in bona Ec„cleſiaſtica, ita ut de illis pro ſuo ar„bitrio diſponere valeant, in eo aut „ſuam ignorantiam, aut ſtupiditatem „agnoſcere coguntur, ſi enim ita lo„cuti fuiſſemus, nil contra Regis no„ſtri mandata dixiſſemus: aſt duntaxat affirmavimus, quod omnia hæc „bona tunc, dum publica neceſſitas „inſtat, atque urget, ſint Principis, „atque in eo eventu non requiratur, ut „a ſummo Pontifice veniam poſtulet: „porro illi, qui latinam linguam callent, „vim horum verborum intelligent: in„ſuper anathemata, quæ in articulis de „Principum Reformatione in eos intentantur, reprehendimus, addidimus tamen, quod nemo, niſi prius fuerit ad„monitus, anathemate percelli, aut „condemnari poſſit, niſi prius ſit ad „judicium vocatus: id vero pariter de „Rege Chriſtianiſſimo intelleximus: de „cetero ea, quæ de S. Michaele Ar„changelo diximus, in ſenſu S. Judæ „Apo-

„Apoſtoli, qui hæc ſcripſit, intelli- Sæcul. XVI.
„genda veniunt; nam quamvis quan- A.C.1563.
„doque Principes, & Magiſtratus re-
„prehendi poſſint, & debeant, quemad-
„modum a Nathane factum, non ta-
„men contumeliis, & maledictionibus
„provocari valent. Denique dum pro-
„pugnavimus, quod Regum poteſtas de-
„ſcendat a Deo, id abſolute, & ſim-
„pliciter locuti ſumus, ſicut Daniel
„Propheta, & Paulus Apoſtolus ſcri-
„pſerunt: nec nobis in mentem venit
„diſtinctio *mediate*, & *immediate*, neque
„Conſtitutio Bonifacii, de qua ſi cogi-
„taſſem, utpote Gallus, commemoraſ-
„ſem id quoque, quod hiſtoriæ, nec-
„non legitimæ Pariſienſis Senatus ta-
„bulæ referunt de cauſſa, & origine il-
„liusConſtitutionis, quam idem Boniſa-
„cius VIII. edidit, ac incipit: *unam San-*
„*ctam:* His abſolvebatur præfata Apo-
„logia. (*)

§. XLI.

(*) De illa ipſemet Sarpius fatetur, quod per illam nec quicquam fuerit imminutum de Patrum ab Oratoribus alienatione, ſed hoc ipſo auctum magis; quod eſſet (ita ferebatur) non excuſatio erroris admiſſi, ſed potius in eo defendendo obſtinatio, unde crebri, variique non tam contra Oratores, quam contra Regnum ipſum ſermones: quales autem fue-

Sæcul. XV. A. C. 1563.

§. XLI.

Ejusdem Oratoris epistola ad Lotharingium Cardinalem Romam transmissa.

Mem. du Conc. de Trente pag. 449.

Ferrerius nondum contentus acerbo hoc scripto, quod postea unacum sua oratione typis vulgare non erubuit, insuper

unt hi sermones, Pallavicinus, & Raynalus ex testibus coevis referunt: *acerbissima,* nquit hic, *atque ingrata Patribus accidit hæc Ferrerii Oratio, eam enim habitam ut discordiam sereret, fœdusque omne cum Ecclesia abrumperet, Concilii Præsides significarunt Borromæo Cardinali vigesima tertia Septembris: cum vero communis omnium esset opinio, nulla illum Regia mandata ad hæc edicenda accepisse, sed præcipiti animi impetu ea effudisse, Ferrerius subjunxit, protestationem suam conditionatam esse, si quid contra libertatem Ecclesiæ Gallicanæ diceretur: verum ille Ecclesiam Gallicanam non liberam, sed servam instar Anglicanæ esse affectabat, quare monuit illum Legatus, quod abhorrentia a ratione, & æquitate dixisset, insuper simul flagitavit, ut postrema Regis mandata exhiberet, quæ Collegis, vel etiam Synodo ostenderentur: cumque de intermittendo sive suspendendo Concilio, vel ejus impediendo fine ageretur, censuere Legati, interruptionem Synodi extremum malorum, quod maxime de-*

fugien-

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

ſuper etiam ad Cardinalem Lotharingium, qui Romam diſceſſerat, epiſtolam his verbis conceptam perſcribit: „Plures in ſiniſtram partem acceperunt „meam oppoſitionem contra articulos „de Reformatione Principum, quinimo „audent dicere, quod ad hoc nullo Re„gis mandato inſtructus fuerim: inſu„per nonnulli etiam Theologi orationem „meam tanquam hæreticam, aut ſal„tem de hæreſi ſuſpectam, ſcandaloſam, „& piarum aurium offenſivam tradu„cunt, ac jactitant, quod tunc, cum il„lam pronuntiarem, hi eandem ſcriptis „mandarint, quamvis illam poſtea in

 „mul-

fugiendum erat, parituram, nec Præſidis Ferrerii conſilium admittendum, a quo manifeſte Concilium Gallicanæ nationis expetebatur, ubi Rex caput Eccleſiæ Gallicanæ inſtar Anglicanæ pronuntietur, foedere inito cum Michaele Hoſpitalio Gallici Scrinii Præfecto, cum quo abrumpendæ veteris cum Romana Eccleſia conjunctionis occaſionem quærebat, ac ſimul Eccleſiaſticis ditari ſpoliis, Gallosque a Sedis Apoſtolicæ obſequio divellere: hinc occaſionem ex capite quinto & trigeſimo ſexto nuncupandæ proteſtationis captatam, quæ quoniam ipſum etiam puduit auctorem, cum poſtea ſcripto exarratam Legatis tradidiſſet, in multis immutatam palam omnes ſunt opinati.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„multis variatam (*) typis edidiſſent, „quapropter ipſus illam edere coactus „ſum, ut quivis exinde dignoſcere poſ„ſit, quatenus Regem meum cum „Angliæ Rege contulerim, anve eun„dem ab Eccleſiæ Romanæ obedientia „ſubtrahere voluerim, atque dixerim, „quod Reges pro ſuo arbitrio Eccleſiæ „bona rapere poſſint: cum igitur mini„me dubius ſim, quod contra me ad E„minentiam veſtram multa fuerint per„ſcripta, hinc orationem meam fideli „calamo deſcriptam tranſmitto, ut ju„dicia illorum, qui me calumniis ob„ruere ſatagunt, de ignorantia, ac culpa „convincere valeam: rogo itaque Emi„nentiam veſtram, ut hoc ſcriptum per„legere velit: inſuper paratus etiam „ſum, imo firmo etiam animo conſti„tui, quod orationem meam omnibus „illam perlegere cupientibus commu„nicare velim, eam vero ſpeciatim „veſtræ

(*) Siquid variatum, ſane variationes riſu dignæ ſunt illæ, quas Sarpius his verbis enarrat: *queritur Ferrerius, multa* contra ſuam mentem expreſſa, nominatim, quod cum ipſe *leges Eccleſiaſticas* nominaſſet, ejus loco poſitum erat, *leges ſpirituales*, quodque aſſeruiſſet, Reges *ad beneplacitum* bona Eccleſiæ ſumere poſſe, cum dixerit tantummodo, *pro cauſſa neceſſaria.*

„veſtræ cenſuræ committo, ſupplex, ut „credere dignetur, quod non ex per- „verſo animo illam compoſuerim, ſed „unice id a me factum, ut calumniam „præverterem eorum, qui mihi crimini „dare poſſent, quod me præſente per- „miſerim, ut deliberaretur in generali „Concilio de tanti momenti negotio, „pro quo Prædeceſſores mei tam ſa- „lubria decreta in Senatu promulga- „runt.„ Hæc Ferrerii epiſtola data eſt die vigeſima ſecunda Septembris.

Sæc. XVI. A.C.1563.

§. XLII.

Alia ejusdem Ferrerii epiſtola ad eundem Cardinalem.

Cum Ferrerii oratio gravem pene omnium indignationem excitaſſet, ac ipſemet edoctus fuiſſet, quod ad Cardinalem Lotharingium, ut hac de re prius certior fieret, plures ſcripſiſſent, hinc aliam adhuc epiſtolam die vigeſima tertia Septembris transmiſit, hunc in modum: „Perlectis articulis de re- „formatione Principum, ac perpenſa „injuria, quæ inde in avita Regni jura, „atque Eccleſiæ Gallicanæ libertates „redundaret, ſi id in generali Conci- „lio decideretur, me huic decreto op- „ponere ſtatui, prout a Regia ſua Ma- „jeſtate, atque ab ipſa Eminentia ve- „ſtra, priusquam Tridento diſcederet, „juſſus

Mem. l. c. p. 503.

Sæcul. XVI. A.C 1563.

„juſſus fueram: cum autem meam op-
„poſitionem interponere non potuiſſem,
„niſi res ab adventu Franciæ Orato-
„rum in Synodo geſtas enarrarem, at-
„que præcipua capita primæ orationis
„a ſua Eminentia, cum exciperetur,
„habitæ in memoriam revocarem, ſi-
„mulque antiquæ libertatis, quam Ec-
„cleſia Gallicana prætendit, funda-
„menta ſtabilirem, hinc mirum ſane
„non eſt, quod imbecilliores quidam
„meum Zelum ſiniſtre interpretarentur,
„ac meam agendi rationem male ver-
„terent, quamvis in nulla re me mea re-
„darguat conſcientia, nec quicquam
„a me dictum, vel factum jure repre-
„hendi poſſe exiſtimem: ea vero, quæ
„in mea oratione adverſarios meos a-
„cerbius offendebant, erant verba ſe-
„quentia: *Reges Chriſtianiſſimi*, qui ſunt
„Gallorum, & totius *Gallici Regni Do-*
„*mini, impediri nequeunt, quo minus om-*
„*nia bona, & ſubditorum etiam Eccleſia-*
„*ſticorum proventus in urgente Regni ne-*
„*ceſſitate ſibi vendicent*: inquiunt autem
„illi, me his verbis inferre voluiſſe,
„quod Pontificis poteſtas ad hoc non
„requiratur, ut proin ſic impedire ſtu-
„duerim licentiam, quam Eminentia
„veſtra pro Rege a Papa ſe obtenturum
„ſperabat, perinde acſi hæc licentia
„*in urgentiſſima Regni neceſſitate* eſſet ne-
„ceſſa-

„ceſſaria, ac in præſenti viciſſitudine, „in qua hodiedum Franciæ res conſti- „tutæ ſunt, non referrentur ad hanc „clauſulam: porro circa beneficiorum „pluralitatem pauca nonniſi data occa- „ſione memoravi, prout ad Regem per- „ſcripſi: ſi vero Eminentia veſtra præ- „ſens fuiſſet, etiam mentionem inſper- „ſiſſem de Cardinalibus: aſt de iis æ- „que, ac de Pontifice nonniſi honori- „fice, ac reverenter locutus fuiſſem, juxta „Regiæ ſuæ Majeſtatis intentionem.„ Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. XLIII.

Ferrerii querelæ contra primum Legatum.

Nequidem hiſce literis contentus Ferrerius, ipſum etiam primum Synodi Legatum adiit, queſtus, quod in ſuſpicionem traheretur, perinde acſi abſque Principis ſui mandato hæc egiſſet, ac dixiſſet: quamprimum vero unacum Legato exierat, junctim cum Pibraco ad Franciæ Regem perſcripſit, data epiſtola die vigeſima quinta Septembris. *Pallav. l. 23. c. 1. n. 12. & 13.*

§. XLIV.

Pibraci, & Ferrerii epiſtola ad Regem.

In hiſce literis Regi hæc exponebant. „Die decima octava præteriti Menſis „man- *Mem. p. 505*

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„mandata accepimus, eaque juxta „Majestatis vestræ jussa Lotharingio „Cardinali exhibuimus: dum vero li„teras a sua Majestate ad Præsules da„tas tradidimus, illos vestro nomine „hortati sumus, ut firmi in Concilio per„sisterent, atque ad Ecclesiæ incremen„tum operam suam impenderent: ve„rum eorum plures minus exacte hæc „jussa exequebantur, eoquod illa ad„huc die paulo ante, vel paulo post „Lotharingii Cardinalis discessum Ebro„dunensis Archiepiscopus, Episcopi „Senesensis, Sagiensis, Metensis, Ven„netensis, Vinciensis, & Abricanus in „Gallias reverterentur: insuper Vabra„rum Episcopus supremum Magistrum „Fratrem suum Melitam visum ibat, & „antea septimo, vel octavo Mense San„Papuliensis, Coriscopotanus, Conve„nensis Episcopi unacum Cistercien„sium Abbate Romam profecti sunt, „nec minus postea Ebroicensis, Mel„densis, Suessionensis, Dolensis, Ce„nomanensis, & Tutellensis Episcopi „unacum Lotharingio Cardinale ad „eandem urbem contenderunt. Deni„que Parisiensis Episcopus, a Regia sua „Majestate, ut fertur, abeundi venia „obtenta pariter discessit, adeo, ut „nunc Tridenti unice commorentur Se„nonensis Archiepiscopus, & Lectora-

„nus,

„nus, Cabillonenſis, Sanctonenſis, Mi- Sæcul. XVI.
„matenſis, Virodunenſis, Nemauſinus, A.C. 1563.
„& Vaurenſis Epiſcopi unacum Clara-
„vallenſi Abbate; haud enim compu-
„tari meretur Andegavenſis Epiſcopus,
„qui periculoſe decumbit.

„De cetero, quamdiu Tridenti egi-
„mus, nunquam in Concilio propoſita
„eſt cauſſa de Matrimonio defuncti Na-
„varræ Regis;„ ſi vero de ea mentio
„fuiſſet facta, mox Majeſtatem veſtram
„certiorem reddidiſſemus: equidem ea
„res Romæ in deliberationem venerat,
„prout Majeſtatis veſtræ Miniſtri in hac
„Aula degentes absque dubio retulerunt:
„porro quamprimum Majeſtatis ſuæ li-
„teras recepimus, Legati mox articulos
„de Principum reformatione corrigi præ-
„ceperunt, ac priusquam fuerant pro-
„poſiti, Patres circa alia reformationis
„capita ſuas edicebant ſententias: qui-
„busdam vero de illis haud ultra men-
„tionem fieri exiſtimantibus noſtram
„oppoſitionem juxta Regiæ Majeſtatis
„ſuæ juſſa concinnare cœpimus, usque
„dum Legati hoſce articulos rurſus ex-
„hibere cogerentur, ubi ex centum quin-
„quaginta Præſulibus tum in Synodo præ-
„ſentibus juxta Legatorum relationem
„plusquam centum etiam ſcripto promi-
„ſerunt, quod circa nullum Reformatio-
„nis articulum opinionem ſuam promere

Sæcul. XVI. A C. 1563

„vellent, nisi prius proponerentur ea, „quæ Principum emendationem concer„nunt: quod tamen contra omnes leges „Divinas, & humanas factum, & qui„dem cum majori severitate, ac antea, „quamvis contrarium illis persuadere co„nati fuerimus: ut autem sua Majestas „desuper judicium ferret, ideo ad eam „omnes hosce articulos transmittimus, „in quorum postremo reperiet, quod Sy„nodi Patres non modo Regum vitia cor„rigere præsumant, sed etiam eis adi„mere velint avita illorum privilegia, „quæ in prima propositione erant re„servata.

His dictis Oratores suam agendi rationem vendicant, & quid exinde ortum, enarrant, tandemque concludunt, quod nova Majestatis suæ jussa præstolentur, ut, quid agendum, scire possent: interea vero declarant, quod haud ultra Congregationibus interfuturi sint, donec aliter jussi fuerint.

§. XLV.

Articuli de Principum reformatione in Concilio propositi.

Ceterum articuli de Principum reformatione, contra quos Galli adeo tumultuabantur, erant numero tredecim, in quibus hæc sanciebantur.

I. Judi-

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

I. „Judices Fori ſecularis de perſo-„nis Eccleſiaſticis non judicent, etiamſi „ambigeretur de titulo Clericatus, & „licet ipſi conſentiant, aut rebus im-„petratis renuntiaverint, vel quacun-„que alia de cauſſa, etiam ſub prætextu „publicæ utilitatis, aut ſervitii Regii, „neque procedere poſſint in cauſſis aſſa-„ſinii, ſive ſicariatus, niſi vere, & „proprie ejusmodi ſit, & id notorie „conſtet, & in ceteris caſibus lege per-„miſſis id non faciant, niſi præcedente „Ordinarii declaratione.

II. „In cauſſis ſpiritualibus, matri-„monialibus, hæreſeos, decimarum, „juris patronatus, beneficialibus, ci-„vilibus, criminalibus, & mixtis, quo-„cunque modo ad forum Eccleſiaſticum „pertinentibus, nec ſuper perſonis, nec „ſuper bonis, decimis, quartis, aut „aliis portionibus ad Eccleſiam ſpectan-„tibus, aut ſuper beneficiis patrimonia-„libus, feudis Eccleſiaſticis, jurisdi-„ctione Eccleſiarum temporali, Judices „temporales ſe immiſceant, nec in pe-„titorio, nec in poſſeſſorio, ſublata qua-„cunque appellatione, ſive ob prætex-„tum denegatæ juſtitiæ, ſive tanquam „ab abuſu, ſive quia impetratis renun-„tiatum ſit: utque ii, qui in ſupradi-„ctis cauſſis ad forum ſæculare recur-„rerint, excommunicentur, & juribus „pri-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„priventur, quæ in ipsis iis competebant, atque idem etiam in causis in „quacunque instantia pendentibus observetur.„

III. „Seculares etiam Auctoritate „Apostolica, aut consuetudine immemorabili Judices in causis Ecclesiasticis non constituant, & Clerici, qui „ejusmodi officia a laicis accipient, etiam vigore cujuscunque privilegii, ab „Ordinibus suspendantur, beneficiis, „& officiis priventur, & ad ea sint inhabiles.

IV. „Secularis Judici Ecclesiastico "non præcipiat, ne excommunicet sine "licentia, aut ut revocet, aut suspen- "dat excommunicationem fulminatam, "nec eum prohibeat ab examinando, "citando, & condemnando, aut ne ap- "paritores, & executores proprios ha- "beat.

V. „Imperator, Rex, aut quivis "Princeps edicta, aut statuta sancire "non valeat ad causas, aut personas "Ecclesiasticas quovis modo pertinen- "tes, neque se admisceat eorum perso- "nis, causis, jurisdictionibus, aut tri- "bunalibus, etiam ne inquisitionis qui- "dem: verum iidem brachium seculare "Judicibus Ecclesiasticis præstare te- "neantur.„

VI.

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

VI. „Temporalis jurisdictio Eccle-
"siasticorum, etiam cum mero, aut
"misto imperio, non turbetur, neque
"eorum subditi in caussis temporalibus
"ad tribunalia secularia trahantur.

VII. Ne quis Princeps, aut Magi-
"stratus promittat per schedulam, aut
"aliud scriptum, aut spem faciat obti-
"nendi aliquod beneficium in Dominio
"suo positum, nec id impetrare valeat
"a Prælatis, aut Capitulis Regularium,
"& qui ea ratione aliquod obtinuerit,
"privetur, & inhabilis fiat.

VIII. „Manum injicere non possint
"in fructus beneficiorum vacantium,
"prætextu custodiæ, juris patronatus,
"aut protectionis, aut ut discordiis ob-
"viam eant: neque in iis Oeconomos,
"aut Vicarios constituant; & seculares,
"qui ejusmodi officia, & custodias ac-
"ceptaverint, excommunicentur; Cle-
"rici vero ab ordinibus suspendantur,
"& beneficiis priventur.

IX. „Ecclesiasticos non adstringant
"ad solvendos census, vectigalia, de-
"cimas, portoria, subsidia, etiam ap-
"pellatione doni, aut commodati, sive
"de bonis Ecclesiæ, sive patrimoniali-
"bus, exceptis iis provinciis, ubi ex
"antiquissima consuetudine ipsi Eccle-
"siastici in publicis comitiis interve-
"niunt ad subsidia tam laicis, quam Ec-

„clesia-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„cleſiaſticis imponenda, contra infide„les, aut ob alias urgentiſſimas neceſſi„tates.„

X. „Manum non injiciant in bona „Eccleſiaſtica, mobilia, aut ſoli, va„ſallos, decimas, aut alia jura, ne„que in bona communitatum, aut pri„vatorum, in quæ Eccleſia aliquod jus „habet, neque paſcua, aut gramen in „terris, & poſſeſſionibus Eccleſiæ elo„cent.„

XI. „Literæ, ſententiæ, & cita„tiones Judicum Eccleſiaſticorum, præ„cipue vero Curiæ Romanæ, ſimul at„que exhibitæ fuerint, ſine exceptio„ne intimentur, publicentur, & exe„cutioni mandentur, nec aut ob hanc „rem, aut pro capienda poſſeſſione be„neficiorum, opus ſit requirere conſen„ſum, aut licentiam, quæ *Exequatur*, „aut *Placet*, vel quovis alio nomine „appellari ſolet, ne prætextu quidem „occurrendi falſimoniis, & violentiis, „præterquam in arcibus, & in iis be„neficiis, ubi Principes reſpectu tem„poralium agnoſcuntur: quod ſi quis „metus ſit aut falſitatis literarum, aut „magni alicujus ſcandali, & tumultus, „poterit Epiſcopus tanquam Delegatus „Apoſtolicus ſtatuere, quod facto opus „erit.„

XII.

XII. „Principes, & Magiſtratus di- Sæcul. XVI.
„verſari non ſinant officiales ſuos, fa- A.C. 1563.
„mulos, milites, equos, canes, in ædi-
„bus, aut Monaſteriis Eccleſiaſticorum,
„neque ab iis quidquam pro victu, aut
„tranſitu extorqueant.

XIV. „Quod ſi aliquod Regnum,
„provincia, aut locus, prætendat ſe ad
„quidquam ſupradictorum non teneri,
„virtute privilegiorum a Sede Apoſto-
„lica, quæ actu obſerventur: hæc
„Privilegia exhibeantur Pontifici, infra
„annum poſt finem Concilii, quæ ab il-
„lo, ſecundum merita Regnorum, aut
„Provinciarum, confirmentur, & anno
„finito, niſi exhibita fuerint, nullius vi-
„goris intelligantur.

§. XLVI.

Ex Lunenſis Comitis impulſu rurſus actum de clauſula: Legatis proponentibus.

Poſt hæc Lunenſis Comes rurſus quæ- *Pallav. hiſt. Conc. Trid. l. 23. c. 2. n. 1.*
ſtionem de clauſula hac, *proponentibus Legatis* movebat, eamque juxta iterata Regis Catholici Domini ſui mandata ſupprimi petebat, exponens, Regem ſuum conſideraſſe, quod ipſe, cum tam magnam Orbis Chriſtiani partem poſſideret, ſe obſtringi crederet, ne dici poſſe permitteret, ætate ſua inductam

ſuiſſe

Sæcul. XVI. A. C. 1563. fuisse clausulam, qua Conciliis deinceps celebrandis gravissimum sane detrimentum inferri posset: cum enim Regi ostensum fuisset Legatorum scriptum, neutrum ex eorum consiliis ipsi placuit; nam nec probabat promissam eorum declarationem, quam in fine Synodi addere pollicebantur, cum fieri posset, ut aliqua fieret mutatio, ob quam hæc promissa dilucidatio in oblivionem veniret, atque ea clausula intacta remaneret: nec etiam Regi satisfecit alterum consilium, quod Moronus Cardinalis cum Cæsare iniisse dicitur, eratque illud, ut Oratoribus, prius petita a Legatis proponendi facultate, etsi hi recusarent, liceret tamen suas semper res proponere: nam præterquam quod hac ratione Patrum libertas imminueretur, insuper ejusmodi petitiones, ac concessiones aliunde potius ad res prorogandas, atque ad nova obstacula excitanda conferrent.

§. XLVII.

Iterata Comitis petitio de tollendis hisce verbis.

Pallav. n. 2. His addebat Comes, quod re ita perpensa Rex ejus Dominus denuo præcepisset, ut controversam hanc clausulam tolli, & claram declarationem fieri peteret, id vero si Patres renuerent,

rent, solemni ritu suam oppositionem interponeret: Verum hæc Regis jussa successu caruere, nam Comes quidem declarationem a suo Principe exoptatam petebat, atque a Legatis sæpius etiam importune responsum exigebat, imo hac super re frequentes ultro, citroque mittebantur literæ, crebraque habebantur consilia, nihilominus una ex parte Legati cedere renuebant, Comes vero altera ex parte vanas de sua oppositione minas jactitabat. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. XLVIII.

Congregationes circa viginti, & unum articulos.

Die sexta Septembris Legati illos viginti, & unum articulos de reformatione proponentes declarabant, quod altera die Congregationibus initium daretur: porro hi Patrum conventus ob sententiarum diversitatem minus sedati erant, ac præprimis Lotharingius Cardinalis singulos hosce articulos ordine suo percurrens circa primum de electione Episcoporum petiit, ut ibi, ubi dicebatur, *dignos* esse eligendos, poneretur *digniores*, ac proin decideretur, quod electio nonnisi de dignioribus fieret: cum vero in hoc articulo additum esset, cuncta *gratis* esse expedienda, Lotharingius affirmavit, auferenda non esse *Sarp. p. 733. Pallav. l. 23. c. 3. n. 1. 5. & 6.*

Sæcul. XVI. A.C.1563.

emolumenta Cardinali proponenti, nec unius anni proventum Pontifici, sed deliberandum esse de aliis lucris eorum, qui nihil laboris impendebant: transiens vero Lotharingius ad alios articulos circa quartum ita edixit: „haud „congruit, quod Episcopis tribuatur „facultas prohibendi omnino concionem „cuivis Regularium, cum satis esset, „quod istis haud liceret suis in templis „concionari, nisi prius ab Episcopis ex„aminarentur: porro quoad sextum ca„put, quod a Canonicorum Collegiis im„munitatem auferebat, ita differuit: „nulla pestis a me magis noxia repu„tatur, quam hujusmodi immunitas, „cum plura membra sine capite mon„strum evadant: interim unica immu„nitas æqua, ac sancta est, illa nimirum, „qua quispiam eximitur a potestate E„piscopi in fide suspecti: porro immuni„tatis perpetuæ tres caussæ extiterunt, „quarum una peculiaris in Gallia fuit „avaritia cujusdam Antipapæ, scilicet, „illius Clementis septimi schismatis „tempore creati, qui inter veros Ponti„fices non connumeratur: aliam vero „caussam suppeditavit complurium Epis„coporum socordia, aut cupiditas, qui „pro pecuniis suam jurisdictionem Ca„nonicorum capitulis divendebant: „tertia denique caussa inde ortum tra-

xit,

„xit, quod omnes Canonici priſcis tem- Sæcul. XVI.
„poribus in Gallia monachi fuerint, A.C. 1563.
„quibus præerat proprius ipſorum Ab-
„bas, vel Præſul, quod tamen hodie-
„dum non obſervatur in capitulis ex-
„emptis, quoniam Canonici non ſunt
„regulares: præterea frivola adducitur
„ratio, quod immunitas ab ipſa funda-
„tione originem traheret, nam funda-
„tionis tempore Canonici erant Mona-
„chi, ſuisque ſummis moderatoribus
„ſubdebantur, interim magis adhuc fri-
„vola eſt poſſeſſio omni memoria anti-
„quior, cum abuſus inferre detrimen-
„tum non debeat bono uſui vetuſtiſſi-
„mo, qui præceſſerat: enimvero aut
„cunctis immunitas concedatur, aut
„cunctis auferatur, aut ab omnibus jus
„commune ſervetur: interim mihi pla-
„cet, ne quid agere liceret Epiſcopis ſi-
„ne Clericorum Collegiis, ubi Canoni-
„ci admodum digni eliguntur, prout jus
„poſtulat, ſed id temporis mihi non pro-
„batur, propterea, quod ſæpe hodie
„viles, ac inepti ad beneficia aſſuman-
„tur.„ His dictis circa nonum arti-
culum, in quo agebatur de pœniten-
tiis, idem Cardinalis auctor exſtitit, ut
a ſummo Pontifice conſtituerentur ſin-
guli in ſingulis Provinciis Pœnitentia-
rii, ad publicas pœnitentias imponen-
das ſecundum Provincialium Synodo-

Sæc. XVI. A.C. 1563.

rum decreta. Tandem in decimo nono, in quo agebatur de conferendis Sacerdotiis, animarum curam habentibus, minime comprobabat, ut ea per concursum concederentur, ne induceretur in Ecclesiasticos quoddam petitionis genus, qua declaretur, eum, qui peteret, esse digniſſimum, ideo putabat edictum vulgandum, quo monerentur omnes, ut, si quis idoneum quempiam agnosceret, illum nominaret, postea vero eos, qui descripti, & oblati essent, examinandos, & eorum optimum eligendum dicebat.

§. XLIX.

Variæ aliorum Præsulum sententiæ circa idem argumentum.

Alter a Lotharingio verba faciebat Allerus Hierosolymitanus Patriarcha, qui de suo articulo differens minime approbabat, quod omnes Capitulorum, & Collegiorum Ecclesiasticorum immunitates tollerentur: ecquidem de aliquorum immunitatibus id admittebat, non tamen de iis collegiis, quæ illas possidebant aut ex fundatione, aut ex concordatis, quæ inter partes jurejurando firmata Sedes Apostolica comprobaverat: interim nec in hac re quid agendum ajebat, aliorum rationibus haud prius

prius auditis, ne se ostenderent Episcopi judices in propria sua caussa; cum earum pleræque concessæ fuerint a Gregorio VII., & Innocentio III. viris sapientissimis. Postea Archiepiscopus Hydruntinus in primis cohortatus est, ut ibi, cum fas non esset ulli potestati, auctoritatem Pontificiam coarctare, apponeretur universalis clausula, *salva in omnibus Apostolicæ Sedis auctoritate.* Porro idem Præsul in decimo octavo capite rejecit prohibitionem plura sacerdotia obtinendi, affirmans, id repugnare canoni, *de multa*, & Conciliis Lugdunensi, & Lateranensi: hac autem lege multos nobiles absterrendos esse dicebat ab Ecclesiastica vita ineunda. Demum Granatensis Archieposcopus circa nonum caput Lotharingii sententiam laudabat de constituendo *Poenitentiario* in singulis Episcoporum Ecclesiis: Paulus vero Æmillius, Verallus Caput-Aquensis Episcopus quoad quintum caput, ubi præcipue lex ferebatur de caussis criminosis adversus Episcopos, petiit, ut eorum caussæ extra urbem manu Pontificis signarentur: insuper edixit, quod earundem cognitio spectet ad Synodos Provinciales, prout statutum est in Canone, *quorumdam* distinct. 24. & Can. *quamvis* 6. q. 2. tametsi postea sententiæ Sæc. XVI. A.C. 1563.

Sæcul. XVI. A.C. 1563

pronuntiatio ad Pontificem non ſpectaret. Ceterum idem Præſul in decimo nono capite improbabat, habendam eſſe ab Epiſcopis, & a Pontifice electionem ad Paræcias ex judicio examinantium, cum fidendum non eſſet aliorum conſcientiæ in re tanti momenti, qualis eſſet animarum cura demandanda: denique in vigeſimo primo, ubi cuncta prima judicia concedebantur Ordinariis, petebat, ut cauſſæ majores exciperentur.

§. L.

Oppoſita aliorum Præſulum opinio circa exemptiones

Pallav. c. 3. n. 18. & 22.

Poſtea Mutius Callinus Archiepiſcopus Jadrenſis, quoad primum caput opinatus eſt, Epiſcoporum examen eſſe inſtituendum, prout poſt multos annos Clemens VIII. fieri juſſit: præterea idem Archiepiſcopus petiit, ut decerneretur, ne quispiam a Pontifice ad Epiſcopatum promoveretur, niſi prius ad id comprobatus ab Epiſcopo ſuæ Diœceſeos, aut a Legato Apoſtolico illius Provinciæ fuiſſet. Inſuper Bartholomæus a Martyribus Archiepiſcopus Bracarenſis in ſexto diſſenſit a Patriarcha Hieroſolymitano, dicens, quod excipere immunitates ex fundationibus ortas idem eſſet, ac nihil curare monſtrum

strum enatum cum pede adnexo ipsius capiti, aut non corrigere institutionem nosocomii, quod ea ratione conditum esset, ut a medico nunquam inviseretur: econtra vero Caspar a Fosso Rhegiensis Archiepiscopus obstitit, ne universe delerentur immunitates Collegiorum: tandem eadem libertate ceteri Præsules suas quisque sententias proferebant, unde Congregationes usque ad secundam Octobris diem protrahebantur: porro omnium postremus verba faciebat Pater Laynesius supremus Jesuitarum Moderator, cujus omnia verba ob raram prudentiam plurimi habebantur, si exceperis ea, quæ circa Sedis Apostolicæ jura edixerat, quæ plus æquo exaggerasse videtur: itaque præprimis ita perorabat: „ Tria ge- „neratim expetenda sunt in propositis „decretis I. major servetur brevitas, II. „minor fiat correctio antiquorum Cano- „num. III. Statuantur sanctiones fa- „cilioris executionis: quod autem spe- „ctat ad hoc postremum, in eo lex a „Deo lata differt ab ista, quam homines „sanxerunt, quod in prima tanta mo- „deratione opus non sit, propterea „quod Legislator ipse vires suppeditet „ad eam custodiendam: altera autem „normam capere debet a viribus, quæ „adsunt, cum eas augere non possit in

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Pallav. n. 30.

Sæcul. XVI A. C. 1563.

„subditis auctor legis: interim Eccle„siastici non accusantur ab adversariis „ob defectum, sed ob violationem bo„norum Canonum: de cetero mihi vi„detur reliquorum omnium Clericorum „humeros premi, Episcoporum hume„ris ne tactis quidem, nam continentur „in illis disciplinæ legibus multa adver„sus Pontificem, Cardinales, Archidia„nos, Canonicos, & Parochos regula„res; adversus Episcopos autem nihil.„

His universim propositis Laynesius ad peculiaria descendit, & in quinto capite, ubi de Synodis Provincialibus agebatur, considerabat, quod illæ non sine magnis difficultatibus cogi possint, ac brevi subsecuturæ sint propriæ Nationum Synodi cum gravi Ecclesiæ periculo: „Mihi, ait ille, non probatur „certum tempus Oecumenicis Conci„liis præscriptum; hinc enim speciem „obtendent contumaces ad provocan„dum a sententiis & decretis Romani „Pontificis ad futurum Concilium, a„deo, ut tollatur obedientia, & unitas „christianæ Reipublicæ: porro de sex„to articulo, ad immunitates pertinen„te, censeo, non cum omnibus Cleri „Collegiis eodem pacto agendum, Hi„panica ecquidem subdi possunt Epis„copis utpote integritate vitæ præstan„tibus, præsertim cum id Philippus Rex cupiat:

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„cupiat: alia tamen ratio ineunda est, „ubi Episcopi sunt hæretici, aut infa„mes: insuper summopere curandum „videtur, ut per leges certum quid sta„tuatur de Episcoporum suppellectili, ac „comitatu, necnon de modo, quo hi „cum consanguineis se gerant, quove „pacto his sacerdotia elargiantur: præ„terea moneo, ne admittantur transla„tiones Ecclesiarum, quæ ad declinan„dam residentiam, laboremque fieri so„lent, nec minus de pensionibus etiam „decretum puto edendum, quo hucus„que concessæ declararentur injustæ, „nec in posterum aliæ, nisi rationi con„sentiant, concedantur: insuper suadeo, „ut unicum uni sacerdotium confera„tur, si id congruæ sustentationi est suf„ficiens, nec sufficientiæ ratio petatur „ex nobilitate personæ, sed ministerii, „cui sacerdotium destinatur; nam Ec„clesia non dirigitur ad ministrorum u„tilitatem, sed ministri diriguntur in „Ecclesiæ utilitatem: interim licitum „existimo, quod aliquis plura sacerdo„tia possideat, si id cederet in Ecclesiæ „emolumentum.„

§. LI.

Articuli examen de reformatione Principum ad aliud tempus dilatum.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Postquam Patrum sententiæ circa viginti, & unum articulos exceptæ fuerant, supererat exagitandus articulus de reformatione Principum laicorum: ast illius discussio differebatur, eoquod Cæsaris responsum nondum adveniſſet: die autem quarta Octobris Oratores Veneti hæc exponebant Legatis: „ cum noſtra Respublica ſemper „libertatem, & immunitatem Eccleſiæ „ſartas tectas ſervaverit, profecto ea„dem Respublica nullatenus compre„hendi debet in Decreto, quod de Prin„cipum reformatione paratur, proinde „reverenter petimus quorumdam die„rum dilationem, ut a Senatu percipe„re poſſimus, quid a nobis proponen„dum ſit, ad noſtra privilegia, conſue„tudines, ac generatim ad noſtram au„ctoritatem conſervandam, ne unquam „dici poſſit, quod Principi obſequenti, „ac ſingulariter bene merito de Sede A„poſtolica, illatum fuerit detrimentum, „eodem non prius audito.„ Hanc Venetorum petitionem, ut res protraheretur, ſubſequebatur altera ſimilis petitio Cæſareorum, qui dixerunt, quod velint ſuper eo negotio ſolemniter rogare Concilium, atque is, qui Oratori Hiſpano a ſecretis erat, poſtulatum communi nomine expoſiturus ſit.

Poſtea

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Poſtea ex Patribus ſeligebantur nonnulli, qui Canones, & decreta perficerent: biduo autem poſt Nuntii Delphini, & ipſius quoque Cæſaris literæ Tridentum pervenere, in quibus Patres etiam invitis Hiſpanis Synodum abſolvere vehementer ſtimulabantur, atque ipſemet Cæſar ſe omnem ſuam auctoritatem impenſurum ſpondebat, ut Synodus hac in re protegeretur. In eandem quoque ſententiam perſcribebat Pontifex. Legatos admonens, ut humaniter cum Franciæ Oratoribus præcipue cum Ferrerio agerent, (*) eumque

(*) Teſte Pallavicino, Pontifex hæc addidit: humaniter cum Ferrerio agerent, tametſi male ſe geſſiſſet . . . . caverentque, ne quo certius prævideretur, quæſitum iri a Gallo juſtæ indignationis ſpeciem, eo cautius procederent, ne vel tenuis color illi præberetur: eapropter haud ulterius progrederentur, cum Ferrerius is eſſet, qui & commodum, & damnum inferre poſſet, & illic, & in Gallia, cujusve opera adhuc ſpes erat aliquod beneficium acceptum iri: immerito igitur Continuator effatus, juſte irritatum fuiſſe Ferrarium, cum tamen ante ejus adventum omnia in Synodo tranquille agerentur, eo autem cum ſuis adventante nil niſi tricæ jam circa loci prærogativam, jam circa quævis tam dogmatum,

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

que potius lenitate vincere, quam justæ indignationis obtentum eidem præbere satagerent. Verum hoc monitum erat ferme supervacaneum, quippe culpa jam erat commissa, & hi Oratores ad extrema adigebantur, nam jamjam Ferrerius admodum commotus Tridento excesserat Venetiis Pibracum invisurus: nil ergo reliquum erat, nisi quod differrent Principum correctionem, circa quam aliqua decreta edere antea decreverant: hac autem super re die decima sexta Octobris summum Pontificem certiorem reddebant.

§. LII.

Querælæ contra Papam propter quædam beneficia ab eo collata.

Præsides eadem hac occasione usi summo Pontifici pariter exponebant, quod contra ipsum Tridenti murmur fuisset

tum, quam reformationis verba studiose fuerunt suscitatæ. ac prior illa scandalosa sua oratione totum Concilium offendit, omnesque ferme Patres, imo ipsos etiam Gallos ad justam indignationem concitavit. Attamen Continuator, eique similes quam maxime in id incumbunt, ut tumultuum, & offensionum, quas alii inique concitant, causas in summos Pontifices, ejusque Ministros, & alterius Nationis Ecclesiasticos rejiciant.

fuisset excitatum, cum eidem quidam obloquerentur, perinde acsi quædam beneficia conferendo Synodi decreta violasset: porro percipiamus totius hujus rei seriem. Ad Lotharingii Cardinalis preces in quodam Patrum Senatu expositas Alphonsus Rossetus antea Comachi Antistes promotus erat ad Ecclesiam Ferrarienſem, ita tamen, ut exceptis mille scutis reliqui omnes proventus, necnon omnium beneficiorum a Ferrarienſi Episcopatu dependentium collationes reservarentur Aloysio Cardinali Estenſi, qui tunc ejus administratione se abdicabat: ipsi vero vigesimum quintum ætatis annum tunc attingenti tradita fuerat eodem die Ecclesia Auscienſis, cujus administrationi renuntiaverat Hyppolitus Cardinalis Ferrarienſis, Aloysii Patruus eodem plane jure sibi retento, quod in Ferrarienſi ipsius Nepos retinuerat, paulo post autem idem Hyppolitus ab Auscienſi Ecclesia ad Narbonenſem Archiepiscopatum transierat: porro hujus juvenis electio unacum tam propudiosa beneficiorum negotiatione eo magis Synodi Patres offendebat, quo certius pravum ejusmodi exemplum, quod ipsemet Papa Canonum Protector, ac Defensor præbuisse accusabatur, ferme omnem fructum hucusque collectum irritum red-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Sæc. XVI. A. C. 1563.

reddere, ac decretis imposterum sanciendis obicem ponere posset: eapropter hac de re Legati cum debita reverentia quidem querebantur, tanto tamen rationum pondere, ut Pontifex facile agnoscere posset, quod hac actione sua Synodo injuriam intulerit.

§. LIII.

Responsum Pontificis ad hasce Legatorum querelas.

Nihilominus Pontifex rem a se gestam, quantum poterat, purgare haud prætermittebat, hæc respondens: „Estensis Cardinalis ætate spectata jam „idoneus habetur ad regendam Eccle„siam, cujusmodi est Ferrarienſis, duos „ante annos ab ipso possessa, adeoque „in hac parte opus illi non fuit nova „legis relaxatione: quod autem spectat „ad fructuum retentionem, dum Eccle„siam renuntiabat, nondum super eo „Decretum ullum in Synodo fuit edi„tum: insuper retulit Cardinalis Lotha„ringius, id ab ea liberum nostræ „prudentiæ remissum iri: neque etiam „ulla Cardinali Ferrarienſi nova legis „relaxatio fuit concessa: solum enim ille „Auscensem Ecclesiam in Narbonen„sem commutarat, hoc insuper obstri„ctus vinculo, ut hanc, aut alteram Lug„dunensem relinqueret intra tempus

„con-

„conſtitutum a Synodo, quæ ſex men- Sæcul. XVI.
„ſes concedebat a die initæ poſſeſſionis, A.C. 1563.
„præterea hanc Narbonenſem ipſe non-
„dum obtinuerat, neque compertum e-
„rat, quando eam obtenturus eſſet, Hu-
„gonottorum cauſſa: quamvis autem
„adhuc Synodus a Pontifice confirma-
„ta non eſſet, appoſitum tamen diſerte
„fuit in hiſce conceſſionibus, ut nihil
„per eas derogatum intelligeretur ulli
„ejus Sanctioni; Lotharingius vero Car-
„dinalis in ſe recepit, ut, quidquid
„hoc in negotio ageretur, ipſe, quocun-
„que in loco peteretur, ſuam agendi
„rationem vindicare vellet. (*)

§. LIV.

(*) Pallavicini animadverſio hanc in rem facta adeo ſingularis eſt, ut merito huc ad vindicandum Pontificem adducenda videatur: In memoriam, inquit ille, non revocabant religioſi illi Patres, opus eſſe, ut hæc poteſtas Eccleſiaſtica, cui non alia militant arma, niſi ſubditorum pietas, valde diſpari ſeveritate procedat, ubi diſpar non ſolum promeritorum, ſed etiam potentiæ ratio eſt; præſertim cum ejusmodi Principes, cujusmodi ſunt Galliæ Rex, & Ferrariæ Dux, deprecatores accedunt pro collatione Eccleſiarum, quæ in ipſorum ditionibus ſitæ ſunt, quæque melius adminiſtratæ cernuntur etiam in Eccleſiaſtica diſci-

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

§. LIV.

Sanctio de Principum emendatione per Cæsaris literas expeditior facta.

Pallav. c. 5. n. 1.

Tandem Cæsaris responsum circa decretum de Principum reformatione Tridentum venerat, quod eo gratius acciderat, quo felicius hic Princeps omnes difficultates, quæ huic Sanctioni opponebantur, removeret: porro decreta erat hæc responsio ad Lunensem Comitem, qui majora semper huic decreto obstacula opponebat: itaque Cæsar huic Comiti non sine magna verborum vehementia hunc in modum rescripsit. „Aversatus semper sum violentam „tuam agendi rationem, ex qua plurimum periculi, nihil utilitatis redun„dat, ut proin omnes hæ oppositiones, „minæ, & protestationes, quibus alii „usi fuerunt, ipsorum nomen cunctis o„diosum reddiderint: id tamen tibi non „eo

disciplina, cum Episcopi manus Principis brachio sustinetur: etenim quemadmodum animus leges suas observat exactius, cum ipsi corpus non obluctatur; ita perfectius custodiuntur leges potestatis gerentis curam spiritus, cum potestas, quæ corpori dominatur, ipsi non resistit.

„eo ex fine ſignifico, ut te ad id per- Sæcul. XVI.
„traham, quod Regi tuo diſplicet; in- A.C. 1563.
„gratum enim mihi accideret, ſi per e-
„jusmodi negotium tui Principis cum
„Pontifice amicitia violaretur eo tem-
„pore, quo arcte omnium Principum Ca-
„tholicorum unio Chriſtianæ Reipu-
„blicæ oppido neceſſaria eſt: te igitur
„rogo, ut ad perfectam concordiam ten-
„das, ac ſedulo perpendas media quæ
„nunc ad componendum hoc diſſidium
„propono, eaque tam tibi, quam Lega-
„tis probari ſpero: ſuadeo itaque, ut
„habeatur declaratio per ampliſſimas
„formas, quibus ſignificetur, quod ea
„verba, *proponentibus Legatis*, non infe-
„rant abrogationem jurium, inſtitutio-
„num, & conſuetudinum Conciliorum,
„quæ jam præterierunt, aut erunt: ſi
„vero ejusmodi declaratio non impe-
„traretur, tunc omne ſtudium adhibe-
„ri poſſet, ut Legati conſentirent, qua-
„tenus caput illud de laicorum Prin-
„cipum correctione omnino prætermit-
„teretur, aut quaſi per ſimplicem nar-
„rationem omnia enumerarentur, quæ
„ipſis ob libertatem, & immunitatem
„Eccleſiaſticam in eorum ditionibus
„violatam crimini dantur: interim u-
„niverſi commoneantur Principes, ut
„in hoc genere ſemetipſos reforment,
„& in ſuis ditionibus illæſam relinquant

Sæc. XVI. A.C. 1563.

„libertatem, & immunitatem Ecclesia-
„sticam: porro validæ suppetunt ratio-
„nes, quibus ad id adduci possunt Le-
„gati: palam enim est, non solum ab
„ipso Cæsare, sed ab Hispanis, & Gal-
„lis onerosum illum articulum oppu-
„gnari, quorum omnium magna ratio
„habenda est, neque committendum,
„ut ii, qui summam in Ecclesia catho-
„lica potestatem obtinent, ab ipsa aut
„alienarentur, aut saltem exulcera-
„rentur, præsertim Hispaniæ Rex, qui
„hactenus tanta cum laude in illius o-
„bedientia subditos suos conservat.„
Ceterum si ne his quidem acquiesceret Lunensis Comes, ipsi Cæsar suaderevolebat, ut privatim potius coram Legatis, quam publice in pleno consessu contestaretur, ut facti asperitatem modi lenitas moderaretur: porro ad hæc omnia executioni danda Imperator suorum Oratorum operam offerebat: (*) Cum autem

(*) Optandum foret, ut Continuator non mutilam, sed integram piissimi hujus Cæsaris orationem retulisset, ex ea enim Lector facile deprehendisset, quam longe diversam agendi rationem Principibus catholicis etiam in iis rebus, in quibus se offensos existimant, verus fidei amor, ac sincerus erga Sedem Apostolicam affectus inspiret. Consulatur itaque Pallavicinus loc. cit.

autem Lunensis Comes pariter ad Romanorum Regem scripsisset, hic literis die decima quarta Octobris ad eundem datis præcepit, ut duntaxat Cæsaris Patris sui responso insisteret. Sæcul. XVI. A.C 1563.

§. LV.

Articulus de Matrimoniis clandestinis demuo examini subjectus

Jam die decimo tertio nova decreti forma circa Matrimonia clandestina Patribus proponebatur, in qua ad validum Matrimonium præscribebatur, ut adessent duo saltem testes, & Parochus, aut alius Sacerdos, qui assisteret, accepta sive ab illo, sive ab Ordinario ad id facultate: sublata tamen fuerat clausula, vi cujus irrita declararentur conjugia filiorum sine parentum consensu contracta: Ast Pontifex sic rescripserat: „ego tanquam unus ex „privatis hominibus censeo, quod ha„beat Ecclesia potestatem illam, de qua „disceptatur Tridenti, porro id ipsum e„tiam existimant viri sapientes, Romæ „a me interrogati.„ Verum his non acquiescebant illi, qui oppositam tuebantur sententiam, & præcipue Madruccius Cardinalis, sed cum opiniones ter pronuntiatæ fuissent, ac plurimis rationum momentis expensæ, adeo ut argumentum illud esset accurate

Sæcul. XVI. A.C.1563.

agitatum, Legati confugientes ad eam juſſionem, quæ unicum erat remedium ad amputandam diſſertationum prolixitatem, ex quibus ambiguitas, & diſcordia naſcebantur, præſcripſere ſingulis, ut ſuffragium ſolo ferrent verbo, *Placet*, aut *non placet:* porro ad id ventum eſt die vigeſima ſexta Octobris, ac die poſtero idem continuatum, conſentientibus Patrum quamplurimis: verum quamvis hac in occaſione Patrum potiſſimi contenti eſſent, ut ſua ſuffragia vel ferrent vel negarent, quin ſuas opiniones argumentis fulcirent, nihilominus cum de articulis circa diſciplinæ reſtaurationem, ac præcipue circa prærogativam Archipræſulum ſupra Epiſcopos ageretur, majori contentione differebant.

§. LVI.

Epiſcoporum ſcriptum contra Archiepiſcopos Legatis traditum.

Pallav. l. 21. Hanc in rem quadraginta Epiſcopi quemdam libellum a ſe ſubſcriptum Legatis tradebant, in quo petebant, quatenus aufferretur injuſtus uſus obſtringendi Suffraganeos, ut ſive per ſe, ſive per Procuratores ad Metropolitarum Eccleſias ſingulis annis, ſecundo Paſchatis feſto, ſicuti ſolebant, accederent, cum haud ita benigne ab Archie-

chiepiscopis, eorumque Vicariis haberentur, ideo petebant, ut tantummodo tunc ad id adstringerentur, cum provincialis Synodus esset celebranda: insuper iidem, quatenus in suos quoque inferiores æquitatem præseferrent, postularunt, ut eodem nexu pariter solverentur Archipresbyteri, & Parochi erga Episcopos, excepto duntaxat eo tempore, quo ad Diæcesanam Synodum celebrandam accedendi necessitas suaderet, aut cum opportunum Episcopo videretur eos advocare: affirmabant enim illi, quod hujusmodi consuetudo nonnisi a Synodis, quas sæpius per annum celebrare usuveniisset, originem traxerit, his vero nunc abolitis usus tamen conveniendi quantumvis inutilis, ac non parum molestus permanserit, quare Legati, ut tranquillius res procederet, destinarunt duos Episcopos, totidemque Archiepiscopos, qui agerent inter se, & opportunum hujus rei remedium excogitarent. Sæcul. XVI. A. C. 1563.

§. LVII.

Pontificis colloquium cum Lotharingio Cardinale circa Synodum.

Cum Legati rebus ita dispositis, adhuc dubii hærerent, an Sessionem maturare, vel potius Cardinalis Lotharingii adventum præstolari oporteret, *Pallav. c. 6. n. 1. & 2.*

Sæcul. XV
A C 1563.

derepente Roma Pontificis mandatum accipiunt, vi cujus nihil absque præfato Cardinale aggredi jubentur: insuper Pontifex illos certiores reddebat ferme de omnibus, quæ ipse cum Cardinale contuliſſet, inde autem apparebat, quod viciſſim utrique plene ſatisfactum eſſet: quapropter Lotharingius literas benevolentiam in Pontificem ſpirantes ſcripſerat in Galliam, ubi commendabat optimam ejus voluntatem circa reformandam diſciplinam, & improbabat Gallorum conteſtationem: præterea ejusdem Papæ ſtudium erga Eccleſiam deprædicabat ac pariter etiam Franciæ Regem impenſe rogabat, ut ſuis Oratoribus præciperet, quatenus Tridentum confeſtim reverterentur, & deinceps cum majori moderatione ſeſe gererent, ac hucusque feciſſent.

§. LVIII.

Lotharingius Cardinalis Roma profectus, ac Papæ literæ ad ſuos Legatos.

Die vigeſima Octobris Lotharingius Cardinalis Roma diſceſſerat, eadem vero die ſummus Pontifex prolixam admodum epiſtolam ad Legatos ſuos dabat, in qua præprimis hæc ſignificabat: „Lotharingius præter exſpectationem meam mihi ſatisfecit, qui etiam

Sæcul. XVI. A.C.1563.

„tiam ſummas laudes virtuti, ſolertiæ „que veſtræ attribuit, ac deſiderio ple„nus abiit, optans, ut Concilium finia„tur: eundem ergo vobis commendo, „petens, ut cum eo reduce perinde a„gatis, ac cum ſocio veſtro, atque ean„dem fiduciam, æſtimationemque oſten„datis ex parte etiam erga Madruccium „Cardinalem: de cetero de matrimo„niis clandeſtinis iniri concordiam opto: „ubi vero ea obtineri non poſſit, pro „majoris partis ſuffragiis res ſtabilia„tur: porro mihi non diſpliceret, ſi „concederetur Epiſcopis facultas rela„xandi, & abſolvendi in rebus ad ma„trimonia ſpectantibus, atque in aliis „caſibus dummodo occultis, & ad fo„rum contentioſum non deductis: pari„ter mihi probatur, ſi leges diſciplinæ „ſtatuantur de Cardinalibus, ſervata „cum inferioribus Eccleſiaſticis propor„tione; confido enim, Patres nonniſi „rationi conſentanea decreturos: inſu„per fiat ſanctio, qua etiam Legatis a „latere tollatur facultas impertiendi „beneficia menſibus Epiſcoporum va„cantia, ſimulque *exſpectativæ*, ſeu, con„ceſſiones primi Sacerdotii in Diæceſi „aliqua vacaturi, necnon cuncta *provi„dendi* mandata, per quæ Epiſcopi Sa„cerdotia in ipſorum menſibus vacatura „certæ cuidam perſonæ concedere ju-

Sæcul. XVI. A. C. 1563

"bentur, ex Synodi arbitrio aut reſtrin-
"gantur, aut irrita reddantur, quod idem
"fiat quoad alias ejusmodi conſuetudi-
"nes, præſertim retentiones, quibus
"Pontifices peculiaria quædam Sacer-
"dotia ſibi reſervabant: inſuper ea, quæ
"ſequuntur, fieri opto. I. Cauſſarum
"delationes Ordinariis relinquantur, qui-
"busdam cauſſis gravioribus exceptis,
"necnon iis, quæ illuſtres perſonas tan-
"gunt, in quibus etiam literæ, vulgo
"*Remiſſoriæ*, ad examinandos teſtes ipſis
"Ordinariis committantur. II. In exi-
"tu Concilii cuncta Decreta, tam ſub
"Julio III. & Paulo III. ſedentibus, quam
"ſub meo Pontificatu confecta, reſu-
"mantur, & meo nomine eorum con-
"firmatio ſpondebitur. III. Vos ex con-
"filio ejusdem Cardinalis Lotharingii
"Præſules Hiſpanos ſingulatim certos
"faciatis, quod iidem mihi ſatisfece-
"rint, cum ſciam, quod omnes opti-
"mo Religionis ſtudio operam ſuam na-
"vaverint, hinc ſpondeo, me eos, ſi
"quibusdam ipſorum poſtea libuiſſet Ro-
"mam pergere, libenter amplexaturum,
"& juxta rerum opportunitatem
"beneficiis affecturum: inſuper idem ſi-
"gnificetur Epiſcopo Mutinenſi, aliis-
"que Italis, qui verentur, ne parum
"grati ſint mihi, propter diſſenſiones
"quoad reſidentiæ Decretum ſuſcitatas.

„præ-

„præterea exorentur Archiepiscopus „Hydruntinus, & Episcopus Parmensis, „ut omni studio conferant operam suam „ad Synodum, quamprimum fieri pot„erit, absolvendam.„ Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Mittebatur hæc epistola die vigesima prima Octobris unacum literis Cardinalis Borromæi, qui singulos hosce articulos explicabat, simulque satisfaciebat illis, quæ in libello per Vicecomitem Roma allato continebantur.

§. LIX.

Pontificis diploma circa clausulam: Proponentibus Legatis.

Ceterum, ne Lunensis Comes declarationi, quam circa clausulam *Proponentibus Legatis* petierat, rursus nova opponeret obstacula, hinc brevius, magisque expeditum consilium fore Romæ censebatur, si ipsemet Pontifex hanc declarationem ederet: idcirco variæ formulæ confectæ sunt, quæ omnes tandem in eam priorem recidebant, quam etiam Cæsar excogitaverat, vi cujus declaretur, quod per hæc verba nihil cuiquam juris additum, aut detractum censeatur de facultate petendi, agendi, aut dicendi ea, quæ secundum vetera Concilia, & Canones erant antea in ipsius potestate: nuspiam tamen ibi usurpabatur verbum *proponendi*. Ce- *Pallav. c. 6. num. 5.*

Sæc. XVI A. C. 1563.

terum hac de re Pontifex juſſit ſex diplomatum exempla Romæ dictari, eaque ad Legatos mitti, ut pro ſuo arbitratu ex his maxime opportunum ſeligerent: ipſi vero breviſſimum ſelegerunt, & per Oratorem Luſitanum illud ad Lunenſem Comitem detulerunt, qui tamen illud acceptare præprimis renuit, eoquod in illo id, quod optabat expreſſum, non legiſſet, tametſi hæc forma, quantum deſiderare poterat, ampla fuiſſet & Luſitanus, ac Cæſariani faſſi eſſent, diploma ſibi probari: denique poſt multas altercationes convenere, ut declaratio non a Pontifice, ſed ab ipſo Concilio fieret.

§. LX.

Contentio circa primam cauſſarum cognitionem inter Legatos, & Lunenſem Comitem.

Pallav. n. 6. Legati adhuc aliam controverſiam cum Lunenſi Comite expedire cogebantur circa articulum, qui tangebat primam cauſſarum cognitionem, ſeu ut vocant, *inſtantiam:* etenim Comes hoc decretum ita concinari petebat, ut nunquam, quamvis eſſet excepta auctoritas Pontificis, eidem liceret cauſſam ullam primo delatam ex jure ordinario cognoſcere; ex adverſo Papæ concedi volebat, quod diſerte Synodi Decre-

Decreto derogare posset, si id vellet; cum autem ejusmodi decretum acceptari minime posse crederetur, hinc ex una parte Patres ad formandum Decretum selecti, qui numero erant sexdecim ex variis nationibus, non assenserunt: duo autem Hispani, scilicet Episcopi Asturicensis, & Civitatensis, in eo tam firmi perstitere, ut subscribere recusarent formæ ab aliis confectæ, insuper Lunensis cum Legatis de eo tam acriter collocutus est, ut denuntiaret, quod tunc, si decretum illud ex voto suo non procederet, non velit adesse Sessioni, nec permissurus sit, ut quisquam ex Patribus Hispano Regi subjectis interesset.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. LXI.

Pontificis sententia contra plures Franciæ Episcopos de hæresi suspectos.

Cum hæc interea inter Legatos, & Hispanos cum ingenti animorum contentione agitarentur, summus Pontifex Patrum Senatum die vigesima Octobris habuit, ubi juxta Cardinalis Alexandrini, qui erat Inquisitorum Princeps, relationem, atque Fisci Procuratoris preces cum unanimi Cardinalium judicio ibi expresso sententiam tulerat in septem Episcopos, qui fuerant in

Pallav. l. 6. num. 7. Thuan. l. 35. num. 6. Daniel hist. de France tom. 6. pag. 360.

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

in jus vocati, & contumaces, propter hæresis crimen. Erant hi Episcopi I. Castillonæus Odetus Colinius Cardinalis, qui Protestantium sectam amplexus a suæ factionis hæreticis vulgo Bellovacensis Comes appellabatur, eoquod hujus Urbis Episcopus esset. II. San-Romanus Aquensis Archiepiscopus. III. Joannes Montlucus Valentiæ in Delphinatu Episcopus. IV. Joannes Antonius Carracciolus Principis Melphitani Filius Trecensis Episcopus. V. Joannes Barbanconius Apamiensis Episcopus. VI. Carolus Guillartus Carnotensis Antistes. VII. Joannes Sant-Gelasius Uzetiæ Episcopus. VIII. Ludovicus Albretus Loscarensis Præsul. His quoque Scriptorum nonnulli Claudium Oleronensem Episcopum addunt, testanturque, quod eadem pœna in Franciscum quoque Noallium Dacquensem Episcopum fuisset parata: ast cum illum Romam pergere nuntiaretur, æquitati consonum credebatur, ut eidem sese purgandi opportunitas relinqueretur, si id facere vellet. Ceterum omnes hi Episcopi jam Mense Aprili in jus fuere vocati, sententia tamen in eos nonnisi die vigesima Octobris pronuntiabatur, atque eorum nonnulli exauctorati, alii vero dunta-

xat

xat a muneris ſui executione arcebantur. (*) Sæcul. XVI. A.C 1563.

§. LXII.

Sententia in Navarræ Reginam ab eodem Pontifice pronuntiata.

Alia adhuc res agebatur, quæ multis rumoribus anſam præbebat, atque ob Pontificis indignationem contra Franciæ Oratorem orta credebatur (**) nam Pontifex Joannam Navarræ Reginam, quæ palam hæreſin profitebatur, in jus vocabat: cum enim accuſationes adverſus eam delatas excepiſſet, ſuarum partium eſſe cenſuit, ut illam Romæ comparere juberet, unde eidem integrum ſemeſtre conceſſit, intra quod Romam venire, ac de ſua fide, necnon de ſceleribus eidem imputatis rationem reddere poſſet: ſi vero id renueret, illam tanquam de crimine convictam, proin jure ad ſupremum Regimen exutam, omnibusque ſuis ditionibus ſpoliatam, declaraturus eſſet. Hæc agendi ratio æquitati, ac Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus adverſa a Gallis putabatur, nihil- *Pallav. c. 6. num. 7.*

(*) Si tot Præſules hæreſi erant infecti, quid mirum, ſi in Laicis, ceterisque tantus Sedis Apoſtolicæ contemptus invaluit.

(**) Solus id credidit Continuator, cum ceteri Scriptores de eo nec verbulum habeant.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

nihilominus hoc diploma Romæ affigebatur, fruſtra ſeſe opponentibus Burdaſerio, & Lotharingio Cardinalibus: nam prævalebat juri, ac juſtitiæ auctoritas Romana: interim ubi Lotharingius Cardinalis ſeverum hoc judicium compererat, Pontifici acrius rem exponebat, ac priusquam Tridentum veniret, acerbas ad eum dedit literas: verum Pontifex mox ei hæc in reſponſis dabat: „quod ad Joannam Na„varræ Reginam ſpectat, jam illam in „jus vocavi, ſexque menſes illi conſti„tui, ex quibus ſingula bimeſtria „perinde ſe haberent, ac unus ex „tribus terminis judicialibus: porro „factum infectum fieri non poteſt, ſi ta„men illa reſipiſcit, filioque permittet „ſacro intereſſe, cuncta ſedabuntur, „ſin minus, Deus rebus proſpiciet.„ Idem ferme circa Cardinalem Caſtilloneum, aliosque Franciæ Præſules Romam evocatos reſcripſit, & ſuæ ſententiæ æquitatem propugnavit.

§. LXIII.

Rex de hac ſententia apud Papam queſtus.

Thuan. l. 35. num. 5.

Cum Rex, Regina, omnesque Gallici Regni Proceres hanc agendi rationem ægre ferrent, mox ad Henricum Clutinium Oyſelium, qui in Romana Lega-

Legatione non ita pridem Insulano succesſerat, mandata expediri jusserunt, quorum summa hæc erat: „Ad primos „rumores in Galliis sparsos Rex faciles „aures præbere cunctabatur, postquam „vero ipsemet sententiam Romæ affi„xam perlegerat, summam inde indi„gnationem concepit, & quidem ex se„quentibus rationibus ejus jussu scripto „editis. I. Navarræ Regina in digni„tate ceteris Regibus haud inferior est, „hinc ipsius periculum æqualiter in o„mnes redundat, ut proin cuncti illam „defendere obstricti sint, præcipue vero „Franciæ Rex huic viduæ sanguine „junctus ejusdem jura, cujus proles „ipse educandas susceperit, cujusque Ma„ritus pro Religione contra Protestan„tes tuenda vitam omisit, protegere „tenetur. II. Eadem hæc Regina „clientelari fide Franciæ Regno obno„xia est, ideo plurimum Regni inter„est, ut nec Romam, nec aliorsum e„vocetur, ac ibidem nec per se, nec „per Procuratores suos compareat, eo„quod in ipsis causis, quarum cogni„tio via appellationis ad Papam perti„net, Franciæ subditi Romam venire „compelli nequeant, sed Papa judices „ex eodem Regno designare teneatur: „ut proin hæc citatio Regiæ dignitati, „nec-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„necnon juribus, ſecuritati, ac Regis „Regnique honori adverſetur.„

III. „Rex quoque, cum hoc ipſo in„ſcio fuiſſet attentatum, iniquo admo„dum animo fert ſuæ dignitatis con„temptum: ſi enim hæc accuſatio ob „Religionem, & Dei gloriam inſtituta „fuiſſet, præprimis opportuiſſet, ut „Papa de animæ ſalute hujus Reginæ „ſollicitus juxta Dei Verbum congrua „adhiberet media, non autem ejus „bona, & Regna proſcriberet, eaque „primo occupanti attribueret. IV. Su„prema etiam poteſtas Pontifici dun„taxat data eſt, ut animarum ſaluti, „& Chriſtianæ rei,publicæque tranquil„litati proſpiciat, non autem ut Prin„cipes ſuis Regnis ſpoliet, ac de illo„rum bonis pro ſuo arbitrio diſponat: „Itaque ſubmiſſione, ac reverentia om„nino debita Rex Papam exorat, ut „ſententiam, quæ in hanc Reginam „lata eſt, revocet, atque publico di„plomate hanc in rem edito Miniſtris „ſuis hujus cauſſæ cognitionem auffe„rat: ſi vero id renueret, Rex ea ad„hibere cogetur remedia, quibus juxta „Regni ſui leges in ejusmodi occaſio„nibus ejusdem Majores uti conſueve„runt: de cetero autem Rex præprimis „declaret, quod omnino invitus in cauſſa „adeo juſta poteſtatem ſibi a Deo da„tam

„tam, ſuorumque amicorum opem im- Sæc. XVI.
„penderet, totamque culpam in eos A.C. 1563
„rejiceret, qui auſu tam temerario ipſum
„ad hujus remedii neceſſitatem com-
„puliſſent.„

Poſtea ſeorſim Oyſelio alia mandata magis ampla circa Epiſcoporum cauſſam dabantur, atque hanc in rem proferebantur Pariſienſis Senatus edicta, necnon exemplum Maximi Valentiarum Epiſcopi, ob varia crimina accuſati, de quo tamen Bonifícius I. pronuntiavit, quod hujus cauſſæ cognitio ad Gallicanæ Eccleſiæ Epiſcopos pertineret: verum inſuperhabitis ejusmodi rationibus ſummus Pontifex Navarræ Reginam anathemate percellebat, quamvis illa hanc pœnam flocci haberet: attamen poſtmodum Papa hanc ſententiam revocabat, irritamque declarabat, atque judicii acta jam contra Franciæ Epiſcopos ob hæreſin in jus vocatos inchoata ulterius proſequi prohibebat.

§. LXIV.

Franciæ Oratores Tridentum redire renuentes.

Interea Franciæ Oratores adhucdum Venetiis hærebant, ac inſuperhabitis aliorum ſollicitationibus absque novo Regis mandato Tridentum reverti pertinaciter renuebant. Quinimo Fer- *Pallav. c. 6. num. 10. Mem. p. 524.*

Sæcl. XVI. A. C. 1563.

rerius hac de re ad Regem literas dedit, in quibus rationes, ob quas Tridento discesserat, adhucdum subsistere exponebat, ac mentionem de loci prærogativa Hispaniæ Oratori attributa ingerens hæc addebat: „præcavendum „censeo, ne Majestas vestra injuriam „patiatur, haud absimilem ei, quam „in nuperaSessione perpessa est, proin curandum ne duo publici actus produci „valeant, ex quibus posteri inferre possent, quod Franciæ Rex in dignitate æ„qualis sit HispaniæRegi. Postea Orator „specialiter insistebat illis cautelis, quas „in absolvenda Synodo necessario ad„hibendas existimabat; quippe, inquie„bat ille, si rumor quem audivi, veri„tati innititur: quod scilicet absolvendi „Concilii formula e Romana urbe trans„missa præcipiat, ut Oratores eidem „subscribant, quatenus hac ratione eo„rum Principes ad tuenda præfatæ Sy„nodi decreta adstringantur, & hære„sin profitentibus bellum inferant, tunc „timendum, ne ejusmodi subscriptio „præter tumultus exinde in Christiana „Republica orituros, plurimum augeat „dissidium circa loci prærogativam, cum „id fieri non possit, quin iterum quidam ordo inter Oratores observetur; „non enim unaomnes simul in eodem lo„co sua nomina apponere valent: quapro„pter

„pter certam reddimus Majeſtatem ve- Sæcul. XVI.
„ſtram, quod noſtra in Synodo præ- A. C. 1563.
„ſentia haud conducat conſervandis
„veſtris juribus, & avitæ prærogativæ,
„qua veſtri Prædeceſſores ceteris Regi-
„bus, ac Chriſtiani Orbis Principibus
„præcedebant: hinc ſi veſtris major,
„quam illis Catholici Regis Oratoribus
„prærogativa competit, tunc vel ce-
„dere cogentur, vel conſentire novo
„præjudicio, quod in Synodi exitu
„ob hanc ſubſcriptionem, quæ nun-
„quam deletur, magis timendum eſt,
„quam in omnibus, quæ hucusque
„geſta fuere: ſi tamen Regia ſua Ma-
„jeſtas inſuperhabitis hiſce rationibus,
„atque occulta ex cauſſa nos adeſſe juſ-
„ſerit, perpendat, quod minus pericu-
„lum ſubſit, ſi novos Oratores nomi-
„naverit; hi enim cum majori ratione
„ſeſe excuſare poterunt, quominus pub-
„licis functionibus interſint: nos vero,
„ſi iterum Tridentum reverti cogere-
„mur, neceſſario Seſſionibus intereſſe
„deberemus, ac propterea omnes di-
„vulgarent, quod propter præcedendi
„ſtudium præſentes adſimus: præ-
„terea, cum pro veſtræ Majeſtatis ob-
„ſequio Tridenti noſtra præſentia om-
„nino nullius frugis ſit, hinc rogamus,
„ut nos excuſatos habere velit, ac con-
„cedere, quatenus in Franciam, a qua

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

„tanto tempore abſentes fuimus, re„gredi poſſimus.

Poſtea Orator ſubjunxit: „Ad ho„norem, & exiſtimationem Regiæ Ma„jeſtatis conducit, ut nos Tridentum „reverti non jubeat, nam juxta ejus „mandata in publicis, & privatis con„greſſibus ſemper affirmavimus, quod „poſtrema hæc Concilii indictio ſub „Pio IV. haberetur tanquam novum „Concilium, prout Cæſar petebat ad„verſus Regem Catholicum, aliosque „Principes, quibus ſeſe uniebant Hi„ſpani, Itali, aliique Principes, imo „ipſemet etiam Pontifex.„ Hæ rationes tantopere Regis animum commovebant, ut ad Senatus ſui ſententiam hiſce Oratoribus perſcribi præciperet, ne amplius Tridentum redirent.

§. LXV.

Congregatio pro perficiendis proximæ Seſſionis decretis.

Pallav. l. 23. c. 7. n. 1. & 2.

Ea erat rerum conditio, cum Lotharingius Cardinalis die quinta Novembris Tridentinam urbem ingrederetur: cum autem usque ad tempus proximæ Seſſioni præfixum nonniſi tres, vel quatuor dies ſupereſſent, hinc crebræ habebantur Congregationes, in quibus decreta, quibus ultima manus fuerat admota, referebantur: cum autem

tem circa plura nondum concors erat omnium sententia, hinc Patrum nonnulli seligebantur, qui ad marginem annotarent opinionum diversitatem, ut illæ omnibus Prælatis innotescerent. Postea iisdem novum decretorum exemplar exhibebatur, quod demum ad Congregationem delatum ibidem approbaretur; quippe inter alios nonnulli circa primum caput petebant, ut forma eligendorum Episcoporum Pontifici remitteretur: quoad secundum vero volebant, ut auferretur Episcopis obligatio obedientiæ Archiepiscopis exhibendæ: porro in quarto quod nunc obtinet quintum locum, decidi cupiebant, ut minores Episcoporum causæ ob delictum, quibus abrogatio, aut suspensio non debeatur, a Provinciali Synodo cognoscerentur: insuper in nono juxta numerum, quem illa prius habebant, postularunt, ut in Episcopis facultas invisendi non intelligeretur de Ecclesiis, quæ Capitulis Generalibus subduntur; præterea in decimo septimo addi optarunt, ut illi, qui examen exercebant, non eligerentur a Synodo Provinciali, sed ab ipso Ordinario, cujus erit Sacerdotia conferre viris pauperibus, ac doctis, quos divitibus, ac ignorantibus præferat oportet.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Sæcul XVI. A.C 1563.

§. LXVI.

Actum de Capitulorum exemptione, & de prima cauſſarum Cognitione.

Potiſſima erat diſceptatio circa articulum quintum, qui nunc ſextus eſt: etenim aliqui ſuadebant, ut retinerentur exemptiones, ac immunitates illorum Collegiorum, quæ Academiis ſubjacebant, porro idipſum fiebat Complutenſis Academiæ gratia, ac præcipuus hujus opinionis fautor erat Andreas de Cueſta, Antiſtes Legionenſis, ad quem accedebat Mendoza, aliique complures: aſt illi, qui Academiæ alteri, ſeu Salmanticenſi favebant, obſtiterunt, ac præcipue Archipræſul Granatenſis, qui dixit, ſe loqui, ne detrimentum paterentur Archiepiſcopi Toletanus, & Hiſpalenſis, qui publica ſtudiorum Gymnaſia in ſuis Diæceſibus obtinent: inſuper connumeravit cuncta incommoda ex hujusmodi immunitatibus. Hæc oratio multos a priori ſententia amovit, multoque plures amoviſſet, niſi modicus Italorum amor in Guerrerum vim adhortationis illius apud ipſos non hebetaſſet.

Poſt hæc cum denuo ſententias dicere juberentur Patres, Hydruntinus Archiepiſcopus tanquam æquum propoſuit

posuit, ut Insularum Antistites, quippe maris difficultatibus obnoxii, privilegio fruerentur, quo liceret ipsis Synodos Provinciales per procuratorem adire: Insuper Cardinalis Madruccius non comprobabat exceptiones, quæ ponebantur de primis caussarum judiciis Ordinario reservatis: fatebatur tamen, quod potestas insit summo Pontifici eas cognoscendi, sed gravi de caussa, & cum magna circumspectione, postea affirmabat, quod forsitan Cæsari, qui inter laicos Principes summus est, haud permitteretur, si is primum caussæ judicium ad se ab aliis revocare vellet. De cetero majori Patrum parti placuerat, quod leges pro Cardinalium reformatione seorsim conderentur: verum de hoc articulo nonnisi raptim agebatur: nihilominus Granatensis Archiepiscopus sic perorabat: „ si Cardinales „tantum Pontificis Consiliarii sunt, in „Pontificis judicio eorum electio reponi„tur; ast cum etiam sint illius electores, „adeoque eorundem auctoritas ad uni„versam Ecclesiam pertineat, universæ „pariter Ecclesiæ munus est, ut ipso„rum ætates, merita, dotes, ac pa„trias per editam sanctionem præscri„bat. „

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Ferme eadem sentiebant Bartholomæus de Martyribus Braccarensis Ar-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

chiepiscopus, Ayala Episcopus Segobiensis, & Lotharingius Cardinalis: perceptis igitur diversis hisce sententiis postea Patribus ad perficienda decreta selectis negotium dabatur, ut illas in eam formam redigere satagerent, quæ singulis placeret.

§. LXVII.

Scriptum pro absolvenda Synodo Romam transmissum.

Pallav. c. 7. num. 16.

Cum hæc interea gererentur, die nona Novembris Roma Tridentum nuntius venit, qui scriptum quoddam ad Legatos detulit, in quo rationes continebantur, ob quas Patres ad Synodum absolvendam permoveri deberent. Hoc scriptum a Morono erat compositum, cujus summa hæc erat: „cum „hinc necessitas suadeat celeriter „finem Synodo imponere: illinc vero „argumenta jam proposita nec statim „concoqui, nec decore prætermitti pos„sint, hinc id, quod unice expedit, esse „videtur, ut cetera ad Pontificem re„mittantur: cum autem id nec honeste, „nec utiliter a Legatis proponi possit, „ratio tam facillima, quam honestissi„ma foret, si illius auctor fieret Cardi„nalis Lotharingius, qui ipsus Romæ „hoc consilium probaverat, atque ad „illud exequendum pronus esse videba„tur,

„tur; si vero cum eo Cæsariani socia- Sæc. XVI.
„rentur, facile Cardinalis suæ nationis A.C. 1562.
„Episcopos, Cæsaris vero Ministri Ger-
„maniæ Prælatos ad studia pertrahere
„possent: porro id si fieret, sat verisimile
„videtur, Italos quoque consensuros: si
„tamen Hispani sese opposituri essent,
„potius generose despicienda foret na-
„tionis unius repugnantia, ut satisfie-
„ret postulatis, votisque aliarum com-
„plurium magis nobilium.„ Hæc erat hujus scripti summa, ad cujus tamen finem significabat Pontifex Legatis suis, quod tam universe in argumentis adhuc residuis, quam in uno, alterove Decreto peculiari, curandum sit, quatenus cuncta decernerentur in Synodo via consueta, ut omnibus manifestum fiat, quod ceterarum rerum decisio Pontifici nonnisi ex mera necessitate relinqueretur.

§. LXVIII.

Hoc scriptum Patribus per Cardinalem Lotharingium exhibitum.

Legati acceptis hisce literis confestim negotium aperuerunt Lotharingio Cardinali, qui hoc scriptum perlegens, statim agnovit, quod ipsus hoc consilium Pontifici suggessisset: nihilomi- *Pallav. c. 7. num. 17.*

Sæc. XVI. A.C.1563

nus suasit, ut die postero, qui postremo confessui præscriptus fuerat, nihil ea de re proponeretur, ne difficultates unius cum alterius operis difficultatibus conjungerentur, & ita fortasse haud superandæ redderentur: ideo monuit, ut sane cum ipsis, sicuti cum hostibus in bello ageretur, in quo, ut cuncti superentur, singulos aggredi opus est.

Placuit hoc consilium Legatis, moxque cuncta ad alterius diei conventum disponuntur, cui tamen Osius Cardinalis interesse haud poterat, cum tam pertinaci febre laboraret, ut etiam post celebratam Sessionem ab ea nondum expeditus timeret, ne per totam hyemem ab illa divexaretur, prout ipsus ad Cardinalem Borromæum perscripserat.

§. LXIX.

Generalis Congregatio ad Sessionem prævia.

Pallav. c. 8. n. 1. 2. & 3.

Die nona Novembris duo conventus duntaxat ab illis habebantur Præsulibus, qui ad perficiendos Canones selecti erant, ut cunctis Patribus, quantum fieri posset, satisfacerent: altera autem die decima ejusdem Mensis celebrata est Congregatio generalis pro habenda Sessione ad diem sequentem, quæ

quæ jam antea erat indicta. Ab hoc conventu amplioris libertatis gratia ii omnes excluſi ſunt, qui nec ſuffragii jus obtinebant, nec aderant tanquam eorum procuratores, quibus ſuffragandi poteſtas erat: ibi ergo præprimis proponebantur Canones, & Decreta de Matrimonio: verum non placuit Lotharingio Cardinali, ut anathema diceretur in ſexto adverſus eos, qui matrimonium non conſummatum per profeſſionem religioſam diſſolvi negarent: inſuper non probavit, quod ſimiliter in nono vibraretur anathema in eum, qui affirmat, quod poſſit contrahi matrimonium a perſona in ſacris Ordinibus conſtituta, aut a Religioſis profeſſis, non obſtante ſeu lege Eccleſiaſtica, ſeu voto: Lotharingius enim poſtulabat, ut vice *legis Eccleſiaſticæ* ſcriberetur, *legis*, ſimpliciter: nec minus Cardinalis Madruccius idem reprobabat, ac rejiciebat impedimentum, quod a Synodo inducebatur, ſeu potius renovabatur inter raptorem, & raptam, antequam illa libertati fuiſſet reſtituta; nec pariter eidem probabatur decretum, quo matrimonia clandeſtina declarabantur irrita. In his omnibus ſententiis complures illum ſecuti ſunt, ac præcipue in poſtrema, circa quam quadraginta ſex Patres convenere, & ſeptem

Sæc. XVI. A.C. 1563.

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

septem animi sui declarationem Sessioni reservarunt.

§. LXX.

Canones, & Decreta proposita ac recepta.

Pallav. c. 8. n. 4. & 5.

Priusquam disciplinæ Decreta deliberationi subjiciebantur, primus Legatorum dixit, quod complures senserint præponendam illis esse hanc particulam, *salva semper Apostolicæ Sedis auctoritate;* interim de aliis edixit, quod prudenter cogitaverint, opportunius esse post emendationis totius leges eam apponi: cum enim hæc ætate Pauli III. in principio posita legeretur, foret consentaneum rationi, ut eadem in fine responderet: itaque collectis hanc in rem sententiis, tres supra centum de hoc consenserant: postea vero in Sessione denuo rogati Synodi Patres unaomnes declarabant, hanc clausulam nonnisi in fine esse apponendam. Propositis demum decretis solus Arrius Cagliegus Episcopus Gironensis sese opponendi animum præsetulit; ast a Morono Legato tam acriter reprehendebatur, ut plura addere non auderet: quapropter collectis omnium suffragiis unaomnes, contradicentibus paucissimis, levesque mutationes suggerentibus, decreta receperunt.

INDEX
TOMI XLVI.
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ
CONTINUATÆ.

Abbates sint Magistri, 11. Hospitalitatem foveant, 12. Coadjutores assumant. 12. quando & quos Ordines conferre valeant. 402.

Ætas, pro Subdiaconis, 376. 379. 405. pro beneficio, 399. pro Diaconis, & Sacerdotibus. 405.

Albertus Petrus Conimbricensis Episcopus sententiam suam in Synodo profert circa residentiam, 20.

Albretus Ludovicus Lescarensis Antistes tanquam de hæresi suspectus a Papa damnatur. 571.

Albreta Navarræ Regina, vide *Navarræ Regina.*

Allerus Philadelphiæ Episcopus, Titularium Episcoporum Jura defendit, 251. de immunitate differit. 548.

Alifanus Episcopus Hispaniæ Regem Gallo præfert. 384.

Almerienſis Antistes, Episcopos ad residendum ex jure Divino teneri censet, 2.

ejus

ejus ſententia circa matrimonia clandeſtina. 445.

Antinorus denuo a Papa Tridentum mittitur: mandata ei injuncta. 452.

Avosmodianus Guadicenſis Epiſcopus reſidentiam eſſe juris Divini autumat, 22. contra Epiſcopos Titulares declamat. 285.

Ayala Segobienſis Antiſtes, ejus opinio in cauſſa Grimani Aquilejenſis Patriarchæ. 435.

Bajus Michael Lovanienſis Theologus in Synodo comparet. 324.

Barbanſonus Joannes Epiſcopus de hæreſi ſuſpectus damnatur. 571.

Bartholomæus de Martyribus Bracarrenſis Archiepiſcopus reformationem ab Epiſcopis eſſe inchoandam cenſet, 377. Præſules ad edicendam ſuam ſententiam cogendos putat. 380.

Bavariæ Dux a petendo Calice deterretur. 268.

Belgæ Epiſcopos ab Angliæ Regina electos non eſſe legitimos, declarari petunt. 326.

Beneficia, unum uni conferatur, 12. & quibus? 14. penſionibus non onerentur, 15. quibusnam conferantur? 311.

Biragus Præſes Tridentum venit, 270. pacem cum Calviniſtis initam, Regemque excuſat, 276. 277. Oeniponti Cæſarem de pace cum Calviniſtis inita certiorem

tiorem reddit, 322. illius ſententiam percipit circa Synodi translationem, 322.
Bobba Marcus Antonius Sabaudiæ Ducis Orator Tridentum venit. 71.
Borbonius Cardinalis nuptias cum Guiſii Ducis vidua inire cogitat. 182.
Borromæus Carolus Cardinalis circa Canonem de inſtitutione Epiſcoporum epiſtolam ſcribit Legatis minus gratam, 34. 36. circa præcedentiæ litem ad Legatos perſcribit, 263. litem circa loci prærogativam ſopire ſatagit. 342.
Burdaſerius Cardinalis mortuo Cardinale Mantuano Lotharingium in primum Synodi Legatum proponit, 156. a Papa reprehenditur. *Ibid.*
Calix, de eo agit Lotharingius, 94. & Papa, 201. Bavari hunc uſum repetunt. 268.
Calviniſtæ a Galliarum Rege pacem impetrant. 196.
Caniſius Reformationis negotio inſudat, 130. ad varios articulos circa Synodum reſpondet. 135.
Capitula de eorum immunitatibus & exemptionibus agitur. 546. 549. 582.
Carraciolus Joannes Antonius tanquam de hæreſi ſuſpectus damnatur. 571.
Caranza Bartholomæus ejus cauſſa rurſus agitatur, 327. illam Romam evocari Pontifex ſuadet, 328. reſiſtit Philippus II. 328.

Can-

Cardinales a Pio IV. creantur, 27. cum quibusdam Præsulibus circa articulum de Residentia conferunt, 81. Decreta conduntur de Cardinalium creatione, 228. etiam ipsi residere tenentur. 381.

Carolus IX. Franciæ Rex Papæ querelas contra immodica ejus postulata excipit, 64. Patres ad reformationem instituendam hortatur, 106. nubendi licentiam Cardinali Borbonio procurare satagit, 182. Calvinistis pacem concedit, 196. hanc apud Synodi Patres excusat, 276. Principes reformari recusat, 498. Synodo resistere per suos Oratores incipit, 500. ad id etiam Lotharingium Cardinalem instigat. 503.

Castanea Rossanensis Archiepiscopus: ejus sententia circa matrimonia clandestina. 444.

Castillonæus Odetus Cardinalis Bellovacensis Episcopus tanquam hæreticus a Papa damnatur. 571.

Ceronius vide *Almerienſis.*

Commendonus a Synodi Legatis decernitur ad Cæsarem, 95. adventat, 127. legationis suæ capita exponit, 128. in Poloniam Papæ Legatus decernitur. 491.

Communio sub utraque specie a Gallis petitur. 14.

Concilium Tridentinum agit de dogmate & morum emendatione, 1. Franciæ Oratorum postulata excipit, 5. 9. Concilia sæpius celebrentur, 19. de resi-

dentia

dentia agitur, 21. Patres suas sententias proferunt circa residentiam, 20, solemne Sacrum celebratur ob Catholicorum victoriam, 23. variæ Canonum formæ de institutione Episcoporum conficiuntur, 36. Romæ emendantur, 37. 42. Sessio differtur, 46. Gallorum cavillationes circa hosce Canones, 46. Sabaudiæ Ducis Orator excipitur, 70. Sessio differtur, 90. ad 22. Aprilis indicitur, 91. lis de præcedendi prærogativa inter Theologos a Legatis componitur, 100. 101. Franciæ Regis epistola prælegitur, 106. ad propudiosam Franciæ Legati orationem nequidem respondetur, 117. Lotharingius perorat, 118. Commendonus Tridenti auditur circa legationis suæ successum, 128, Præsulum famulis arma deferre, Patres prohibent, 167. de corruptelis in Ordinum administratione irrepentibus agitur. 242. Sessio ad 15, Junii diem prorogatur, 252. ad Lunensis Comitis & Fontidonii orationem respondetur, 260. ad Biragi excusationem ob pacem Calvinistis indultam respondetur, 280. hoc responsum Patribus probatur, 282. circa Episcoporum corruptelas variæ sententiæ proponuntur, 284. Canones de auctoritate Pontificis discutiuntur, 288. Galli contra hos Canones insurgunt, 289. Congregationes circa reformationis ne-

gotium habentur, 301. articulus de electione Episcoporum ad aliam Sessionem transfertur, 337. cuncta in Generali congregatione confirmantur, 382. Sessio XXII. 383. Canones & decreta conduntur, 385. proxima Sessio indicitur, 420. de statu Synodi agitur: 494. 495. agitur de testibus ad validum matrimonium requisitis, 481. habetur congregatio pro conciliandis Patribus circa matrimonia clandestina, 483. idem negotium ab Osio Patribus proponitur, 484. Reliqui etiam Theologi suas quisque sententias proferunt, 485. hæc disputatio suo successu frustratur, 488. Papæ Legati Reformationem summo studio urgent, 497. contra decretum de reformatione Principum Galli reclamant, 526. articuli hujus reformationis proponuntur, 538. rursus Lunensis Comes hanc clausulam: proponentibus Legatis deleri postulat, 543. 544. viginti & unus articulus de reformatione proponuntur in Congregatione quadam, 545. quædam emendari Lotharingius petit, 545. alii etiam Præsules suas sententias desuper proferunt, 548. circa exemptiones Præsules opinantur, 550. articuli examen de reformatione Principum ad aliud tempus differtur, 553. Sanctio de Principum emendatione per Cæsarem magis expedita redditur, 560. arti-

articulus de matrimoniis clandeſtinis rurſus examini ſubjicitur, 563. quidam Epiſcopi contra Archiepiſcopos queruntur, 565. circa Synodum Papa cum Lotharingio confert, 565. Legati diſputant cum Lunenſi Comite circa primam cauſſarum cognitionem, 570. de decretis in proxima Seſſione proponendis agitur, 580. necnon de exemptione Capitulorum, 582. de abſolvenda Synodo deliberatur, 584. prævia ad Seſſionem proximam congregatio habetur, 588. decreta & Canones recepti proponuntur.

Confeſſarii ab Epiſcopis approbantur, 407. etiam Regulares. 407.

Corduba Martinus Dertuſenſis Epiſcopus de reſidentia diſputat, 21. Epiſcopos reformari petit, 284.

Daneſius Petrus circa reſidentiam perorat. 21. 50.

Decimæ laicis conceſſæ non abrogantur. 463.

Diaconi Ordinis ſui munia obeant. 10. 405.

Didacus Carmelita Epiſcopus Columbrienſis reſidentiam juris divini eſſe autumat. 23.

Didacus Payna clandeſtina matrimonia reprobat. 486.

Diſpenſationes, quo modo concedendæ ſint. 313.

Domeſtici, ſi Epiſcoporum Diæceſani non ſunt, ſub quibus conditionibus ſint ordinandi. 401.

Dracovitius Quinqueeccleſienſis Epiſcopus de calicis uſu & Pontificis auctoritate cum aliis Præſulibus agit, 195. Germaniæ Præſulum abſentiam excuſat, 249. litem circa loci prærogativam componere ſatagit. 343.

Dudithius Hungarus Tinienſis Epiſcopus Patres hortatur ad promptam reformationem. 24.

Eccleſiaſtici Rectores ad reſidendum adiguntur. 392.

Eccleſiæ, de earum reditibus agitur. 417.

Eliſabetha Angliæ Regina, benignius cum illa agitur. 326.

Epiſcopi non hæreant in aulis Principum, 2. de eorum inſtitutione agitur, 4. 23. 88. probi eligantur, 11. ipſimet prædicent, 11. Coadjutores ſibi aſſumant, 12. de illorum jurisdictione agitur, 16. varii Canones de eorum inſtitutione concipiuntur, 35. 46. 377. de eorum electione agitur, 288. Epiſcoporum Titularium uſus defenditur, 251. 302. 308. 310. 339. reprobatur, 378. Epiſcoporum inſtitutio ſtabilitur, 391. intra trimeſtre conſecrentur, 397. omnes Parochias conferendi jus ſibi arrogant, 426. digniores promoveantur, 545. regularibus concionari non prohibeant, 546. de Archiepiſcopis queruntur, 564.

Eſtenſis Cardinalis Ferrarienſem Eccleſiam a Papa obtinet. 557.

Excom-

Excommunicatio raro infligatur. 17.
Exemptio, de ea agitur, 546. 549. 550. rursus hæc quæstio in Synodo agitatur.
Expectativæ gratiæ aboleantur, 14. Pontificis sententia circa illas. 567.

Ferdinandus Imperator Oenipontum venit, 95. a Commendono a Synodi Legatis missio salutatur, 95. fidei homagium a Virodunensi Episcopo excipit, 121. a Lotharingio Cardinale invisitur, 122. nec se nec Filium suum a reformatione eximi declarat, 129. quosdam articulos circa Synodum examinari præcipit, 135. hosce articulos corrigi permittit, 140. cum Gallis consilia conferre, Lunensem Comitem jubet, 146. de Legatis queritur, 147. hæc verba: *proponentibus Legatis*, decretis apponi ægre fert, 151. Synodum continuari, & libertatem concedi, necnon emendationem promoveri petit, 168. 169. Papam monet, ut de legitima Successoris electione sollicitus sit, 173. omnia Romæ decidi queritur, 174. Residentiæ articulum decidi petit, 174. se judicio Pontificis subjicit, 175. Synodum finiri non approbat, 454. suos oratores jubet, ut cum Lunensi Comite conferant, 858. leges Cæsareas contra immunitatem latas abrogari non vult, 459. Reformationis articulos immutari permittit, 460. pacis osculum præberi petit,

tit, 462. Moronum de absolvenda Synodo differentem excipit, 212. suffragia per Nationes fieri desiderat, 213. impactam culpam de sublata libertate diluit, 216. res in Synodo decidi petit, 219. circa clausulam: *proponentibus Legatis* mentem suam explicat, 221. 235. Pontifici respondet circa emendationis articulos, 224. suam a Synodo absentiam excusat, 232. secreto cum Morono de quibusdam articulis convenit, 233, ad Moroni literas respondet, 237. Synodi translationem a Gallis propositam rejicit, 323. Lunensis Comitis asperitatem reprehendit, 560. ea, quæ decreto de emendatione Principum obstabant, tollit, 560. circa clausulam: *proponentibus Legatis* difficultatem aufert. 561.

Ferrerius Franciæ Orator ad Synodum Tridentinam, cum Legatis circa Papæ auctoritatem disceptat, 61. confutatur, 62. de loci prærogativa cum Hispano Oratore disceptat, 73. propudiosam habet orationem in Synodo, 110. nequidem responso dignatur, 117. reformationis Gallicæ articulos proponi petit, 180. de præcedendi jure cum Hispano Oratore contendit, 255. indignum in modum desuper de Papa queritur, 365. ejus oratio publicari prohibetur, 374. insolenter contra Synodi Patres

Patres declamat, 507. Synodi decreta explodit, 513. Principum emendationem deteſtatur, 527. ejus oratio confutatur, 519. ſuam declamationem propugnare aggreditur, 524. ſuam orationem apud Lotharingium Cardinalem excuſat, 530. eam ab aliis depravatam aſſerit, 532. contra Principum emendationem reclamat, 533. queritur contra primum Synodi Legatum, 535. Regem concitat, ut ſeſe decreto de emendatione Principum opponat, 535. hujus reformationis articulos ad Franciæ Regem transmittit, 538. a Synodo diſcedit, 556. Tridentum reverti renuit. 577.

Fontidonius Salmanticenſis Epiſcopus in Hiſpaniæ Regis laudes excurrit. 257.

Forrerius Luſitaniæ Regis Theologus de matrimoniis clandeſtinis perorat. 487.

Galli victoriam reportant de Calviniſtis, 4. eorum cavillationes contra decretum de inſtitutione Epiſcoporum, 46. Papam divexant, 63. Lotharingii fidem ſibi ſuſpectam habent, 68. eorum Oratores Hiſpano legato locum cedere renuunt, 72. ſuos articulos proponi petunt, 97, eorum minæ de nationali Concilio, 274. contra auctoritatem Pontificis inſurgunt, 289. de loci prærogativa cum Hiſpanis contendunt, 340. iniqua contra Papam effutiunt, 347.

quidam Episcopi de hæresi suspecti damnantur. 571.

Gonzaga Fridericus Mantuani Cardinalis Nepos creatur Cardinalis. 27.

Granvellanus Cardinalis Bajum & Hesselium ad Synodum mitti suadet, 325. nihil contra Angliæ, Reginam moveri petit. 327.

Grassus Carolus Montis-Falisci Episcopus insolentem Gallici Oratoris sermonem confutat. 519.

Gratianus Commendoni Secretarius de quibusdam articulis circa Concilium agit. 138.

Grimanus Joannes Aquilejensis Patriarcha de hæresi suspectus suam caussam ad Synodum devolvi petit, 330. ejus caussa dijudicatur, 332. in Synodo eam agitari, petunt Veneti, 333, illam absque Pontificis diplomate dijudicari renuunt Papæ Legati, 333. hanc repulsam indignatur Papa, 334. viginti tres Commissarii ad discutiendam hanc caussam nominantur, 335. de eo absolvendo agitur, 435. hæc caussa finitur. 489.

Gualterius Viterbiensis Episcopus Lotharingium ob fratris sui necem mæstum solatur, 160. Lotharingio caussas exponit, ob quas a Synodi Legatione excluditur, 162. Lotharingio suum Tridento discessum dissuadere nititur. 184.

Guerrerus Petrus Granatenſis Archipræſul circa articulum de reſidentia diſceptat, 54. cum aliis de Papæ auctoritate conſultat, 194. contra Cardinales Epiſcopos proterve declamat, 246. Lunenſem Comitem ad cedendum flectere nititur, 351. ejus ſententia circa matrimonia clandeſtina. 443.

Guillardus Carolus Carnotenſis Epiſcopus ob hæreſin a Papa damnatur. 571.

Guiſius Dux a Calviniſtis occiditur in prælio. 160.

Haſſelius Joannes Lovanienſis Theologus ad Tridentinum Concilium venit. 324.

Hierarchia Eccleſiaſtica ſtabilitur. 387.

Janſenius Cornelius Lovanienſis Theologus cum aliis Epiſcopis, & duobus Theologis Tridentum venit, 324. poſtea Gandavenſis Epiſcopus renuntiatur. 324.

Imagines Sacræ, circa eas abuſus tollantur. 17.

Inquiſitio, eam Philippus II. Mediolani erigere meditatur, 476. ibidem propterea Seditio movetur. 476.

Inſtantiæ primæ, circa eas oritur contentio inter Legatos & Lunenſem Comitem, 570. de iis in Synodo agitur. 582.

Joanna Navarræ Regina, vide *Navarræ Regina.*

Lancellotus Synodi Advocatus Hiſpanum Oratorem ad promptum acceſſum ad

Concilium hortatur, 3. Lunenſis Comitis reſponſum ad Patres defert. 71.

Lancianenſis Epiſcopi ſententia de contumacia abſentium Germaniæ Epiſcoporum. 248.

Lanſacus Franciæ Regis Orator ad Synodum Tridentinam reformationis capita Legatis proponit, 8. de loci prærogativa cum Hiſpano Oratore diſceptat, 73. reformationem urget, 239. Tridento in Gallias revertitur. 375.

Layneſius Jacobus ſupremus Jeſuitarum Moderator circa reformationem perorat, 306. ſicut & circa Canonem de electione Epiſcoporum, 308. necnon de Epiſcopis Titularibus, 310. ejus judicium de Epiſcopatibus aliisque beneficiis, 311. illius opinio circa diſpenſationes, 312. ſuam orationem excuſat, 316. matrimonia clandeſtina valida eſſe cenſet, 345. 448. de modo res in Synodo pertractandi agit. 351.

Lotharingius Cardinalis Gallorum Legatorum poſtulata non omnia approbat, 6. de læſa ejus fama queritur, 31. ejus Canon de inſtitutione Epiſcoporum emendatur, 35. 36. ad Canones concinnandos deputatur, 49, de quorumdam Præſulum pertinacia queritur, 57. ipſis Gallis ſuſpectum ſe reddit, 68. ejus ſententia circa loci prærogativam inter Hiſpanos & Gallos Oratores, 72. 84.

necnon circa Papæ auctoritatem, 77. ejus ſententia circa Epiſcoporum inſtitutionem, 88. reformationem urget, 93. in Synodo perorat, 118. ad Cæſarem proficiſcitur, 122. Cæſarem Concilio minus propitium eſſe, refert, 246. hæc verba: *Proponentibus Legatis* decretis apponi ægre fert, 151. a Cæſareis in primum Synodi Legatum proponitur, 156. Guiſii Ducis fratris ſui necem percipit, 160. reſidentiæ decretum a Legatis proponi petit, 162. a Synodi Legatione excluditur, 164. Patavium & Venetias proficiſcitur, 181. ejus ſententia circa connubium Cardinalis Borbonii, 183. a Viterbienſi Epiſcopo Tridentini permanere fruſtra rogatur, 184. reformationis neceſſitatem oſtendit, 188. de non abrumpenda Synodo a Cæſare admonetur, 454. 455. deſuper ad Papam ſcribit, 456. circa Ordinum abuſus perorat, 242. contra Cardinales Epiſcopos declamat, 244. articulum de reſidentia decidi petit, 266. ſuam mentem explicat circa Papæ auctoritatem, 318. diſſidium circa loci prærogativam componere ſatagit, 343. de Papa queritur ob præcedentiam Hiſpano adjudicatam, 356. 862. etiam Cardinales ad reſidendum obſtrictos eſſe cenſet, 381. ejus ſententia circa matrimonia filiorum familias, 439. Romam

mam proficiſcitur, 490. ad præpediendam Principum reformationem a Galliarum Rege incitatur, 503. hanc in rem Regi reſpondet, 304. Ferrerii epiſtolam de ejus oratione in Concilio habita recipit, 530. 533. reformationis articulos corrigit, 545. quemdam ad Epiſcopatum promoveri cupit non ſine aliorum indignatione, 557. Papam dilaudat, 565. efficit, ut Galli Præſules ad Synodum reverti juberentur, 566. Roma proficiſcitur unacum Papæ literis ad ſuos Legatos, 566. Patres ad abſolvendam Synodum hortatur. 584.

Lunenſis Comes Hiſpaniæ Regis Orator ad Synodum, 30. de loci prærogativa ſollicitus, 71. cum Gallis contendit, 101. a Cæſare Oenipontum evocatur, 145. Tridentum venit, 202. hæc verba *proponentibus Legatis* deleri petit, 206. ſe opponit, 453. cum Cæſareis operam confert, 458. in Patrum Conventu excipitur, 253. præcedentiæ jus propugnat, 259. a Gallo Oratore refellitur, 255. ejus controverſia circa loci prærogativam, 340. Papam ſibi faventem habet, 345. Granatenſis Archiepiſcopi monita excipit, 351. Papæ juſſa exequi paratus eſt, 363. de inſtitutione Epiſcoporum agi petit, 381. Hiſpanos ad concordiam permovet, 383. Proteſtantes ad Synodum invitari rogat,

gat., 421. repulsam fert, 428. quæritur articulum de Episcoporum institutione non fuisse decisum, 430. de privatis Italorum conventibus queritur, 452. denuo hunc clausulam: *proponentibus Legatis* deleri postulat, 543. 544.

Madrutius Cardinalis ad Canones conficiendos deputatus, 49. ejus sententia circa decretum de residentia, 87. ad Cæsarem proficiscitur, 127. ejus sententia circa matrimonia clandestina, 442. de primis instantiis agit, 583. impedimentum raptus, non approbat. 587.

Maillardus Parisinæ Facultatis Decanus Pontificis auctoritatem tuetur, 105.

Mantuanus Cardinalis primus Papæ Legatus ad Concilium Tridentinum, Papam rogat, ut suum iter Bonnonienſe differrat, 28, se a Papa offensum reputat, 32. Sessionem proximam indicit, 91. ad Cæsarem proficiscī a Papa rogatur, 131. sed id muneris recusat, 133. ægrotans a suo Nepote invisitur, 153. moritur, 154. ejusdem elogia. 155.

Margaritha Austriaca Belgii Gubernatrix datis literis apud Synodum exiguum Præsulum suorum numerum excusat. 376.

Maria Scotiæ Regina se Synodo subjicit. 241.

Matrimonia, quinam gradus affinitatis ea impediant? 16. errores expenduntur, 99. est Sacramentum, 104. 126. ob adul-

adulterium diſſolvi petitur, 449. de-ſuper Veneti Canonem proponunt, 451. de clandeſtinis matrimoniis agitur, 424. a Filiis familias contracta, irrita declarari petunt Galli, 425. decretum circa clandeſtina matrimonia concipitur, 436. 437. de matrimoniis filiorum familias diſputatur, 439. 479. 482. Patrum ſententiæ circa matrimonia clandeſtina conciliantur, 483. de Eccleſiæ poteſtate hæc matrimonia irritandi agitur, 484. 485. clandeſtina eſſe irrita declaratur, 481. circa ea Patrum ſententiæ conciliantur, 483. idem negotium Patribus denuo proponitur, 484. reliqui etiam Theologi ſuam quisque ſententiam proferunt, 485. hæc diſputatio ſine ſucceſſu finitur, 488. rurſus hic articulus examini ſubjicitur, 563. 567.

Maximilianus Romanorum Rex, de ejus electione dubia moventur, 469. fidei juramentum Pontifici ritu ſolemni præſtare renuit, 470. rationes affert, 471. hæc lis componitur. 473.

Medicæus Ferdinandus Cosmæ Filius creatur Cardinalis. 27.

Melita; ſupremi Magiſtri Orator in Synodo comparet, 198. a Patribus excipitur, ſuamque ſententiam de Sacramento Matrimonii edicit. 477.

Monet-

Monte-Politianus Episcopus, ejus opinio circa Residentiam. 21.

Montlucus Joannes Valentinus Episcopus a Papa damnatur. 571.

Moronus primus Legatus in Concilio Tridentino, 157. in Synodo comparet, 202. cum Principum Oratoribus confert, 204. in quadam Congregatione solemniter recipitur, 205. a Cæsare de non abrumpenda Synodo admonetur, 454. de modo dubia proponendi cum Cæsare agit, 212. nomine Pontificis Synodi libertatem urget, & suspensionem detestatur, 215. 216. Papam ob Legatorum recursum excusat, 218. 219. secreto cum Cæsare de quibusdam articulis convenit, 233. Tridentum revertitur, 252. Borromæi literas accipit circa præcedentiæ litem, 263. Legatorum innocentiam contra Lunensem Comitem vindicat, 431. Synodi suspensionem dissuadet, 453. etiam Principes esse reformandos censet, 46. 468.

Musottus Lotharingium de Pontificis affectu certiorem reddit. 240.

Navagerus Cardinalis in Synodi Legatum nominatur, 157. Tridentum venit, 211. a Gallo Oratore ad proponendos reformationis articulos urgetur. 239.

Navar-

Navarræ Regina a Papa excommunicatur, 573, obſtrepunt Galli, 574. Rex apud Papam queritur. 574.

Noallius Franciſcus Aquenſis Epiſcopus de hæreſi ſuſpectus damnatur. 571.

Ordines omnes ſimul non conferantur, 10. abuſus irrepentes tolluntur, 120. 242. etiam minorum Ordinum munia exerceantur, 338. 408. de Ordinum numero agitur, 386. Ordinis character & ordinandi poteſtas ſtabilitur, 387. Canones deſuper conduntur, 390. a proprio Epiſcopo ordines conferantur, 397. de ordinandorum dotibus, 398. de examine ordinandorum, necnon de loco & tempore ordinationis, 400. de Epiſcoporum familiaribus ordinandis, 401. quinam Ordines minores conferre poſſint, 402. de interſtitiis. 403.

Ormanettus cum Papæ juſſis ad Bavariæ Ducem mittitur. 268.

Oſius Cardinalis Varmienſis Epiſcopus, cum Lotharingio agit de inſtitutione Epiſcoporum, 48. ad ſuam Diæceſin in Poloniam revertitur, 158. de poteſtate irritandi matrimonia agit, 484. Patribus articulum de matrimoniis clandeſtinis diſcutiendum proponit. 484.

Oyſelius a Franciæ Rege pro petenda Synodi translatione ad Hiſpaniæ Regem mittitur, 271. nomine Regis contra Navarræ Reginæ excommunicationem reclamat. 574. 577.

Paleot-

Paleottus agit de canone circa Episcoporum institutionem, 46. Gallorum oppositionem refellere jubetur, sed recusat. 352.
Parochi probi assumantur, 11. de eorum sustentatione agitur, 461. gregi invigilare tenentur. 392.
Patronus, circa illos decretum fit. 461.
Philippus II. Hispaniæ Rex de Hispanorum immoderata licentia admonetur, 29. Lunensem Comitem Oratorem suum ad Synodum destinat, 30. Papæ querelas contra Hispaniæ Præsules excipit, 193. emendationem procurat, 194. quædam a Papa petit, 198. per severitatem in hæreticos suum regnum ab hac peste præservat, 257. ad procurandam Synodi translationem a Gallis sollicitatur, 271. obsistit, 272. minas Gallorum de Nationali Concilio eludit, 274. Caranzæ caussam Romam evocari non permittit, 328. Mediolani Inquisitionem instituere parat. 476
Pibracus Franciæ Regis Orator Regem concitat, ut sese decreto de reformatione Principum opponat. 535.
Pius IV. Synodi Legatorum gesta rata habet, 26. duos Cardinales creat, 27. Bononiam proficisci intendit, ut Synodo vicinior sit, 25. suum iter differre rogatur a Mantuano, 28. cedit his monitis, 29. ob inutiles altercationes

tiones ab Hiſpanis excitatas apud Regem queritur, 29. Oratorem ad Synodum ablegari petit, 29. Lunenſem Comitem & Lotharingium commendat, 30. 31. Legatos ſuos jubet, ut ſua conſilia cum Lotharingio conferant, 32. modum decreta & Canones condendi præſcribit, 34. inſulſis Gallorum petitionibus divexatur, 63. apud Franciæ Regem deſuper queritur, 64. Legatos monet, ne ſuam ſententiam circa hæc poſtulata proferant, 67. ſuam auctoritatem ſtrenue tuetur, 79. Legatos ſuos laudat, 81. ſuam Curiam emendat, 82. circa Gallorum poſtulata reſcribit, 124. circa Oratorum diſſidia ſuam ſententiam profert, 125. Mantuanum ad Cæſarem mittere decernit, 131. læſam auctoritatem ſuam deplorat, 143. circa Synodi continuationem morumque emendationem Cæſari reſcribit, 171. 180. circa Succeſſoris ſui electionem literas ad eundem dat, 176. articulum de reſidentia definiri deſiderat, 177. Synodo integram libertatem relinqui declarat, 278. Cæſaris ſtudium dilaudat, 189. nubendi licentiam Cardinali Borbonio denegat, 184. de Hiſpanis Præſulibus apud Regem queritur, 193. ad Hiſpaniæ Regis poſtulata reſpondet, 198. hujus clauſulæ, *proponentibus Legatis* æquitatem vindicat, 199. 206. 220.

Syno-

Synodum non esse suspendendam affirmat, 215. libertatem plenam indulgeri petit, 216. Legatorum ad se recursum excusat, 217. mentem suam explicat circa reformationis articulum a Cæsare propositum, 223. suam a Synodo absentiam excusat, 130. falso accusatur, quod præcedentiæ dissidium contra Gallos deciderit, 262. in Hispaniæ Regis favorem scribit, 263. legatos jubet, ut hanc clausulam: *proponentibus Legatis* aut explicent, aut auferant, 291. suum mandatum revocat, 293. Legatos monet, ut Synodo plenam libertatem relinquant, 294. rerum decisionem Præsidum judicio relinquit, 296. novam formam de institutione Episcoporum recipit, 297. circa hoc negotium suis Legatis respondet, 298. Caranzæ caussam Romam evocare suadet, 328. Grimanum nisi ab hæresis suspicione purgatum ad purpuram admittere renuit, 330. hanc caussam in Synodo dijudicari permittit, 934. Hispano loci prærogativam asseruisse dicitur, 341. litem componere satagit, 343. ejus consilium successu frustratum intelligit, 354. literas Lotharingii circa hoc negotium recipit, 356. suum mandatum desuper datum explicat, 864, de concordia inter utrumque Oratorem restaurata lætatur, 375. Synodi decreta

creta recipit, 422. de valida Romanorum Regis electione dubitat, 469. Legatos monet, ut cum Franciæ Legato benigne agerent, 555. reprehenditur ob quædam beneficia aliis concessa, 556. suam agendi rationem vendicat, 558. suam sententiam circa matrimonia clandestina edicit, 563. cum Lotharingio circa Synodum confert, 565. literas ad suos Legatos circa articulos adhuc controversos rescribit, 567. promulgat diploma circa clausulam: *proponentibus Legatis*, 569. sententiam suam pronuntiat contra plures Franciæ Episcopos de hæresi suspectos, 571. anathema vibrat in Navarræ Reginam, 573. a Rege Franciæ propterea arguitur, 574. revocat hanc sententiam, 577. Synodum absolvi suadet. 584.

Pœnitentiaria instituatur in omnibus Ecclesiis. 547. 549.

Præcedendi prærogativa, de ea disceptatur, 71. inter Hispanum & Gallorum Oratorem, 72. 84. 101. hanc litem componendi media excogitantur, 101. 102. 125. innovatur hoc dissidium, 254. 340. hæc discordia sopitur. 375.

Presbyteri, nonnisi probi initientur, 9. beneficio statim provideantur, 10. quinam sint hoc Ordine initiandi. 406.

Privilegium fori, quinam illo gaudeant. 399.

Procuratores Episcoporum, cur ad Synodum non venerint? 249.
Psalmœus Virodunensis Episcopus homagium Cæsari exsolvit, 121. ejus sentsntia circa reformationis capita, 379.
Raptores, de iis agitur in Synodo. 587.
Reformatio a Franciæ Oratoribus urgatur roformatio, 226. congregationes circa eam habentur, 301. reformationis Decreta, 395. Principum Reformatio rejicitur, 465. 466. eidem sese Galli opponunt, 530. hujus reformationis articuli in Concilio proponuntur, 538. hujus articuli examen ad aliud tempus differtur, 553. illius decretum per Cæsaris literas expeditum redditur. 584.
Regulares, vide *exemptiones*.
Residentia, cujus juris sit, disceptatur, 3. 20. 24. decretum conficitur, 50. 53. hoc decretum non acceptatur; 59. iterum proponitur, 86. 87. rursus de eo agitur, 229. decretum a Synodo conditur, 385, nonnulli contra illud reclamant, 419.
Richardotus Atrebatensis Episcopus Tridentum venit. 324.
Rithovius Yprensis Episcopus ad Synodum mittitur, 324. ejus sententia circa matrimonia clandestina. 445.
Rossetus Alphonsus cedente Estensi Cardinale ad Ferrariensem Episcopatum transfertur, 557. Hic Cardinalis Lotharin-

gii instinctu sibi pensionem reservat, 557. Synodus desuper queritur, 538. Papa suam agendi rationem vendicat. 558.

Sabaudiæ Dux, Oratorem suum Tridentum mittit. 70.

Sacerdotium legis novæ, de ejus institutioni agitur, 385. Canones desuper conduntur. 389.

Salmeron circa matrimonium differit. 104.

Seminaria erigantur, 339. unde reditus hauriantur, 410. statuta pro Seminariis, 418. de Seminario Romæ erigendo agitur. 422.

Seripandus Cardinalis Papæ Legatus Galli Oratoris audaciam reprimit, 149. objecta de Pontificis auctoritate diluit, 150. 151. moritur, 165. ejus vitæ Historia & laudes. 165.

Sfortia Alexander Episcopus Parmensis Patres ad modestiam hortatur. 21.

Simonetta Cardinalis Episcoporum Procuratoribus jus suffragii non competere probat. 251.

Soto Petrus Dominicanus moritur, 208. ejus elogia, 209. ante obitum suum ad Papam scribit pro definiendo residentiæ articulo. 209.

Subdiaconi, quinam ordinentur, 405. eorum ætas. 405.

Testes necessarii ad matrimonii Sacramentum, 425. quot requirantur, 480. res deciditur, 482. cujus conditionis testes esse debeant. 481.

Ton-

Tonſura quinam ea initiandi ſint, 398. quisnam eam conferre valeat. 402.
Treviſanus Patriarcha Venetus, ejus ſententia circa matrimonia clandeſtina. 442,
Vagabundi Clerici Sacris interdicuntur. 408.
Vanninius Ludovicus Britonorienſis Epiſcopns Tridenti moritur. 24.
Venetus Orator deſuper Canonis formam proponit, 451. Grimani cauſſam defendit, 332. ſed repulſam fert. 333. matrimonium ob adulterii cauſſam diſſolvendum petit. 449.
Vigor Simon cum Lotharingio ad Cæſarem pergit. 123.
Virodunenſis ſeu Verdunus Joannes Benedictinus jactanter de Gallorum doctrina circa Papæ auctoritatem diſſerit. 317.
Virodunenſis Epiſcopus vide *Pſalmæus*.
Viſcontius ſeu Vicecomes Romam advenit a Synodo decretus, 26. Tridentum redit cum Papæ reſponſis, 75. 79. Patavium contendit, 185. ibidem ejus Nepotem amittit, 186. Lotharingium rogat, ut Pontifici Bononiam venire ſuadeat, 187. Lotharingii objecta diluit, 190. Romam a Papa ablegatur. 492.
Viſitationes Epiſcoporum, de iis agitur. 463.

ERRA-

ERRATA: *Sic corrige.*

Pag. 36. collatio - - collati
71. Auguſtæ - - Auguſta

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Th
5178